

✝
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 36.

Ent. 51
- tab. 6
no 19

DISPVTATIONVM

ROBERTI BELLARMINI

POLITIANI CARDINALIS,

S. R. E. Tit. S. MARIÆ in viâ.

De Controuersiis Christianæ fidei aduersus huius temporis hæreticos.

EPITOME

Labore Fr. I. BAPTISTAE DESBOIS

Ordinis Minimorum.

TOMVS PRIMVS.

PARISIIS,

Apud ROBERTVM FOÜET via Iacobæa, sub signo Occasionis.

M. DCII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

SVMMO PONTIFICI CLEMENTI VIII.

EAS mihi sit (beatissime Pater) è profundo tenebrarum ergastulo mearum, ad summam tui Solis amplitudinem assurgere paululum. Equidè ingenuè fateor mei conscius pulueris, extremorum præponderata discriminatione mihi fore potius latendum. Verùm examinata rerum inclinatione, qua imperfecta delineationibus perfectorum, obscura lucidorum irradiationibus, ima obtutibus summorum, misera misericordiarum irrigationibus delectãtur, quis ad tui nominis, & luminis splendorem delitescere vellet, quin potius niteretur tuis, quãtum liceat, fulgoribus illustrari? Ego certè humillimæ conditionis persona vererer, quantulumcumque ante maiestatis gloriam Apostolici Pontificatus apparere, ni probè intelligerem, tantam celsitudinẽ dulcissimis clementiæ deuotionibus gaudere. Ergo tuæ beatitudinis pedibus hoc munusculũ seu magis debitum, dignitate materiæ ma-

gnum, ingenio BELLARMINI *mirandum, noſtri cõtemplatione modicum, proſtratus offero. Vt tuis inauguratis auſpiciis, tua potentia fretus, tuis auxiliis adiutus, commodiori, æque fauſtiori luce pariam huius operis, ſiue præludij Fratres: qui proculdubio in ipſa conceptione peribunt, niſi tuj qui tot potes, me miſellum qui nihil poſſum, ac tantis oppreſſum, gratis aſpicias oculis, manu potenti ſubleues, benigna excipias dextra. Vt tu Eccleſiæ caput, ad cuius lancem omnis de fide ratio ſeipſam reuocat, qui ſcriptorum in carpo formicantem pulſum à temperato ſupremè diſcernis, & iudicem & Patrem huius opuſculi, te præſtare digneris. Plurimos plurimis tuis virtutibus*

Beatiſſime Pater Deus augeat fœlices annos. Pariſiis è fraterna domo octauo Kalend. Septembris an. Chriſti 1602.

Tuus Minimorum Minimus

F. IOANNES BAPTISTA DES-BOIS.

LECTORI CANDIDO.

QVANTI sit fructus illustrissimi Cardinalis eruditio Bellarmini, testis est Christianus orbis. O verè Beati PP. qui hunc virum excoluistis, collegistis, sanctissima, doctissima, & vtilissima Ecclesiæ membra: Deus augeat incremẽta frugum iustitiæ vestræ. Huius summi ingenij viri primum cõtrouersiarum tomum (candide lector) iamdiu in epitomen euocarem, sed multiplex causa totum distraxit opus. 1. languor assiduus, sæpiúsque recrudescentis grauiter grauissimi iniuria morbi, ob generi vitæ incompatibilem valetudinem. 2. operum Bellarmini editionis vltimæ expectata distributio. 3. lapis in sinistra, si alæ in dextra, vt multoties mirer quomodo tandem opus auras exceperit. Deo primum agendæ gratiæ: deinde digniſſimo

atque doctiſſimo Doctori Theologo Pariſienſi D. Andrææ du Val, qui non ſolùm ſuam operi adhibuit cenſuram, ſed adeo ſedulam exhibuit operam: vt ni affulſiſſet, credo proculdubio hoc opus dudum in tenues vmbras difluxiſſet. Sed an præteream vnicum æque mihi chariſſimum germanum fratrem, Dominum Franciſcum Deſbois, in ſupremo Pariſienſi Senatu Procuratorem? qui me diutiſſimo tempore, propriis commodis, incommodis, facultatibus, animis, fouit, fauit, recreauit: cùm vno, & eodem tempore, & reliqui ſunt à me conditi tomi, & typis excuſſi. Et quis ergo fructus ex tam præcipiti opere? dices. Lege, pondera, iudica. Si quid bene excipe, ſi quid malè relinque. Inclytæ autem viduæ Guilelmi Chaudiere, egregiiſque viris Roberto Foüet, & Nicolao Buon Pariſienſibus Bibliopolis, quorum pluribus impenſis, atque laboribus opus prælo mandatum eſt, meque ſingulari auxilio iuuerunt, tanto magis rependo grates, quanto minus nonnullorum iniurias recordor. Fortaſſe Trygodæmones Faneſij quidam. has ridebũt gratiarum actiones: ſed malo

à fanaticis ſubſannari, quam beneficiis candidè mihi collatis, vices non referre pro modulo meo. Hoc opus nonnullis nimis amplum, aliis nimis anguſtum videbitur. Sciãt, priores, me facilitati calamum temperaſſe, poſteriores, rarò, quod ſciam, aliquid momenti, directe ad materiã pertinens prætermiſiſſe, quod facilè non valeat ex dictis deduci. Porro, nõnulla (benignè lector) nunc aliis verbis, nunc ordine mutato, quibuſdam additis hanc inter notulam [ ] reperies. Sed id totum commodioris ratione compendij. Typographis autem ſuadeo nullam moliri huius compendij nouam editionem, antequam me, ſi fieri poteſt moneant, ni operam perdere malint. Vale.

AD LIBRVM.

PArue liber tumidis toties agitate procellis,
Quàm tibi difficilis partus, & ortus erat!
Quid trepidas? quod fronte geris, quod pectore nomẽ?
Auſpicibus tantis num trepidare potes?
Quid maius Clemente foret, cui militat orbis,
Qui caput, & patrum Pontificumque pater?
Quis Bellarmini valeat ſe opponere dictis?
Denique pro certò ſuſcipis arma fide.
Garrula lingua procax, fateor, minitatur, auétque
Ac Tyrius duplici pelle bilinguis adeſt.
Jam blaterat Sciolus, verbis qui plurima fingit:
Et ratione graui pauca probare nequit.
At niſi Flocciuiris Sciolus, Tyriúſque placebunt,
„ *Garrula lingua nocet, ſed quibus ipſa placet.*
„ *Jnuidus ipſe ſui laceratur criminis ore,*
„ *Nec ſinit eſſe ſibi, quod videt eſſe tui.*
Ergo paruæ liber tumidis agitande procellis
Carpe viam tuto, pectore, fronte, pede.

INDEX TOTIVS OPERIS.

Primi Tomi controuersiæ generales tres.

1 De Verbo Dei scripto & non scripto.
2 De Christo capite totius Ecclesiæ.
3 De summo Pontifice capite militantis Ecclesiæ.

Tomi secundi controuersiæ generales quatuor.

1 De Ecclesia militante, tum in conciliis congregata, tũ sparsa toto orbe terrarum.
2 De membris Ecclesiæ militantis, Clericis, Monachis, Laicis.
3 De Ecclesia quæ est in Purgatorio.
4 De Ecclesia quæ triumphat in cœlis.

Tomi tertij controuersiæ generales quinque.

1 De Sacramentis in genere.
2 De Baptismo & confirmatione.
3 De Eucharistia & sacrificio Missæ.
4 De Pœnitentia.
5 De Sacramentis cæteris.

Tomi quarti controuersiæ generales tres.

1 De gratia primi hominis, & statu innocẽtię.
2 De gratiæ amissione, & statu peccati.
3 De gratiæ reparatione, & statu iustificatorum per Christum.

EX PRÆFATIONE.

De ordine quo Diabolus oppugnauit Eccleſiam.

HVMANI *generis hoſtis, etſi totius ordinis ſoleat perturbator eſſe. Nõ tamen ſine ordine perturbauit Eccleſiam. Primis 200. annis ab Eccleſiæ ortu, oppugnauit primũ Symboli articulum per Simonianos, Menandrianos, Baſilidianos, Valentiniſtas, Marcioniſtas, Manichæos, & Gnoſticos. Poſt annum 200. articulũ ſecundum aggreſſus eſt per Praxeam, Noëtum, Sabellium, Paulum Samoſatenum. Poſt 300. per Photinum, Arrium, Eunomium. Sed cum nihil profeciſſet, ad art. 3. 4. 5. 6. & 7. qui incarnationẽ Domini reſpiciunt, ſe conuertit. Poſt annum igitur 400. excitauit Neſtorium, ac Theodorum Mopſueſtenum conſtituentes in Chriſto duas perſonas, quarum vnã conceptã de Spiritu ſancto natã de Maria virgine, &c. ſolum hominẽ eſſe nolebant. Paulò poſt verò Eutichen & Dioſcorũ: Circa 500. autem Petrum Gnapheum, Seuerum Antiochenum, Iulium Halicarnaſſeum. Poſt ann. 600. & 700. Jacobum Sirum, Cyrum Alexãdrinum, Sergium Pyrrhum, ac Paulum Conſtantinopolitanos, qui confundentes diuinam cum humana naturam, docebant Jncarnationem, Paſſionem, Reſurrectionem, Aſcenſionem, Aduentum ad iudicium ſimulata eſſe, ac ficta. At miſerè victus Diabolus in octauum articulum vires omnes inuertit. Nam circa*

ann. 860. temporibus Nicolai primi Graci apertissimè contenderunt Spiritum sanctum à Filio non procedere. Quamuis enim longè ante Macedonius negasset Spiritus sancti diuinitatem, tamen Diabolus adeò occupatus erat, in oppugnanda filij deitate, vt Spiritus sancti quæstionem leuius agitarit.

Verum cum hanc fidem labefactare nequiret, Articulis de Ecclesia, & Sacramentis bellum indixit, ab anno 1000. vsque ad hanc diem, per Berengarios, Petrobusianos, Vvaldenses, Albigenses, Viclefistas, Hussitas, Lutheranos, Zuinglianos, Confessionistas, Anabaptistas. Porro Berengarius, tribus suis erroribus, iecit fundamenta trium præcipuarum sectarum huius temporis, ad quas cæteræ reuocari possunt.

Primò enim docuit, in Eucharistia non esse verum Christi corpus, sed in ea tantum significari: quem errorem, vt sibi proprium defendunt Sacramentarij.

Secundò, esse quidem in Eucharistia, verum Christi corpus, sed cum substantia panis: & hanc hæresim sibi propriam assumit Confessio augustana.

Tertiò, paruulos non esse baptizandos, nec matrimonia colenda, sed omnes fœminas esse communes: quæ est ipsissima Anabaptistarum doctrina.

Cum igitur hæreses huius temporis propriè circa hos duos articulos Symboli Apostolici nonum, & decimum, ferè omnes versentur, nos etiam controuersias omnes ad eosdem duos articulos referemus. Initiò igitur de sancta Ecclesia differemus: in qua disputatione agendum erit primùm de ipso Christo, qui caput est & princeps Ecclesiæ vniuersæ: deinde de ea parte Ecclesiæ, quæ laborat in terris, necnon de capite eius visibili summo Pontifice, déque omnibus eius mem-

bris, id est, Clericis, Monachis, Laicis: tum de altera parte Ecclesiæ, quæ in locis Purgatoriis expiatur: postremò de illa quæ iam cum Christo beata in cœlis triumphat. Vbi de cultu & inuocatione Sanctorum, de reliquiis, & imaginibus, aliisque similibus rebus disputabitur. Quibus expeditis ad Sanctorum communionem, id est, ad Sacramentorum tractationem accedemus, vbi tot erunt capita controuersiarum, quot sunt sacramenta. Nam quidquid ferè Theologi de Sacramentis affirmant, id totum hæretici huius temporis denegant. Sequitur postremò, remissio peccatorum, ad quam illæ quæstiones omnes pertinebunt, quæ sunt de gratia primi hominis, de gratiæ amissione, de vulneribus ex peccato relictis, de gratiæ reparatione, de libero-arbitrio, de iustificatione, de meritis operum bonorum.

Porrò his omnibus quæstionibus præmittenda erit: quasi magnum quoddam proœmium, Controuersia de verbo Dei. Neque enim disputari potest, nisi prius in aliquo communi principio cum aduersariis conueniamus: conuenit autem inter nos, & illos verbum Dei esse regulam fidei: ex qua de dogmatibus iudicandum sit. Tamen de ista multæ quæstiones extant.

SVMMA PRIVILEGII.

ENRICI IIII. Galliarum & Nauarræ Regis Edicto cautum & ſancitum eſt, ne quis cuiuſcumque gradus, ordinis, ſtatus, conditionis, ac dignitatis, ſiue ſit Bibliopola, Typographus, ſiue alius quilibet, vel Regnicola, vel externus negotia gerens qnacumque regni & ditionis eius patent fines, *Epitomem diſputationum & operum Roberti Bellarmini S. R. E. Cardinalis tit. S. Mariæ in via, de Controuerſiis fidei Chriſtianæ aduerſus huius temporis hæreticos. Labore F. I. Baptiſtæ Des-boz Ordinis Minimorum.* præter viduam Guilelmi Chaudiere, R. Foüet, & Nicolaum Buon, Bibliopolas in alma Pariſiorum Vrbe commorantes intra duodecim annos, eadem vel alia maiori, aut minori forma vel quouis modo excudat, vel excudenda curet, vendat ipſe, aut cuiquam diuendenda mandet, aut denique ab aliis excuſſa intra eiuſdem HENRICI Ditionum fines diuendenda importet, ſeu quouis alio modo, & prætextu manifeſte aut occulte diſtrahat ſiue ſit externus, aut regnicola. Qui ſecus faxit, præter librorum amiſſionem, quingentorum coronatorum mulcta pœnas pendito, quorum dimidia Regio fiſco, reſidua vero pars remanebit ipſis viduæ Chaudiere, Roberto Foüet & Nicolao Buon, aut ab illis mandatum habentibus: vti latius patet in ipſo diplomate dato Pariſiis. 26. die Iunij 1602.

Subſignat. HENRICVS.

Ad mandatum Sacræ maieſtatis Regiæ.

POTIER.

INDEX

LIBRORVM, ET CAPITVM PRIMÆ CONTROVERSIÆ.

PRIMI TOMI.

LIBER PRIMVS.

De Verbo Dei.

Cap. 1. & 2 Sacrâ scripturâ Verbum Dei contineri.
3 Refellitur obiectio ex Paulo, litera occidit spiritus viuificat.
4 Qui sint libri sacri.
5 De hæresibus quæ libros Testamenti veteris primi ordinis oppugnarunt.
6 De hæresibus in libros Testamenti noui primi ordinis.
7 De libro Esther.
8 De libro Baruch.
9 De quibusdam Danielis partibus.
10 De libro Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum.
11 De libro Tobiæ.
12 De libro Iudith.
13 De libro Sapientiæ.
14 De Ecclesiastico.
15 De libris Machabæorum.
16 De quibusdam partibus librorum Marci, Lucæ, & Ioannis.
17 De Epistola ad Hebræos.
18 De Epistola Iacobi, Iudæ, secunda Petri, secunda & tertia Ioannis.
19 De Apocalypsi.
20 De libris Apocryphis.

LIBER SECVNDVS.

De Verbo Dei.

Cap. 1. *Ostenditur, editionem Hebraicam Mosis, & Prophetarum nunquam periisse.*
2 *Num Hebraica editio sit corrupta.*
3 *De editione Chaldaica.*
4 *De Syriaca editione.*
5 *De variis Græcis editionibus.*
6 *De interpretatione septuaginta seniorum.*
7 *De editione Græca noui Testamenti.*
8. & 9. *De Latinis editionibus, & authore vulgatæ editionis.*
10 *De authoritate Latinæ editionis vulgatæ.*
11 *Soluuntur obiectiones hæreticorum contra vulgatam editionem.*
12 *Defenduntur loca quæ Kemnitius depraua ta esse dicit in editione vulgata.*
13 *Defenduntur loca quæ in psalmis malè reddita fuisse à Latino interprete Caluinus contendit.*
14 *Defenduntur loca quæ dicunt corrupta in editione Latina Testamenti noui.*
15 *De editionibus vernaculis.*
16 *Soluuntur obiectiones hæreticorum.*

LIBER TERTIVS.

De verbo Dei.

Cap. 1. *Scripturam non sufficere sine explicatione ad controuersias fidei determinandas.*
2 *Soluuntur obiectiones aduersariorum.*
3 *Proponitur quæstio de iudice controuersiarum, & simul disseritur de sensibus scripturarum.*
4 *Adferuntur testimonia ex veteri Testamento pro Catholicorum sententia.*
5 *Idem probatur ex Testamento nouo.*
6 *Idem probatur ex Ecclesiæ consuetudine.*

7 *Idem probatur teſtimoniis Pontificum, & Imperat.*
8 *Idem probatur patrum teſtimoniis.*
9 *Idem ex ratione probatur.*
10 *Soluuntur obiectiones.*

LIBER QVARTVS.

De Verbo Dei.

Cap. 1. *Qui potiſſimum defenderint vel oppugnauerint non ſcriptas traditiones.*
2 *Quid ſit & quotuplex traditio.*
3 *Explicatur ſtatus quæſtionis, & mendacia quædam aduerſariorum deteguntur.*
4 *Scripturas ſine traditionibus, nec eſſe ſimpliciter neceſſarias, nec ſufficientes.*
5 *Eſſe veras aliquas traditiones demonſtratur ex ſcripturis.*
6 *Idem oſtenditur teſtimoniis Pontificum & Conciliorum.*
7 *Idem ex patribus probatur.*
8 *Idem probatur aliis quatuor argumentis.*
9 *Explicantur regulæ quinque quibus in cognitionem verarum traditionum deuenimus.*
10 *Soluuntur obiectiones ex ſcripturis.*
11 *Soluuntur obiectiones ex patribus.*
12 *Soluuntur rationes aduerſariorum.*

DE VERBO

DE VERBO DEI

LIBER PRIMVS,

Qui est de verbo Dei scripto.

Caput primum, & secundum.

Sacrâ scripturâ verbum Dei contineri.

GASPAR [a] Suenckfeldius, ac [b] Libertini verbum scriptum respuunt, solo spiritu interno, vnicuique proprio contenti. Hunc errorem nobis [c] Lutherus, & [d] Caluinus ascribunt. Sed libris canonicis verbum Dei contineri non solùm Ecclesia tradit Catholica, quin etiam facilè probatur.

Primò, controuersias in populo Dei exortas, ex lege Dei iudicandas docet [e] Moses, nec vllum ad spiritum internum remittit. Idem [f] Isaias. Quare [g] Dauid, *Beati* (inquit) *qui scrutantur testimonia tua.*

Secundò, Christus suam [h] confirmauit legationem testimonio scripturæ: atque Sadducæos apud [i] Marcum, Pharisæos apud [k] Matthæum ex diuinis confutauit literis: ad quas eos [l] remisit.

CAP. I.

a Apud Fridericũ Staphylum lib. 1. de concord. discipulor. Lutheri, & Petrum Palladium libr. de hæresibus huius tempor.

b Apud Caluinũ in institutione aduersus Libertinos, cap. 9.

c Lib. de Cõciliis, & Ecclesiâ.

CAP. II.

d Initio institutionis aduersus Anabaptist. *Nec enim* (inquit) *Papistarum more dicimus sacrosanctas scripturas missas fieri oportere.*

e Deuter. 17. vers. 10. vide infra lib. 3. c. 4. f Cap. 8. v. 20. Ad legem magis, & testimoniũ.

g Psal. 118. v. 2. h Luc. 4. v. 18. i 12. 2. v. 24. ad 27. k 22. v. 41. ad 45.

l Ioan. 5. v. 39.

Tertiò, [m] Ioannes Baptiſ teſtem pro ſe adhibuit Iſaiam. Nec rarò ſcriptura commendatur ab [n] Apoſtolis. *Omnis* [o] *ſcriptura* (inquit Paulus) *diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, in iuſtitia vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.*

Quartò, *Non* [p] *recedat* (inquit Dominus ad Ioſue) *volumen legis huius ab ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus, ac noctibus.* Ad quid hæc omnia, ſi ſacra ſcriptura verbum Dei non eſt?

Quintò, Regula fidei (quæ certè verbum Dei eſt) certa, notáque eſſe debet. Nam ſi nota non ſit, Regula nobis non erit. Si certa non ſit, nec Regula quidem erit. At interna reuelatio etſi certa foret, nobis tamen eſſe nota nequiret, niſi veris [q] fortè miraculis. Scripturam verò ſacram notiſſimam eſſe, teſtis eſt Chriſtianus orbis, & apud quem vſque nunc cum magnâ authoritate viguit. Certiſſimam autem, [r] teſtatur vaticiniorum veritas, teſtis diuina planè conſpiratio, atque concordia virorum qui diuerſis locis, temporibus, linguis, occaſionibus, ſacra volumina ſcripſerunt, teſtis animaduerſio diuina in eos qui ſcripturas ſacras ad vſus prophanos traducere voluerunt, vt reſpõdit [s] Ptolomæo Demetrius Phalereus, apud [t] Ioſephum, ex Ariſtæo, teſtis [u] ipſa ſcriptura, cuius ſi vera ſunt vaticinia, quidni & teſtimonia? teſtis infinitus miraculorum numerus.

Quintò, Deus vnicuique prouidet ſecundum propriam rei naturam. Natura autem hominis, cum ex animo, & corpore conſtet, requirit, vt per ſenſibilia percipiat ſpiritualia: ſenſibiles ſunt verò ſcriptur. non ſpiritus internus. Quod ſi fuêre nonnulli immediatè a Deo edocti, non

m Ioan. 1. v. 23.

n Paſsim in Epiſtolis citando teſtimon. ſcriptur. vide 2. Pet. 1. v. 19.

o ad Tim. 3. v. 16. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον πρὸς ἐπανόρθωσιν πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος.

p Ioſue 1. verſ. 8.

q Quorum penuriâ omnino laborant aduerſ.

r Aug. 12. Ciui. 9. ad finem. tomo 5. *Ex vno homine genus humanum ſumpſit exordium, ſecũdum ſanctæ ſcript. fidem, quæ mirabilẽ authoritatem non immeritò habet in orbe terrarum: atque in omnibus gentibus quas ſibi eſſe creditoras, inter cætera quæ dicit, verâ diuinitate prædixit item ad finem* c. 10.

s Philadelpho Aegypti rege vide infr. lib 2. cap. 6.

t 12. Antiq. 2. verſ. finem de Theopompo hiſtorico qui propterea mente captus eſt, & Tragædo Theodecto ſiue Theodoto, qui lumine captus. Ariſtæus ad finem hiſtor.

v 2. Reg. 23. v. 2. & 3. Luc. 1. v. 70. & 2. Petr. 1. verſ. 21.

tamen ſequitur id omnibus fore. [x] *Alia enim ratio fundamenti, parietum alia, &c. Non omnes Apoſtoli, non omnes Prophetæ.*

[x] *Vide* 12. *cap.* 1. *ad Corinth.*

Vltimò, in Republ. quâcumque humanâ, nullus eſt qui non ſapiat aliquid in rebus humanis, & tamen vnicuique non licet ſequi ſimpliciter ſuum iudicium, ſed quod leges ferunt: alioqui breui rueret illa ſocietas, quantò magis ergo id minimè licitum, in Republ. diuinâ, cuius potior pars atque conditio, naturæ rationem excedit? Adde multos imperitos, quibus nulla fit reuelatio: num ergo nequeunt ſaluari? quomodo verò ſaluabuntur niſi doceantur? quomodo docebuntur ſi ſuo ſpiritui tantum credere debeant?

Refellitur obiectio ex Paulo, litera occidit Spiritus viuificat.

CAP. III.

APOSTOLVS [a] (inquiunt) literam a Spiritu diſtinguit, illamque ad vetus reiicit Teſtamentum, quam etiam occidentem, Spiritum verò viuificantem nominat, & proprium noui Teſtam. Igitur ſicut Teſtam. vetus Iudæorum eſt tantùm, non Chriſtianorũ: ita diuinæ ſcripturæ, quæ nihil aliud quam ſcripturæ ſunt. Reſpond. ſi nihil ad nos ſacræ pertinerent ſcriptur. cur Paulus tot literas ſcripſit? Per [b] literam ergo lex per Moſem data, per Spiritum gratia per Chriſtum collata intelligi debent: non autem per illam ſcriptur. ſacra, per iſtum interna reuelatio. Cum enim dixiſſet Paulus, [c] *Idoneos nos fecit miniſtros noui Teſtamenti, non literæ, ſed ſpiritus, litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat:*

[a] 2. *Corinth.* 3. *infr.*

[b] *Ioan.* 1. *verſ.* 17. νόμος διὰ μωσέως ἐδόθη, ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ιησοῦ χριστοῦ ἐγένετο. *Vide Aug. to.* 6. *lib.* 15. *contra Fauſtũ* 8.

[c] 2. *Corinth. ſup. v.* 6. ἱκάνωσεν ἡμᾶς διακόνους καινῆς διαθήκης, οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος, τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτέ-

νῦ, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ. v. 7. εἰ δὲ ἡ διακονία τῦ θανάτυ ἐν γεγλμμενοις ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις, ἐγενήθη ἐν δόξῃ· πῶς οὐχὶ μᾶλλον ἡ διακονία τῦ πνεύματος ἔσται ἐν δόξῃ.

continuò subiunxit. *Quod si ministratio mortis, literis deformata in lapidibus fuit in gloriâ, &c. quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloriâ?*

Dicitur autem litera, quia Moses deferendo legem, nihil præter tabulas scriptas attulit: Christus verò, nec scripsit, nec attulit scriptum, sed spiritum dilectionis.

[d] Origenes occidentem nuncupat legem, quando iuxta verborum proprietatem sumitur scriptura, spiritum verò, quando mysticè. Sed si velit omnia intelligenda mysticè, [e] aberrat: si autem ea quæ figurate dicuntur, non debere ad verbum accipi, rectè quidem dicit: sed minimè ad rem. Non enim Apostolus de figuris loquitur, sed de notissimis tabulæ præceptis.

[f] Chrysostom. legem occidentem dicit, quòd puniat, gratia liberet, sed non satisfacit. Nam sicut lex [g] improbis supplicia, sic & [h] probis præmia statuit.

Vera ergo sententia [i] D. Augustini est, dici occidentem & quòd cum impleri nequeat quodammodo facit præuaricatorem, cui datur [k] Rom. 4. & quòd ipsa prohibitio concupiscentiam augeat Rom. 7.[l] Ad vetus autem testamẽtum pertinere dicitur, non quòd vetus sanctissimis caruerit viris, aut quod nouum sine lege maneat: sed quia veteris testamenti [m] finis propriùs erat, hominem vulnere peccati saucium esse monere, vt inde timore & dolore concepto, quæreret medicum: finis [n] testamenti noui sanare, atque liberare, quod gratia præstat.

7. *Contra Celsum duob. aut circiter, foliis post initiũ.*

Hunc errorem explaudunt Epiph. ep. ad Ioannẽ Constantinopol. & in hæresi origenis Hieron. tom 2 epist. 61. Chrysost. to. 1. hom. 13 in Genes. Aug. to. 5. lib. 13. Ciu. 11.

Tom. 4. hom. 7. in 2. ad Corinth.

Deut. 27. a. v. 15. ad finem.

vt Lenit. 18. v. 5.

[i] *Tom. 3 li. de Spiritu, & litera cap. 4.* [k] *Vers. 15.* νόμος ὀργὴν κατεργάζεται, ὅπου γάρ ἐστι νόμος οὐδὲ παράβασις. *Lex iram operatur, vbi enim non est lex, nec præuaricatio.* [l] *Vers. 8.* ἀφορμὴν δὲ λαβοῦσα ἁμαρτία, διὰ τῆς ἐντολῆς κατειργάσατο ἐν ἐμοὶ πᾶσαν ἐπιθυμίαν. *Occasione accepta peccatum per mandatum, operatum est in me omnem concupiscentiam.* [m] *Rom. 3. vers. 20.* διὰ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας. *Per legem cognitio peccati. & cap. 7. vers. 7. Aug. tom. 2. epist. 200. Vtilitas legis est, vt hominem de suâ infirmitate conuincat,*

& gratiæ medicinam, quæ in Christo est implorare compellat. & de spir. & lit. cap. 3 initio. *Per legem cognitio peccati, per gratiam sanatio à vitio peccati.*

[n] *Rom. 7. vers. 24.* τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου. *Vers. 25.* εὐχαριστῶ τῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ. *Quis me liberabit de corpore mortis huius Gratia Dei (sine, vt in Græco Gratiæ ago) per Iesum Christ.*

Qui sint libri sacri.

CAP. IIII.

LIBRI sacri, in triplici sunt ordine. Primi ordinis sunt, de quorum authoritate, nusquam fuit dubium inter Catholicos: scilicet Pantatenchus Mosis, liber Iosue, Iudicum, Ruth, Regum quatuor, duo Paralipomenon, Esdræ & Nehemiæ duo, Iob, Psalterium centum & quinquaginta Psalmorum, Prouerbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum: Prophetæ maiores quatuor, duodecim minores, Euangeliorum libri quatuor, Acta Apostolorum, Pauli epistolæ tredecim, Prima Petri, & prima Ioannis: ita enim omnes [a] Patres atque [b] Concilia qui sacros libros studuerunt enumerare: Secundi ordinis sunt, qui etsi reuera prophetici, & Apostolici, non tamen æquè semper habuerunt authoritatem, scilicet Hester, Baruch, Danielis pars quædam, Tobias, Iudith, Sapientia, Ecclesiasticus, Machabæorum primus, & secundus Marci, Lucæ, & Ioannis nonnullæ partes, Epistola ad Hebræos, Epistola Iacobi, Petri posterior, particula primæ Ioannis, secunda, & tertia eiusdem, Epistola Iudæ, & Apocalypsis. Tertij ordinis sunt, qui etsi à clarissimis viris adscripti in numerum diuinorum librorum, publico tamen Ecclesiæ iudicio nusquam probati fuêre, de quibus hæc extant. Oratio Manassæ, ter-

[a] *Origen. apud Euseb. 6. histor. 19. Athan. in Synops. Nazianz. car. de genuinis scriptur. Epiph. lib. de pond. & mensuris. Damasc. 4. de fide 18. Ex Latinis. Hier. in prolog. Galeato vbi veteris Test. solum meminit. epist. verò ad Paulinum, de studio sacr. noui etiam. Melito apud Euseb. 4. hist. 26. veteris tantum. Euseb. ipse 3. cap. 10. Noui.*

[b] *Laodicen. can. 59. Carth. 3. can. 47. florent. in instr. Armen. iuxta summam Concil. Trident. sess. 4.*

tius, & quartus Esdræ, item tertius & quartus Machabæorum, & Psalmus centesimus quinquagesimus primus, Appendix libri Iob, & Hermetis liber qui Pastor dicitur.

De Hæresibus quæ libros Testamenti veteris primi ordinis oppugnarunt.

Cap. V.

PRIMA,[a] est Marcionitarum, qui libros omnes veteris Testamenti reiiciebant, quos assererent eos à malo Deo dictatos.

Hanc hæresim refellunt[b] Epipha. & [c] Augustinus (quidem nouum Testamentum (quod illi venerabantur) multa profert[d] testimonia ad laudem antiqui.

Secunda[e], Ptolomæi cuiusdam, legem in tres diuidentis partes: quarum vnam opifici mundi (id est medio sibi numini inter verum Deum, atque diabolum) alteram Mosi, tertiam Senioribus tribuit. Cum tamen[f] Zacharias testatus fuerit: *Dominum Deum Israel loquutum, per os sanctorum prophetarum, qui a sæculo sunt.*

Tertia, est[g] Theodori Mopsuestiæ docentis, prophetas nihil de Christo dixisse, contra Petrum Actorum[h] decimo: *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, &c.*

Quarta (quæ[i] Nicolaitis ascribitur) repudiat Dauidicos Psalmos, vt cantus prophanos. Sed

[a] *Apud Irenæum lib. 1. cap. 29. eundē errorē sequuti sunt Manichæi, apud Epiph. hæresib. 66. Bogomiles apud Euthymium. p. 2. panopliæ tit. 23. cap. 1. Albigeus apud Antonin. p. 4. tit. 11. cap 7.*

Quindecim verò Anabaptistæ prædicantes in colloquio Franckental vetus testamentum, esse tantum admittendū quatenus cum nouo concordat asseruerunt.

[b] *Hæresi Manich. scil. 66.*

[c] *Passim in libris contra Faustum, & contra aduersarium legis & prophetarum. tom. 6.*

[d] *Luce 24. vers. 44. Rom. 1. vers. 2. ad Galat. 4. vers. 22. ad finē Heb. 1. v. 1.*

[e] *Apud Epiph. hæres. 33.* [f] *Luc. 1. v. 68.* [g] *Vt intelligi potest, ex fragmentis eius commentariorum, quæ in quinta Synod. collat. 4. habentur.*

[h] *V. 43. Τούτῳ πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν.* [i] *à Philastr. in cat. hær. c. 127.*

diſertè Chriſtus Matthæi [k] vigeſimo ſecundo, Dauidem loquutum in Spiritu ſancto, aſſeruit.

Quinta Hebræorum, quorum [l] alij nec quidem ipſum Iob vixiſſe affirmant: [m] alij impatiẽtiæ, [n] alij negationis prouidentiæ diuinæ, ac reſurrectionis arguunt. [o] Martinus Lutherus affirmat ſe non omnia credere, vt geſta narrantur de Iob, ſed eſſe veluti argumentum fabulæ, ad proponendum patientiæ typum. At teſtis aduerſus ipſos ſit Dominus apud [p] Ezechielem: *ſi fuerint* (inquit) *in medio Noe, Daniel, & Iob, ipſi in iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas.* Vt omittamus teſtimonium dumtaxat, [q] Tobiæ ſecundo: item Iacobi [r] & Pauli. [s]

Sexta, [t] reſpuit Eccleſiaſten, tanquam a Salomone editum, mulierum amore corrupto. Sed grauiſſimè loqui in eo libro Salomonem, docet exordium, [v] *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, &c.* Medium: [x] *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum conuiuij, &c.* ac denique finis. [y] *Deum time, & mandata eius obſerua, hoc eſt omnis homo, &c.* Quod ſi interdum edendi, ac bibendi mentionem faciat: vel id dicit ex vulgi calculo, vel vt carpat auaros: quare nec dum erat amore corruptus. Nam & libri eius recenſentur in [z] ſcripturis ante [a] amores, & ipſe [b] capite ſecundo, docet Sapiẽtiam vſquedũ perſeueraſſe cũ eo: & cùm [c] enumeret omnia ſua delicata, nec meminit quidem vxorũ, aut concubinarũ.

Septima, [d] Canticorum Cantica reiicit, tanquam nihil aliud continentia, quam amatorios ſermones Salomonis, & vxoris eius. Sed ſi ita eſſet, quam ineptiſſimè iſta dicerentur [e]: *Vineam meam non cuſtodiui, &c.* [f] *Inuenerunt me cuſtodes, &c.*

[k] *Verſ.* 43.
[l] *in Thalmud. ord.* 4. *tract.* 3.
[m] *vt Rabbi Salomon.*
[n] *vt R. Leui ben-Gerſon.*
[o] *In conuiuialibus ſermon. titul. de Patriarch. & proph.*
[p] *Ezech.* 14. *verſ.* 14.16.18.20.
[q] *Verſ.* 15.
[r] *cap.* 5. *verſ.* 11.
[s] *qui.* 1. *Corinth.* 3. *v.* 19. *citat verſum* 13. *ex* 5. *Iob.*
[t] *apud Philaſt. in catalog. c.* 132. *& Iacobum Chriſtopolitanum præfat. comment. in Cant.*
[v] *cap.* 1. *verſ.* 2.
[x] *cap.* 7. *verſ* 3 *ac deinceps, & capit.* 5. *verſ* 1. *cap.* 8. *v.* 11.
[y] *cap.* 12. *verſ.* 13. *& cap.* 11. *verſ.* 10.
[z] 3. *Reg.* 4. *verſ.* 32. *& 33 ac Eccl.* 47.
[a] 3. *Reg.* 11.
[b] *Verſu* 9. Sapiẽtia quoq; (*inquit*) perſeuerauit mecũ.
[c] *cap.* 2. *v.* 4. 5. 6. 7. 8. *Niſi velis dicere cũ Hier. in cap.* 43. *Ezech. tom.* 3. *egiſſe Salomonẽ pœnitentiam: atque hunc librũ poſtea ſcripſiſſe, nam & Hier. ibi putat poſtea ſcripſiſſe prouerbia.*
[d] *apud Philaſtr. ca.* 133. *& Iacob Chriſtoph. ſup.*
[e] *cap.* 1. *verſ.* 5.
[f] *cap.* 5. *verſ.* 7.

Deinde quæ esset mulier ista, cuius vt [g] Carmelus caput, [h] nasus vt turris, sicut piscinæ oculi, [i] dentes vt ouium greges, ipsa verò [k] nigra? verum quidem est, nullum in hoc libro inueniri nomen [l] eorum quæ aliàs passim in scriptura de Deo dicuntur: quòd instar sponsi se gerat in isto Cantico Deus, & proinde abstinuerit ab omni nomine timorem incutiente.

Octaua, [m] est Porphyrij asserentis librum, qui Danielis dicitur, ab alio scriptum, Antiochi Epiphanis tempore, ac proinde præterita narrasse vsque ad Antiochum: si quæ verò narrauit postea, mentitum fuisse, quod nescierit futura. Sed Alexandro magno qui amplius centum, & quadraginta annis Antiochum præcessit, oblatum fuisse Danielis librum, patet ex [n] Iosepho: hunc librum mendacia nulla continere, facilè constabit euoluenti diligenter libros, quos Hieronymus legendos monet, [o] præfatione, commentar. in Daniel.

[g] *cap. 7. vers. 5.*
[h] *sup. vers. 4.*
[i] *cap. 4 vers. 2. & cap. 6 vers. 5.*
[k] *cap. 1. v. 4. & 5.*
[l] *de quibus Hiero. tom. 3 epist. 136. ad Marcellam.*
[m] *apud Hieronym. præfat. comment. in Daniel. tom. 4.*
[n] *Antiq. 11. cap. 8. vltra medium.*
[o] *supra.*

De Hæresibus in libros Testamenti noui, primi ordinis.

CAP. VI.

PRIMA huius generis omnia reiicit Euangelia: cuius sectatores alij, volunt ea fuisse conscripta ab impostoribus, & non Apostolis, siue discipulis Christi, ita [a] Faustus Manichæus. Alij, etsi fuerint à discipulis edita, multa tamen illos falsa miscuisse vel in gloriam Domini, vel errore humano deceptos: ita [b] Iulianus Apostata, & [c] omnes Ethnici. Vtrosque Augustinus refellit: priores tùm quia ipsi [d] Manichæi errores suos ex Euan-

[a] *apud August. 32. cap. 1. & 33. cap. 3. contra Faustum.*
[b] *apud Cyrill. 10. in Iulianum.*
[c] *apud August. 1. de consensu Euangelist. cap. 7. tom. 4. ad quod referri debet quæ dumtaxat, 2. Retract. 16. to. 1.*
[d] *32. contr. Faustum 16.*

gelio confirmare volebant, tum [c] quia si tam clarâ tot sæculorum continuatione, non satis probantur Euangelia esse Apostolorum, peribit etiam omnium literarum, & librorum fides. Vnde enim aliàs constabit (verbi gratiâ) genuinos esse Hippocratis libros, aut Aristotelis? [f] Posteriores, tùm quia, si de Pythagorâ atque de Socrate, discipulis creditur, quidni & de Christo, discipulis eius? tùm quia fatentur ipsi Christum fuisse sapientissimum: at vnde nouerunt nisi ab Euangelio? si Magistri gloriam narrare studuissent Euangelistæ, certè passionis ignominias breuiter, Resurrectionis, & Ascensionis gloriam longissimè texere debebant, quod tamen minimè fecerunt.

[g] Secunda, ex Euangelistis Ioannem respuit.

[h] Tertia, vnicum probat Matthæum, sicut [i] Quarta, tantummodò Marcum, & [k] Quinta, solum Lucam, eúmque mutilum.

[l] Sexta, solum Ioannem recipit. Has quinque hæreses refutarunt [m] Irenæus, [n] Tertullianus, [o] Ambrosius, atque [p] Augustinus. Quid enim aliud quam Euangelistas, quatuor, significant illa quatuor animalia Ezechieli, & Ioanni ostensa?

[q] Septima reiicit Apostolorum Acta, & [r] Octaua Paulum: [s] Nona Epistolas ad Titum, atque Timotheum: è cæteris verò, quod sibi vult delet. Has tres refellit Petrus Cluniacensis epistolâ priore aduersus Petrobrusianos, & Henricianos.

[c] *Augustſupr. & 21. capit. lib. eiusd. vbi probat Manichæis hinc sequi nec eos habere vera Manichæi scripta, item 33. cap. 6.*

[f] *De consens. Euangel. cap. 7. & 8.*

[g] *Alogianorum, siue Alogorum apud Epiph. hæres. 51. & Augustde hæres. ad quod vult Deum, hæres. 30. tom. 6.*

[h] *Ebionitarũ apud S. Iren. 1. cap. 26. Euseb. 3. histor. 21. & Epiph. hæres. 30.*

[i] *Hanc Iren. 3. c. 11. ait eorum esse, qui separant Iesum à Christo, qui fuit error Cherinti apud Iren. 1. cap. 25.*

[k] *Marcionis apud Iren. 3. sup. & Tertull. 4. in Marcionẽ ad paginam 1. & 2.*

[l] *Valentini apud Iren. sup. in quam*

valdè propendit Lutherus præfat. in nouum Testament.

[m] *3. cap. 11.*

[n] *supra.* [o] *præfat. comment. in Lucam, & lib. 10. in illud 23. Lucæ diuidentes vero vestimenta, &c.* [p] *1. de cons. Euang. 6. item Hiero. præfat. comment. in Matthæum, tom. 6.* [q] *Cerdonis apud Tertull. de præscripti. paulò ante finẽ. Tatianorum & Seuerianorum apud Euseb. 4. hist. 27. & Manichæorum apud Augustde vtilit. credendi. cap. 3. tom. 6.* [r] *Ebionis apud Irenæ. 1. 26.*

[s] *Marcionis & Basilidis apud Hieron. præf. comm. epist. ad Titum tom. 6.*

[t] *Anomœorũ apud Epiph. ad finem hæres. 76. & quorundam apud Hier. præfat. comment. in epist. ad Philem. to. 6. & Erasmi annotat. ad 2. & 27. Matthæi.*

[v] *Epist. 8. quæ est ad Hieron. tom. 2.*

[t] Postrema eorum est, qui in ipsis literis sacris volunt irrepsisse aliqua, solâ prudentiâ humanâ: nec metuendum esse (vt ait Erasmus) ne totius scripturæ authoritas corruat, si leuis error aliquis in eâ deprehendatur: præsertim cùm Euangelistas interdum memoriâ lapsos dicat Augustinus, tertio de consensu Euang. cap. tertio. Hanc hæresim refellit [v] Augustinus ipse. *Nam admisso* (inquit) *in tantum authoritatis fastigium aliquo mendacio, nulla particula horum librorum manebit, quæ non possit in dubium reuocari.* Quare falsum est quod ait ex Augustino Erasmus, ita enim loquitur Augustinus, loco ab Erasmo citato. *Cum igitur, & quæ dicta sunt per Hieremiam tam sint Zachariæ quam Hieremiæ, & quæ dicta sunt per Zachariam tam sint Hieremiæ quam Zachariæ, quid opus erat, vt emendaret Matthæus, cum aliud pro alio sibi nomen occurrens à se scriptum relegisset, ac non potius sequens authoritatem Spiritus sancti, ita hoc scriptum reliqueret, sicut eum admonendo, ei constituerat Dominus, &c.*

De libro Esther.

CAP. VII.

[a] *apud Euseb. 4. histor. 15.*

[b] *in Synopsi.*

[c] *Carmine de genuinis scripturis.*

[d] *Videtur huius opinion. Hierony. vt colligitur ex præfat. in Esther & annotat. ad hæc 7. c. quamuis his locis id non satis appareat: solùm. n. ait non haberi in Hebræo, nec ab aliquo interpr. Est autem huius opi. Lyranus Dionys. Carth. Thomas à vio Cardinalis comment. in hunc librum, & post Concil. Trident. Sixtus Senensis li. 8. Bibliotheca ad obiect. Anabaptist. de libro Hester.*

MELITO [a] Asianus, [b] Athanasius, & [c] Nazianzenus librum Esther extra canonem: [d] Alij nonnulli intra reponunt, sed expungunt septem postrema capita quod non habeantur in Hebræo textu.

Verùm, exceptis his tribus patribus, alij omnes

librum Hester canonicum volunt. Septem verò postrema capita ad canonem etiam spectare probatur. Primò, quando concilia [e] antiqua, veteresq; [f] Græci, & [g] Latini PP. inter libros sacros Esther annumerant, loquuntur de illo volumine, quo ipsi, & vniuersa Ecclesia eo tempore vtebatur, scilicet iuxta editionem quam Hieronymus vulgatam [h] appellat, quæ linguâ, & literis Græcorũ continebatur. At in ea editione nõ desunt illa septem capita, vt constat ex textu Græco septuaginta, [i] Athanasio atque [k] Hieronymo.

Secundò, ex ipsis septem capitibus non rarò [l] PP testimonia petunt.

Tertiò, ita [m] definiuit Concilium Tridentinum: & ne alicuibus daretur errandi occasio, adiunxit: *Cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt.* At quis nesciat feriâ quartâ post Dominicam secundam quadragesimæ, lectionem in Missa decantari ex decimo tertio Esther?

Obiiciunt tamen primò, hæc ipsa capita in Hebræo non haberi.

Respondeo probabile esse aliquando fuisse, deinde casu excidisse, Iosephus siquidem (qui ex Hebræo sumpsit) narrans historiam Esther, non [n] prætermittit Epistolas Assueri, & orationem Mardochæi, quæ tamen nunc in Hebræo non extant.

Deinde fieri potuit, vt primò quidem fuerit hæc historia summatim Hebraicè conscripta, postea verò copiosius sermone eodem, translatâ [o] a Lysimacho: prioris editionis librum Hebraicè, posterioris verò solam translationem ad nos peruenisse.

Secundò, narrantur [p] cap. secundo insidiæ Eunuchorum duorum, & earum detectio factæ anno Assueri [q] septimo, ac cap. sexto [r] additur, nihil mercedis accepisse Mardochæum insidia-

[q] *Vers. 16.* [r] *Vers. 3.*

[e] *Laodicen. cap. 59. Carthag. 3. can. 47.*

[f] *Cyrill. catech. 4. Damasc. 4 fid. 18.*

[g] *Hilar. in 1. Psal. Innocent. epist. 3. Ruffin. in Symbolo tom. 9. oper. D. Hieron. Aug. de docti. Christ. 2 c. 8. tom. 3.*

[h] *Præf. in Esther & ann. ad primum ex 7. capitib.*

[i] *in Synopsi cum summam, & primas sententias singulorum librorum ponit.*

[k] *In sua translatione ad septem illa capita.*

[l] *Chrysost. hom. 3. ad popul. Antioch. tom. 5. Aug. epist. 199. ad Ediciam. Vide Origenem in epist. ad Iulium African.*

[m] *sess. 4 decreto de canon. scripturis.*

[n] *11. Antiq 6.*

[o] *Regnante in Aegypto Ptolomæo Epiphane, & Cleopatra vt satis elucet ex cap. 11. Esther.*

[p] *v. 21. & 22.*

rum patefactorem. At cap. [s] vndecimo & duodecimo dicuntur factæ anno Assueri secundo, [t] datis pro delatione munctibus: quæ inter se non satis cohærent.

Rep. ex septem capitib. illis postremis, quædam ad initium, quædam ad medium, quædam ad finem libri pertinere, vt patet ex codicibus Græcis, cap. duodecimum, ad initium libri pertinens, insidias per anticipationem narrat, quæ secundo cap. vt suo loco, describuntur: paratæque fuerunt anno Assueri septimo. Quare illa verba cap. vndec. *Anno secundo regnãte Artaxerxe*, tantum extendenda sunt ad Mardochæi somnium, ante connubium Esther cum Assuero, descriptum eod. cap. Etsi verò non acceperit Mardochæus mercedem, dum annales coram Rege legerentur cap. sexto, copiosam tamen accepit postea, vt dicitur eod. cap.

Dices, si hæc narratio per anticipationem est, cur sequitur in Græco: *Et factum est post hæc, in diebus Artaxerxis, &c.* describitur enim conuiuiũ regis anno tertio regni, & indicat scriptura illud celebratum post insidiarum detectionem, quas diximus anno septimo factas. Respond. illa verba. *Post hæc, &c.* non referri ad ea quæ dicta sunt per anticipationem, sed ad Mardoch. somnium suo loco narratum.

Tertiò obiiciunt, dici cap. decimo [v] sexto *Aman gente, & animo Macedonem voluisse* [x] *Persarum regnum ad Macedonas transferre*: vnde colligitur Esther historiam incidisse in vltima regum Persarum tempora, quando scilicet florere cœperunt suspectæ Persis Macedonum vires, id autem contigit [y] ad patris Alexand. Magni vigesimum annum. Ochi regis Persarum [z] vigesimum tertium, nullo modo coniugis Esther, cuius historia contigit ad [a] duodecimum annum cuiusdam regis Persar. Assueri nomine. Nec Arses Ochi successor, quia quatuor tantum

[s] *v.* 2.
[t] *cap.* 12. *v.* 5.

[v] *v.* 10.
[x] *v.* 14.

[y] *teste Diodoro lib.* 16.
[z] *ex Eusebio in Chronico.*
[a] *cap.* 3. *Esth. v.* 7.

regnauit annis, nec huius ſucceſſor Darius, qui ſex. Ergo ſi fides ſit huic decimo ſexto capiti, ruet hiſtoria Eſther. Maximè cum ſequeretur Mardochæum ferè ad trecentos ſuperuixiſſe annos, [b] fuit enim cum Iechoniâ tranſlatus, aliquos habuit annos ante tranſmigrationem, manſiſſet & in captiuitate annis ſeptuaginta, a quibus, ſcilicet ab initio Cyri, ad finem Ochi numerantur ducenti, & viginti anni. Eſther quoque, etſi detur centum annis ferè iunior Mardochæo, tamen ducentos circiter fuiſſet annorum cum pulcherrima dicitur.

[c] Quidam vt hoc dubium ſoluant, Aſſuerum Eſther faciunt [d] patrem Darij Medi, de quo Daniel 9. [e] ſed maritus Eſther paſſim Artaxerxes Rexque [f] Perſarum nominatur, cuius regnũ [g] ab Indiâ Æthiopiã vſque: cuius [h] Suſa Regia erat, quæ minimè quadrant in reges Medorum, ante Monarchiam Cyri. [i] Alij volunt fuiſſe Cambyſem. Sed hic tantum [k] ſex, aut [l] ſeptem regnauit annis, [m] toto ſuo tempore proſecutus Iudæos odio. [n] Alij Darium Hyſtaſpis ſuccеſſorem Cambyſ. Sed eius vxores ait [o] Herodot. fuiſſe filias Cyri Toſſam, & Artyſtonã quarum neutra Eſther eſt.

Alij [p] Artaxercem Mnemon. Sed [q] Ioſephus teſtatur libros poſt Artaxercem longimanum ſcriptos, non haberi canonicos apud Hebræos, Mnemon, verò poſt Longimanum regnauit. Deinde Mnemon duas habuit [r] vxores, Statiram quæ regina obijt, & proinde nec fuit Vaſthi, & Atoſſam filiam ſuam, & proinde non Eſther.

[b] *cap 2. Eſther. v. 6. & cap 11. v. 3.*
[c] *Melchior Cano. lib 11. de locis cap 6. Gerardus mercator in chronolog.*
[d] *ante ſolutionem captiuitatis.*
[e] *v. 1.*
[f] *cap. 16. Eſther.*
[g] *cap. 1. 13. & 16. v. 1.*
[h] *cap. 1. v. 2. quod in ea reges morarentur. Solinus cap. 58. & Plutarch. in Artaxerce. Perſepolis item Regia, teſte Q. Curtio lib. 4. ſed quod in ea gaza & ſepulchra regũ eſſent, vt aduertit Strabo li. 15. pag. 6. editione in octauo.*
[i] *Iudæi in* סדר עולם *ſeder golam, id eſt, ordo ſæculi, & Genebrar. in chronol.*
[k] *Herodot. lib 3. ante medium.* [l] *Ioſephus 11. antiq. 3.* [m] *Vt patet ex 1. Eſdræ.* [n] *Ioannes Carion in Chronolog. & Ioann. Benedictus annotat. marginalib. ad lib. Eſther.* [o] *ſupr. ad medium [qui etiam Parmin filiam Smerdi, & Phedimã filiam Octauis vxores Darij facit.]*
[p] *Euſeb. in Chronico Beda de 6. ætatibus.* [q] *1. Contra Appionem. verſus initium, ad vnum aut alterum folium.* [r] *Plutarch. in Artaxer.*

Est ergo sententia probabilis, Artaxercem Longimanum fuisse maritum Esther: ita enim [s] Iosephus, qui res Hebraicas maximè callebat: nec aduersus hanc opinionem argumenta contra alias quidquam concludunt. Porrò superasset Mardochæus [t] annum centesimum sexagesimum quintum, quod non est incredibile, cum longè postea [v] Paulus eremita, centum & decimum quintum attigerit. Nisi velis ideò dici translatum Mardoch. cum Iechoniâ, non quasi iam natum, sed quòd in lumbis patris sui lateret: sicut Genesis [x] quadragesimo-sexto dicuntur septuaginta animæ in Ægyptũ intrasse, cum quibus comprehenduntur [y] duo filij Ioseph, qui tamen in Ægypto [z] nati sunt.

[s] 11. *antiq.* 6.
[t] *Nam ab initio captiuit. ad Longimanum sunt* 165. *anni.*
[v] *Hieron. in vita Pauli tom.* 1.
[x] *Vers.* 27.
[y] *Vers.* 20.
[z] *Vers.* 20. *&* 27.

[a] 1. *de Scripturis & dogmatib. Eccles. iast. cap. vltimo ad argum. vlt.*
[b] 3. *Instit.* 20. 58.
[c] *in Examine* 4. *sess. Concil. Trid.*
[d] *supr.*
[e] 2. *contra Iudæos* 5. *& serm. de orat. Dominica post vnã pagin. citat illud Baruch vlt. v.* 5. *tibi debet adorari Deus, tanquam ex Hieremiâ.*
[f] 10. *in Iulianum.*
[g] 2. *Pædago.* 3.
[h] 1. *de fide* 2. *ad finem.*
[i] *Qui totum librũ exponit vocatque diuinam scripturam cap.* 1.
[k] 6. *Demonstr.* 19 *mit.* 2. *&* 3. *Sixtus Senens. Bibl. lib.* 4. *Tostat. in* 1. *Esdræ cap.* 7. *q.* 1. *Hieron. in Daniel. cap.* 9. *Epiphan. de ponder. & mens. Rupert. lib.* 1. *de diuin. Offic. cap.* 38. *Isidor. lib.* 6. *Etymol. cap.* 2. *Beda in Esdram cap.* 7. *Strabo lib. de rebus Eccles. cap.* 2. *Rabanus lib.* 1. *de Instit. Cleric. cap.* 14. *Hugo de S. Victore lib.* 2. *de Sacram. part.* 2. *cap.* 1. *Richard. de S. Victore lib.* 1. *de Contemplat. cap.* 6. *Lyranus in Esdram cap.* 7. *Antonin. part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 2. *§.* 1. *Paulus Burgens. in Additionib. ad Lyran. in Esdram cap.* 7. *Abulens. in Esdram cap.* 7. *q.* 1. *Dionys. Carthus. in Esdram cap.* 7. *Ioannes Driedo lib.* 1. *de Scripturis & dogmatib. Eccles. cap.* 12. *Caluin. in Harmon. Euangel. in Esdram cap.* 7. *Kemnitius in Examine* 4. *part. Concil. Trid. Iunius in Esdram cap.* 7. *Sixtus Senens. Bibl. lib.* 4. *Tostat. in* 1. *Esdræ cap.* 7. *q.* 1. *Hieron. in Daniel. cap.* 9. *Epiphan. de ponder. & mens. Rupert. lib.* 1. *de diuin. Offic. cap.* 38. *Isidor. lib.* 6. *Etymol. cap.* 2. *Beda in Esdram cap.* 7. *Strabo lib. de rebus Eccles. cap.* 2. *Rabanus lib.* 1. *de Instit. Cleric. cap.* 14. *Hugo de S. Victore lib.* 2. *de Sacram. part.* 2. *cap.* 1. *Richard. de S. Victore lib.* 1. *de Contemplat. cap.* 6. *Lyranus in Esdram cap.* 7. *Antonin. part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 2. *§.* 1. *Paulus Burgens. in Additionib. ad Lyran. in Esdram cap.* 7. *Abulens. in Esdram cap.* 7. *q.* 1. *Dionys. Carthus. in Esdram cap.* 7. *Ioannes Driedo lib.* 1. *de Scripturis & dogmatib. Eccles. cap.* 12. *Caluin. in Harmon. Euangel. in Esdram cap.* 7. *Kemnitius in Examine* 4. *part. Concil. Trid. Iunius in Esdram cap.* 7.

De libro Baruch.

CAP. VIII.

QVOD apud antiquos, qui catalogum sacrorum librorum texuerunt non habeatur distinctè Baruch, ideò [a] Ioannes Driedo ex Catholicis, [b] Caluin & [c] Kemnitius ex Hæreticis, hunc non canonicum dixerunt. At pro canonico habetur à [d] Concil. Trident. eumque vt sacrum citarunt [e] Cyprian. [f] Cyrill. [g] Clemens Alexandr. [h] Ambros. [i] Theodor. [k] Euseb à multisque [l] PP. producitur sub Hieremiæ nomine, quod sit velut pars voluminis eius: quæ causa fuerit vt non distinctè ab antiquis in canone reponeretur.

[l] *Basil.* 4. *in Eunomi. non procul a fine. Ambr.* 1. *de pœnit.* 2. *&* 3. *Sixtus Papa epist. ad omnes fideles. Fœlix* 4. *ad Petrum Antioch. &c.*

De quibuſdam Danielis partibus.

CAP. IX.

TRIVM puerorum Hymnum Danielis tertio, Hiſtoriam Suſannæ decimo tertio, & draconis interfecti decimo quarto, nihil Iudæi [a] faciunt. Ex Hæreticis [b] Kemnitius, & Anabaptiſtæ, ex Catholicis [c] Iulianus African. & [d] Driedo, ex ſemichriſtianis [e] Eraſmus Suſannæ hiſtoriam, vt adulterinam reiiciunt. At [f] Concil. Trident. iubet recipi ſacros libros cũ omnibus ſuis partibus, prout legi conſueuerunt in Eccleſia, [g] Hymnum autem puerorum, & hiſtoriam Suſannæ [h] legit, ac meminit [i] draconis huiuſmodi, in officio diuino. Deinde citatur hiſtoria Suſannæ ab [k] Ignatio, & [l] Tertuliano: Hymnus pueror. à [m] Cyprian. qui etiam decimi quarti [n] capitis meminit & [o] prandij Abachuc. Deinde in vulgatâ editione Græcâ, quâ Eccleſia tũc vtebatur, hæc omnia habentur: probabile eſt autem poni Danielem in canone ab antiquis, iuxta hanc editionem. Obiiciunt Primò. [p] Hierony. has docere partes nullius eſſe authoritatis, imò hiſtoriam Suſannæ, & Draconis fabulam vocaſſe.

Reſp. Non quod ſentiret, ſed quod Iudæi, dixiſſe, vt patet ex Apolog. 2. in [q] Ruffin. vocauit autem fabulam, vel quod à Iudæis habeatur, vel quod idem ſit fabula, ac quæcunque narratio, etiam rei geſtæ, iuſta illud: [r] *Et factum eſt dum*

[a] *teſte Hierony. præf. in Daniel.*
[b] *ſupr.*
[c] *apud Euſe. 6. cap. 23. aliàs 24.*
[d] *ſup. cap. vlt.*
[e] *in ſcholiis ſuper præfat. Hierony. in Daniel.*
[f] *ſupra.*
[g] *in Miſſa Sabbathi 4. tempor. & Dominica ad laudes.*
[h] *Sabbath. ante Domin. 4. Quadr.*
[i] *in Miſſa feriæ 3. poſt Dominic. paſ.*
[k] *ep. ad Magneſianos Verſ. initium.*
[l] *de corona militis, poſt vnã paginam. Chryſoſt. ſerm. de Suſanna to. 1. ad finem, Ambr. 3. de S. 7.*
[m] *ſer. de lapſis vnâ p. vel circa, ante finẽ Baſil de S. cap. 30. Auguſt. de natura boni. 16. tom. 6.*

[n] *4. ep. 6. circa medium.* [o] *ſerm. de orat Dominic. poſt medium, de iis omnibus Athanaſ. in Synopſ. ad Danielem.* [p] *præfat. in Daniel. & præf. comment. in eundem lo. 7.* [q] *circa finem tom. 2.*
[r] *Luc. 24. Verſ. 15.* καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ὁμιλεῖν αὐτούς.

[f] *Daniel 1.v.1.*
[t] *sup. an.3. Regni Daniel.*
[u] *supr. nempè captiuitatis tempus. Cyri enim 1.anno liberatus est populus 1. Esdr.1.v 1.*
[x] *Ezech. 1. vers.2.*
[y] *Vers.14.cap.14.*
[z] *Narratur ca. 14. & proinde finis superioris capitis debet esse principium sequentis.*
[a] *Ita respondet Hieron. 1. In Iouinian ad medium to.2.*
[b] *Nam vt ibid Hieron. ostendit, puer erat Daniel cum hæc ad Ezechielem dicta sunt.*
[c] *Vers 39.*
[d] *Non est improbabile non eundem esse Daniel, vtroque in loco: Nam 70. habent hunc posteriorem fuisse de tribu Leui, vt etiam annotat Hieron. in Daniel prior verò erat de tribu Iuda Daniel 1.v.6.*
[e] *Cap. 13.*
[f] *Vers.54. & 55.*
[g] *v.58. & 59.*

fabularentur, & secum quærerent.

Secundò, historia Susannæ dicitur contigisse initio Cyri, sic enim cap. 13. concluditur: *Et Rex Astiages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius:* quo tempore senex erat Daniel. [s] Translatus est enim cum [t] Ioakim à Nabucodonosor: à quo tempore vsque ad Cyrum [u] fluunt septuaginta anni, & tamen in historiâ Susannæ puer introducitur: Imò videtur defunctus sub Nabucodonosor. Nam Ezechiel qui [x] prophetauit illo regnante, Danielis meminit, vt eius qui habuerit filios, & iam defuncti, cum ait: [y] *Si fuerint tres viri isti Noë, Daniel, & Iob, &c.* Resp. Historiam Susannæ contigisse longè ante Cyrum, cum puer esset Daniel, poniturque meritò initio libri à Græcis. Verba autem illa: *Et Rex Astiages*, ad aliam historiam spectant, nimirum draconis [z] Beli, quæ sub Cyro accidit. Ezechiel [a] verò Danielis meminit, sed viui, eumque ideò annumerat inter grauissimos viros, quòd notus populo esset, ob liberationem Susannæ, & somniorum Interpretat. Ex [b] Hypothesi etiam loquitur Ezechiel ac si Daniel habuisset filios, quòd & si habuisset, non tamen eos dumtaxat liberasset.

Tertiò, cap.14. missus Daniel in lacum leonum, ibid. fuisse [c] dicitur sex diebus, cap. eo 6. vna tantum nocte. Resp. [d] bis missum in lacū leonum, semel à Dario Medo, ob adoratum Deum, contra præceptum regis, iuxta cap. 6. & rursus à Cyro, ob interfectum Draconem iuxta cap. 4.

Quartò, nulla fieri potuit in Hebræo alluſio, quæ fit in [e] Græco, a [f] Schino ad secandi, & a [g] prinò ad secandi actionē: πίνος enim est arbor, & πίζειν scindere: πίνος item arbor πείζειν secare. At Hebraice secare, scindere, findere, dicitur שסע *Scasag* שסף *Scasaph* מלק *Malak* בקע *Baag* פרק *parak* פלח *Palach* פרס *paras*. Et primum nos quidem ilicem dicimus, illi תרנה *thirnah*.

Respon-

Respondeo, [h] cum Origine Danielem neque lentiscum dixisse, neque ilicem: sed aliquid nobis ignotum, qui tamen responderet, iuxta proprietatem [i] linguæ, aliquod verbum secandi. Interpretem verò respexisse ad sensum, & vt allusionem seruaret alias accepisse arbores.

[h] *Epist. ad Iulium African. pag. ante finem.*

[i] *quâ vsus est Daniel siue Hebraicâ, siue Chaldaicâ.*

De libro Tobiæ, Iudith, Sapientiæ, Ecclesiastici & Machabæorum.

CAP. X.

HOs libros non solum [a] Iudæi, sed [b] neoterici hæretici reiiciunt. Et si enim Kemnitius eos fateatur sanctos, & bonos, negat tamen ex ijs firma duci posse argumenta: de ipsis ergo primò, vniuersaliter agendum: deinde seorsum. Esse igitur infallibilis veritatis probatur inde, quòd vna cum cæteris infallibilis veritatis illos posuerint in canone [c] Concilium Carthaginense tertium, & Tridentinum sessione quarta, [d] Innocentius primus, [e] Gelasius, [f] August. [g] Isidorus [h] Cassiodorus, [i] & Rabanus.

Respondet [k] Kemnitius inter canonicos libros, alios esse veritatis infallibilis, alios non: tum quia [l] Augustinus inter canonicos libros, eos proponendos esse ait, qui ab omnibus recipiuntur: tum quòd Hieronym. in Galeato prologo dicat libros canonicos in legem diuidi, prophetas, & hagiographa: præfatione verò in Tobiam, & Iudith docet vtrumque librum inter hagiographa deputari. At præfatione in Prouerbia docet, libros quorũ est quæstio, non valere ad dogmata Ecclesiastica confirmanda. Sed Augustinus nusquam dubitauit omnes ca-

[a] *teste Hieron. in prolog. Galeato ad finem.*

[b] *Magdeburgenses lib. 2. Centuriæ primæ cap. 4. col. 51. Ioan. Brentius in confess. VVitembergica cap. de script. sacrâ Caluinus 1. Instit. 11 §. 8 lib. Sapient. 1. cap. 5 §. 18. Eccles. 3. ca. 5. §. 8. lib. Machab. in antid. sess. 4. Trid. Concil. Tobiam & Iudith reiicere videtur.*

[c] *Can. 47.*

[d] *Epi. ad Exuperium.*

[e] *Decreto de lib. sacris.*

[f] *2. de doctr. 8.*

[g] *6. Etymol. 1.*

[h] *1. diuinarum lectionum.*

[i] *2. de Institutione clericorum.*

[k] *in Exam. sess 4.*

[l] *supra.*

[m] *Nec vllus locus proferri poteſt, in quo librum aliquem vocet canonicū, & tamen de eius veritate dubitari poſſe: imò contrà dicat:* Ego ſolis eis ſcripturarum libris qui iam canonici appellantur didici hunc timorē, honorémque deferre, vt nullum eorum auctorem ſcribēdo, aliquid erraſſe firmiter credam. *epiſt. 19.*

[n] *teſte Epih. lib. de menſ. & ponder. circa initium.*

[o] *Apud Hieron. præfat. in Iudith.*

[p] *Apocalyp. & ep. ad Hebræ.*

[q] *in Confeſſione Piſſiaca anno 1561.*

[r] *Diſtinct. 15.*

nonicos libros eiuſdē eſſe authoritatis [m] cum ipſe Cōcilio Carthaginenſi tertio ſubſcripſerit: voluit ergo tantum oſtēdere, & ſi apud ſe de omnibus æquè certa eſſet authoritas, nō tamen apud omnes, quia id nōdum fuerat in generali Cōcilio ſtatum. Ad Hierony. teſtimonium dicitur, [n] duo fuiſſe apud Iudæos hagiographorum genera, quædam intra arcam, hagiographa dicta ad hiſtoricorū & prophetic. diſtinctionem, & hæc canonica habebantur, ac de his in Prologo Galeato. Alia extra Arcam, hagiographa dicta ad canonicorum diſtinctionem, de quibus loquitur præfatione in Tobiam, & Iudith. Ex quo patet nuſquam dici à Hieronym. canonicos libros, de quibus dubitari poſſit.

Obiiciunt tamen, cùm hi ſunt editi libri, Eccleſia de his dubitauit: Ergo & nunc etiam dubitare debet, cum iam nō per nouas reuelationes, ſed à collatis antiquitùs, certitudinem habeat. Reſpōdeo duobus modis intelligi poſſe Eccleſiā de his dubitaſſe libris: vno quod nulli tunc teſtarentur fuiſſe hos ab Apoſtolis, aut Prophetis conſcriptos, & ſic argumentum fortaſſe ſuum pondus haberet, ſed illud falſum eſt. Alio quod certè quidam ita cēſuerint, nihil tamen fuerit ab Eccleſiâ definitum dumtaxat: & hoc quidem verum: tamen non ſequitur inde nūc etiam Eccleſiam dubitare debere. Nam de libro Iudith initiò dubitatum fuit, & tamen [o] Nicæna Synodus (quam aduerſarij etiam recipiunt) illum in canonem aſcripſit. Dubitatum fuit olim de Epiſtolis Iacobi, Iudæ, ſecundâ Petri, tertiâ Ioannis [p] &c. quas tamen omnes [q] Caluiniſtæ tenent canonicas.

Obiicitur ſecundò, quos reiicit Hieron. libros eos quoque Eccleſia reſpuit, [r] canone *Sancta Romana*: ſed ille reiicit libros de quibus agimus.

Reſpondeo, reieciſſe, quia nōdum quidquam

de illis erat definitum in generali Concilio, excepto Iudith libro, quem propterea etiam, postea recepit Hierony. Canon verò citatus, loquitur tantùm de libris doctorum, sicut patet ex texu.

De libro Tobiæ.

CAP. XI.

Hic liber vt à spiritu sancto dictatus testimonium habet à Cypriano, [a] sermone de eleemos. [b] Calixto primo, [c] Ambrosio, [d] Basilio, atque [e] Augustino.

Obiicitur tamen, dici [f] capit. tertio Saram habitasse in Rages, item & Gabelum [g] capite quarto: & tamen capite nono, cum peruenisset Tobias ad locum vbi Sara erat, misit inde Angelum ad Gabelum in Rages.

Respondet Lyranus vel duas fuisse in mediâ Rages, vel certè cap. tertio vocari Rages, non ipsam ciuitatem, sed vicinum locum.

[a] *In principio.*
[b] *Epistol. 2.*
[c] *Lib. de Tobiâ cap. 1. initio tom. 1.*
[d] *Serm. de anaritia ad initium. tomo primo.*
[e] *In speculo post Ecclesiastici sentent. tom. 3. in hoc enim lib. asserit Aug. in præf. se colligere velle sentent. ex literis sacris.*
[f] *vers. 7.*
[g] *vers. 21.*

De libro Iudith.

CAP. XII.

Hieron. præfat. in Iudith tradit, hunc librum fuisse à Nicæna Synodo in numerum sanctarum scripturarum ascriptum [a] Iulius quoque Africanus, atque [b] Isidorus inter diuinos hunc reponunt libros.

[h] *Michael Medina 6. de rectâ fide 14. ait vitio librar. legi cap. 3. Rages cum sit in Græco* ἐν ἐκβατάνοις.

[a] *lib. 1. de partibus diuinæ legis.*
[b] *6. Etymol. 1.*

Obiicitur autem, dici [c] capite quinto hanc contigisse historiam post reuersionem populi à Babilonia: & [d] capite primo, eo tempore Nabucodonosor pugnasse contra Arphaxat. At quo tempore rediit ex captiuitate populus, erat Assyriorum Monarchia euersa, regnabatque Cyrus, aut Darius Assyriis, Persis, ac Medis. Hac de re variæ sententiæ exstiterunt. [e] Alij enim hanc referūt historiam, ad tempora Cambysis. [f] Alij ad Darij Hystaspis. [g] Alij Artaxercis Ochi. Contra primò, nusquam legimus Reges Persarum appellatos Nabucodonosor. 2. Nabucodonosor, de quo in libro Iudith, [h] regnabit in Niniue, quæ temporibus Cambysis, Darij, & Ochi non extabat, cum eam euertisset [i] Nabucodonosor Rex Chaldæorum, vel [k] Ciaxares Rex Medorum. 3. Cambyses, atque Darius [l] Damascum pacificè possidebant, nec valuissent eis resistere Iudæi: Qui frustra metuissent Cambysis tempore destrui templum, cum non extaret: aut Darij tempore, pro vrbe non reædificata. At Nabucodonosor de quo in Iudith [m] voluit occupare Damascum, &c. & [n] ad ei resistendum separabant Israelitæ, circūdantes vicos suos per Samariam [o] (quæ tempore Cambysis, & Darij non à Iudæis, sed gentibus occupabatur) maximè [p] timentes ob templum & vrbem. 4. [q] tempore quo superuixit Iudith, & multis postea annis fuit pax in Israël. At post decimum tertium Ochi, quo vult Sulpitius contigisse Iudith, vsque ad Ptolomeum Lagi, qui iterum debellauit Iudæos, nō sunt nisi triginta anni, cum [r] Iudith vixerit centum quinque annis, nisi octuagenariam vel nonagenar. dixeris, cum Holofernem occidit. 5. illo tempore summus sacerdos erat [s] Ioachim, tēpore verò Cambysis, & Darij Hystaspis erat [t] Iesus Iosedech, [u] Ochi autem diebus, Iaddus vel eius pater Ionatham.

[c] *Ver. 22. & 23.*

[d] *Ver. 6.*

[e] *Euseb. in Chronico Aug. 18. Ciu. 26. tom. 5. Beda de 6. ætat. Lyran. in 1. Iudith Dried. sup. lib. 1. c. 2. p. 2.*

[f] *Gerardus Mercator in Chronol.*

[g] *Seuerus Sulpitius 2. sacræ historiæ.*

[h] *1. Iudith. 6.*

[i] *1. anno regni teste Genebrardo in Chron.*

[k] *teste Eusebio in Chronico.*

[l] *vt patet ex. 1. & 2. Esdræ.*

[m] *Iudith 1. ad finem à ver. 7.*

[n] *Iudith. 4.*

[o] *1. Esdr. 4. v. 10.*

[p] *Iudith. 4 v. 2.*

[q] *Iudith vlt. v. 30.*

[r] *Iudith vlt. 28.*

[s] *Iudith 4. v. 5. qui & Ioakim cap. 15. v. 10.*

[t] *Zachar. 3.*

[v] *Vt colligitur ex 11. cap. secundi Esdræ.*

[x] Alij hanc hiſtoriam referunt ad Ioſiæ tempora. [y] Alij Sedechiæ. Sed ab initio regni Ioſiæ ad bellum quo interfectus eſt, tantùm anni 31. [z] numerantur. Ab initio Sedechiæ ad bellum illi Nabucodonoſor illatum, [a] nouem. vbi ergo [b] ſexaginta quinque, aut ſeptuaginta anni pacis in Iſraël, ab interfecto Holoferne? Deinde tempore Ioſiæ ſacerdos magnus [c] Helchias, Sedechiæ tempore [d] Saraia legitur. Videtur ergo dicendũ, hãc incidiſſe hiſtoriã, in tempora Manaſſæ, tunc ſiquidem regnabat [e] Deiocles, qui Ecbatana [f] ædificauit, aliàs Arphaxat, [g] regnabant Aſſyriorum reges in Niniue, & credibile eſt Nabucodonoſor, de quo Iudith primo fuiſſe [h] Merodach Baladan, qui poſt [i] Sennacherib, & Aſſar [k] Addon regnauit in Babylonia, tranſtulitque ad ſe Aſſyriorũ regnum. Cæpit enim regnare (vt coniectura ducitur) anno tertio Manaſſæ: & ſic annus eius decimus tertius, quo bellum mouit Holofernes, incidit in decimum ſextum Manaſſæ, quem paulò ante captiuum duxerat in Babylonem ipſe Baladan. Tunc etiam extabat templum, & Hieruſ. ſummus Sacerdos erat Eliachim, & hoc modò facilè erit inuenire illud longum pacis tempus. Nam à captiuitate Manaſſæ, vſque ad regnum Ioachaz filij Ioſiæ ſumma fuit in terra Iudæ pax. Regnauit autem Manaſſes [m] annos quinquaginta quinque, è quibus accipiuntur triginta nouem poſt captiuitatem, (fuit enim captiuus initio regni) 39. annis addantur duo, [n] quibus Amon regnauit, his 31. quibus Ioſias, inuenies ſeptuaginta duos.

Supponamus ergo Iudith quadragenariam cum Holofernem truncauit [o] (potuit enim tunc etiam eſſe pulcherrima) reliquum anno-

[x] *Ioan. Benedictus ad 4. Iudith.*
[y] *Genebrard. in Chronolog.*
[z] *4. Reg. 22. & 2. Paral. 34. v. 1.*
[a] *4. Reg. 25. v. 1.*
[b] *Nam dicitur puella Iudith ca. 12. v. 13. cum interfecit Holofer. ab interfecto vſque ad mortẽ Iudith fuit pax in Iſrael, vixit autem 105. annis.*
[c] *4. Reg. 23. v. 4.*
[d] *4. Reg. 25. v. 18.*
[e] *Euſebius in Chronico Herod. lib. 1.*
[f] *teſte Herod. Et Euſeb. ſupra.*
[g] *4. Reg. 19. v. 36. & Tobiæ 1. v. 11.*
[h] *4 Reg. 20. v. 12.*
[i] *4. Regum. 19.*
[k] *4. Reg. 19. v. 37.*
[l] *Ex Chronologia Nicephori Patriarchæ Conſtantinopol. qui inter Sobnam, & Helchiã Pontifices ponit Eliachim.*
[m] *2. Paral. 33. v. 1.*
[n] *4. Reg. 21. v. 19.*
[o] *Nam Sara annorum 65. vel 90. adeò videbatur formoſa vt à regibus adamaretur Gen. 12. & 20. ſiquidem 18. deſcribitur ætatis prouectæ.*

rum eius erat 65. quibus si addideris 7. vt hinc habeamus, à morte eius multis annis non fuisse qui turbaret Israel inuenies 72. Dices quare totum negotium belli tribuitur Sacerdoti magno, nec fit mentio regis? Respond. fortasse adhuc rex captiuus erat. Deinde id non esse mirum, cum ipse Eliachim nondum sacerd. summus, [p] multa fecerit nomine regis, sub Ezechia. Obiicies colligi ex [q] cap. 5. hoc bellum actum post solutionem à captiuitate, imò haberi in textu Græco templum fuisse solo adæquatum. Respondeo, quod habetur capite quinto dumtaxat [r] intelligi debere de afflictionibus, variis quas à varijs nationibus passus fuerat populus, maximè de illa quæ sub Manasse acciderat. Quod verò allegatur de templi destructione suppositium est: Nam Hierony. qui fidelissimè ex Caldæo transtulit, nihil de hac euersione edidit.

[p] 4. *Reg.* 18.
[q] *V.* 20. *&* 21.
[r] *Si enim esset de captiuitate Babylonica intelligẽdum: non diceret Iudæos exterminatos a multis nationibus, sed ab vnâ, nec dicerẽtur plurimi abducti captiui, sed omnes.*

[a] *in Ep. ad omnes Episcopos paginâ ante finem apud Theodoret. 2. hist. 8.*
[b] *cap. 7. Vers. 21.* omnium artifex docuit me sapiẽtia.
[c] *cap. 1.*
[d] *Diuin nomi. cap. 4. p. 2. ad fol. vnum ante finem, & cap. 7 paulò ante finẽ.*
[e] *de habitu virgi. circa medium & de mortalit. ante fi.*
[f] *in Iulian. vltra med.*
[g] *1. de præd. sanct. 14 tom. 7. quo ex professo docet hunc lib. esse canon.*

De libro Sapientiæ.

CAP. XIII.

ARDICENSE [a] Concilium ex [b] libro Sapientiæ probat filium Dei omnium rerum effectorem esse. [c] Toletanum vndecimum nominat hunc librum scripturam sacram. [d] Dionys. vt sactum citat. [e] Cyprian. [f] Cyrillus, [g] atque Augustinus diuinum esse testantur.

Deinde veteres [h] PP. Salomonis esse decla-

[h] *Tertull. de præscrip. pag. post initium. Cypr. de mortal supra Hilarius in Psal. 127. Basil. 5. in Eunom. vltra med. Ambros. in illud Psal. 118. Portio mea domine & ad finem.*

rant: ergo canonicus est. Nec refert ex [i] Hieronym. testimonio à multis tribui Philoni, & ab [k] Augustino tribui Iesu filio Syrach. Potuit enim fieri vt sententiæ, quæ Salomonis sunt (sicut patet capite nono: [l] *Tu elegisti me Regem populo tuo, &c.*) collectæ fuerint ab huiusmodi Philone. [m] August. autem suam retractauit sententiam.

[n] Caluinus colligit falsum esse,[o] initiũ idololatriæ sumptũ à patre in memoriã filij defũcti. Sap. 14. quod arbitretur Rachelis tempore nõdum extitisse idola, quæ figuram repræsentarent humanam: constat autem [p] Rachelem furatam fuisse patris sui idola: & proinde prima Idola non fuisse imagines hominum.

Sed fallitur Caluinus. Nam Rachel furata est תְּרָפִים *therafim*, id est idola, vel potius idolum humanam referens figuram, hoc enim importat *therafim*, vt [q] patet 1. Reg. quo cum vellet Michol Dauid præseruare de manu Saulis, misit eum per fenestram, & loco eius substituit תְּרָפִים. Significat etiam idolum per quod diabolus responsa dabat Ezechielis [r] 21. & Zachariæ 10. [s] Ponitur autem in plurali, quia caret singulari apud Hebræos.

Nec refert, contra veritatem libri Sapientiæ, dici primam statuam adoratam, fuisse Beli à filio erectam Nino. hoc enim verum est, de idololatria publicâ, non autem de priuatâ.

[i] *Præfat. in libros Salomon.*
[k] *2. de doctr. 8.*
[l] *Vers. 7.*
[m] *retract. 2. cap. 4. tom. 1.*
[n] *1. instit. 11. §. 8.*
[o] *Vers. 15. & 16.*
[p] *Genes. 31. Ver. 19.*
[q] *19. Ver. 31. & 16.*
[r] *Vers. 21.* Interrogauit idola שְׁאַל בִּתְרָפִים *scaal battheraphim.*
[s] *Vers. 2.* simulachra locuta sunt inutile. הַתְּרָפִים דִּבְּרוּ־אָוֶן Haththeraphim dibberu auen.

De Eccleſiaſtico.

CAP. XIIII.

HVNC librum maximo odio Ioan. Caluinus proſecutus eſt. Verumtamen vt ſcriptura ſacra producitur [a] à Clemente Alexand. [b] Cypria. [c] Epiphanio, Ambroſ. [d] & Auguſt. [e] *Clamat* [f] (inquit) *ſcriptura altiora te ne quæſieris.* [g] Sixto ſecundo Damaſo, [h] Baſilio, [i] Hieron. [k] atque [l] Gregorio.

De libris Machabæorum.

CAP. XV.

LIBROS Machabæorum ſacram ſcripturam [a] Cyprianus appellat. [b] Sanctus verò Auguſtinus *Libros* (inquit) *Machabæorum non Iudæi, ſed Eccleſia pro canonicis habet.* [c] Obiicit Caluinus, laudari Iudã quod curarit orari pro defunctis in mortali peccato. Verùm hac de re [d] inferius dicetur.

Secundò, [e] authorem [f] libri veniam erratorum precari, [g] ſéque teſtari multo cum labore edidiſſe librum: quod minimè competit iis qui ſpiritu reuelante ſcripſerunt.

Reſpondeo, non petere veniam niſi [h] orationis minus politæ, duobus autem modis ſacros fuiſſe conſcriptos libros: vno [i] aſſiſtente

[a] 7. *Stromat. propè extremo.*
[b] 3. *Epiſt. 9. ſed & Salomon* (inquit) *in ſpiritu ſancto cõſtitutus teſtatur, & docet &c. Ex tota anima tua time Deum, &c. Eccl. 7. Verſ.* 31.
[c] *Hæreſ. Anomæorum.*
[d] 4. *de fid. 4. tom. 2. ad initium quo hunc lib. vocat oracula diuina.*
[e] *lib. ad Oroſium cõtra Priſcillianiſt. cap. 11. tom 6*
[f] *Eccl 3. Verſ. 22.*
[g] *Ep. ad Gratum.*
[h] *Ep. ad Epiſcop. Italiæ.*
[i] 4. *in Eunom. in illud*, Primogenitus omnis creaturæ.
[k] *in illud Eccleſiaſta decimi*, Qui foueam, &c. *v.* 8.
[l] 10 *Moral. 9. ad finẽ & 11. ad med.*
[a] 1. *Ep. 3. poſt initiũ non longè.*
[b] 18. *Ciuit. 36.*
[c] 3. *Inſtitut 5. §. 8.*
[d] *lib 1. de Purgatorio 3.*
[e] *in Antidot.*
[f] *vlt. ſecundi Mach. v. 39.*
[g] *ſup. cap. 2. v. 27.*
[h] *ſicut Paulus 2. Cor. cap. 11. v. 6 ſe imperitum ſermone fatetur.*
[i] *vt Hierem. 36. v. 18. patet.*

Spiritusancto, & simul reuelãte quę scriberẽtur; atque hi fuêre sine magno labore conscripti. Alio, excitante quidem scriptorum ingenium, vt recordarentur eorum quæ audierant, vel viderant & dirigente, ne errarẽt: non tamen semper immediatè reuelante: ita enim Lucas [k] docet se Euangelium scripsisse, scilicet vt audierat: atque hic modus non caret competenti labore.

Tertiò, dicuntur [l] secundò Machabæorum Iudæi ducti in Persidem captiui: cum tamen certum sit ductos fuisse in Babylonem. Respondeo, dici Persidem etiam finitimas ei regiones: quomodo dicitur [m] libro primo, nuncium venisse in Persidem ad Antiochum, qui reuera [n] venit in Babylonis regionem.

Quartò, [o] dicitur Hieremias (cum spoliaretur, & incenderetur Hierusalem, & templum) abscondisse tabernaculum & arcam fœderis: quod certè falsum est. Nam ante vrbis expugnationem, ac desolationem, Hieremias semper in [p] carcere mansit: postea verò, non erat quid absconderet: cum omnia [q] diripuissent Chaldæi. Falsum etiam, [r] promisisse Iudæis, quod reuertentes ex captiuitate, habituri essent tabernaculum, & arcam: cum posteà nusquam habuerint.

Respondeo, prius fieri potuisse, & ante vrbis [s] spoliationem, tempore [t] Ioachim, quo maximæ fuit authoritatis Hieremias, & post: Etsi enim Iudæis esset inuisus, [u] magni tamen fiebat apud Nabuchodonosor. Falsum autem est Chaldæos arcam, & tabernaculum abstulisse. Siquidem cum [x] enumerantur quæ ex templo asportarant Chaldæi, nulla fit mentio tabernaculi, aut arcæ. Posterius verò, vel [y] intelligitur de congregatione Iudæorum nouissimis diebus, vel per arcam, [z] intelligitur Christus.

Quintò, [a] dicitur Alexander magnus pri-

[k] *præf. in suum Euangel.*

[l] 2. *Mach.* 1. *v.* 19.

[m] 1. *Mach.* 6. *v.* 5.

[n] *supr.* 4. *v.* 5.

[o] 2. *Mach.* 2. *v.* 5.

[p] *Hier.* 37. *&* 38.

[q] 4. *Regum.* 25.

[r] *vt dicitur* 2. *Mach.* 1. *v.* 7 *&* 8.

[s] *sub Sedechiâ* 4. *Reg. sup.*

[t] *Qui &* Iechonias, *filius Ioakim Hier.* 24. *v.* 1.

[u] *Hier.* 39. *v.* 10. 11. 13. 14. *& cap.* 4. *v.* 4. 5. 5.

[x] 4. *Reg.* 25. *&* *Hierem.* 52.

[y] *vt vult Epiph. in vita Hierem.*

[z] *ita Rupertus* 10. *de victoriâ verbi*

[a] 1. *Mach.* 1. *v.* 1.

mus in Græciâ regnasse. Sed ante eum [b] multi fuerunt reges Lacedæmoniorum, &c. [c] Dicitur quoque Antiochus illustris, anno centesimo trigesimo septimo Græcorum regnasse, cum tamen anno centesimo 56 regnauerit: tot enim fluunt [d] à primo anno Monarchiæ Græcorum, vsque ad Antiochum. Denique falsò [e] dicitur Romanos singulis annis commisisse vni magistratum suum: nam duo consules eo creabantur tempore.

Respondeo, in primo loco loqui de Monarchiâ Græcorum, & non de quocumque regno. In secundo [f] numerari annos à primo Syriæ rege, nimirum Seleuco, quod Iudæa esset Syriæ pars: à Seleuco autem ad Antiochum sunt centum septem, & triginta anni: quibus si addas nouemdecim, [g] ab Alexandro ad Seleucum, erunt centum quinquaginta sex.

In tertio, ideo hoc dictum, quod etsi duo crearentur Consules, [h] quia tamen alternis imperabant vicibus, propterea vni videbatur commissa Reipublicæ cura.

Sexto, [i] legitur Iudas purgasse templum anno centesimo quadragesimo octauo, id est vno anno ante [k] Antiochi obitum primò Machab. quarto. At [l] libro secundo habetur, templum purgasse biennio post Antiochi mortem. Item [m] libro primo Antiochus Illustris moritur in Babylonia præ animi dolore. Libro verò secundo membratim cæditur in templo Naneæ [n] capite primo: moritur nihilominus dolore viscerum capite nouo. [o] Libro primo Iudas moritur anno centesimo quinquagesimo secundo. [p] libro secundo scribit epist. anno centesimo octuagesimo octauo, id est triginta sex annis post mortē: Ad primā partem respondemus, repurgatum fuisse templum ante Antiochi obitum. Etsi autem libro secundo id narretur post Antiochi mortem, non tamen factum asseritur:

[b] *Eusеb. in Chron.*
[c] *1. Mach. 1. v. 11.*
[d] [*6. Alexandri Mag. iuxta Eusеb. in chron. cùm Dario deuicto & occupatâ Iudæâ ac finitimis regionibus summus in Asiâ, properabat in Babyloniam.*]
[e] *1. Mach. 8. Vers. 16.*
[f] *vt monet Eusеb. sup.*
[g] [*anno 6. sup.*]
[h] Ne si ambo fasces haberent duplicatus terror videtur (*inquit*) *Liuius lib. 2. decadis primæ paulò post initium.*
[i] *1. Mach. 4. Vers. 52.*
[k] *qui obiit anno 149. 1. Mach. 6. Vers. 16.*
[l] *cap. 10. Vers. 3.*
[m] *sup.*
[n] *Vers. 16.*
[o] *cap. 9. Vers. 3.*
[p] *cap. 1. Vers. 10.*

voluit enim author abſoluere quæ de Antiocho narrabat, deinde redire ad Iudam, quod verò poſt biennium dicitur, intelligendum eſt à profanatione templi: profanatum enim fuit [q] anno centeſimo quadrageſimo quinto, & repurgatum [r] centeſimo quadrageſimo octauo, id eſt [s] biennio exacto. Ad ſecundam, his omnibus in locis de eodē Antiocho agi, cuius exercitus, quia membratim cæſus fuerit in templo Naneæ, propterea ipſe Antiochus dicitur cecidiſſe: quamuis reuera ibi non perierit: ſicut [t] ſcriptura dicit Regem Sodomorum in prælio cecidiſſe, qui tamen [u] poſtea occurrit Abrahæ viuus. Ipſe ergo Antiochus fugiens è templo (vt non ſolùm liquet ex cap. 9. [x] lib. 2. ſed ex 6. [y] lib. 1.) audiuit triſte ex Iudæa nuntium, cumque iter præcipitaret, & diuinitùs percuſſus eſt dolore inſanabili viſcerum, & de curru decidit, peregréque (vt locis notatis habetur) addito dolore, quod illi omnia in contrarium agerent mortuus eſt, ſcilicet in Babylonia aliena terra.

[q] *lib. 1. Mach. 1. Verſ. 57.*
[r] *ſup. ca. 4. Verſ. 52.*
[s] *propterea Ioſeph. 12. antiq. 11. poſt med. & Euſeb. in chron. dicunt repurgatum templum. 3. anno à prophanatione.*
[t] *Gene. 14 Ver. 10.*
[u] *ib. Verſ. 17.*
[x] *Verſ. 1. & 2.*
[y] *Verſ. 4.*

[z] Ad tertiam: illa verba *Anno centeſimo octuageſimo octauo* : non eſſe principium Epiſtolæ Iudæ, ſed ſuperioris finem, quæ nomine totius populi Iudaïci ſcripta fuit duce Ioanne Hircano: ſicut patet in codicibus Græcis, qui poſt huiuſmodi verba diſtinctionem ponunt.

[z] *quæ habetur 2. Mach. 1. cuius initiū.* Populus qui eſt Hieroſ. *Verſ. 10.*

Septimò [a] affirmat author fuiſſe impletum vaticinium Danielis de abominatione deſolationis ſtante in loco ſancto, cum Antiochus idolum collocauit in templo Domini: At [b] Chriſtus teſtatur in nouiſſimis diebus hoc eſſe implendum.

[a] *1 cap. 1. Verſ. 17.*
[b] *Matth. 24. Verſ. 14. & 15.*

Reſpondeo in libris Machabæor nullam fieri mentionem Danielis, ſed tātum vocari idolum Antiochi, abominandum idolum deſolationis.

[c] *1. cap. 6. Verſ. 46. Eleazar & 2. cap. 14. Verſ. 41. & 42. &c. Raſias.*

Poſtremò, [c] laudantur qui ſeipſos interfecerunt. Reſpondet [d] Auguſtinus, non laudari

[d] *Epi. 61 ad Dulcitium to. 2. & lib. 1. contr. ep. Gaudentij cap. 31. tom. 7.*

[a] Et illi ſatisfaciebant dicentes, ſæculum iſtud iniquitatis, & incredulitatis ſubſtantia eſt: quæ non finit per immundos ſpiritus veram Dei apprehendere virtutem: idcirco iã nunc reuela iuſtitiam tuam. *Hæc hæret. apud Hier. to.2. lib. 2. aduerſ. Pelag. paulò antè medium.*

[b] *Ep. ad Hedibiã q.3.*

[c] *in die Reſurrect. & aſſenſ. in Euãg. ad miſſam.*

[d] *Luc.22. Verſ.44.*

[e] *2. contr. Pelagi. ad medium.*

[f] *10. Trinit.*

[g] *Mar.14. Verſ.33.*

[h] *tertio ad Theophilum de beatitud. filij Dei Verſ finem.*

[i] *in Ancorato.*

[k] *de conſ. Euang.3. cap.4.*

[l] *cap. 8.*

ſed eorum mortem narrari: vel laudari, non quod piè, ſed quod audacter, & viriliter egerint.

De quibuſdam partibus librorum Marci, Lucæ, & Ioannis.

CAP. XVI.

VLTIMVM caput Marci non fuiſſe olim ab omnibus receptũ, [a] propter quædam ab hæreticis inſerta, [b] colligitur ex Hieron. Nunc verò dubitare non licet: Illa enim pars legitur [c] in Eccleſia, nec de ea Caluinus aliquam controuerſiam mouet.

Ex Lucâ dubitaſſe quoſdam [d] de ſanguineo Chriſti ſudore, ne Chriſto infirmitatem, ac animi dolorem tribuerent, patet [e] ex Hierony. atque [f] Hilario. Sed ſi voluit pauere, [g] ac tædere, quidni & dolere? Quare [h] Athanaſius dicit anathema negantibus Chriſtum ſudaſſe ſanguinem, ſimiliter [i] Epiph. & [k] Auguſt. hunc locum vt Euangelicum agnoſcunt. Hiſtoriam adulteræ apud [l] Ioannem nõ fuiſſe olim fidei certæ docet [m] Eraſmus. Nihilominus non debet dubia eſſe: cum vt hiſtoria, & quidem Euangelica [n] legatur Sabbato ante Dominicã quartam Quadrageſimæ, eamque agnoſcant [o] Ammonius Alexandri. [p] Athanaſ. [q] Ambroſ. & alij [r] grauiſſimi PP.

[m] *Annot. in hunc locum ex Euſeb.3.hiſt.vlt. & colligitur ex Hierony 2. contra Pelag. in medio.* [n] *in Euang. Miſſæ.* [o] *in Monoteſſaro Euãgelico.* [p] *in ſynop. in compend. Euangelij Ioannis.* [q] *lib. 7.ep. 58.ad ſtudium.to.2.* [r] *Aug. tract 33. in Ioan.tom. 9. Chryſ.hom.50. in Ioan. vnâ columnâ poſt initium tom. 3.*

Illa [s] vltimi capitis primæ Ioannis verba *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, &c.* in dubium reuocata fuisse olim, & reuocari debere contendit [t] Erasmus. At certè leguntur in Ecclesiâ, [v] Dominica in Albis: eademque [x] Cypria. [y] Athanasius, [z] Ioannes 2. [a] Hierony. [b] Idacius, & [c] Eugenius Carthaginenſis agnoscunt.

[s] *Vers. 7.*
[t] *annot. in hunc lo.*
[u] ● *epi. Missæ.*
[x] *de simplicit. Prælat. longe post initiũ vt dupl. pag.*
[y] *1. ad Theoph.*
[z] *epi. ad Valerium.*
[a] *prolog. in epi. canonicas.*
[b] *aduers. Varimad.*
[c] *apud victorem. 2. de persecu. wandal.*

De Epistola ad Hebræos.

Cap. XVII.

DVPLEX dubitatio de hâc Epistolâ fuit, vna de authore, alia de authoritate. [d] Marciõ, atque [e] Arius neque Pauli, neque sacram esse docebant: quibus subscripserunt [f] Lutherus, [g] Brentius, & Kemnitius, ac alij huius temporis Hæretici, Caluinistis exceptis. [h] Erasmus, [i] Caietanus cum [k] nonnullis antiquis, non esse Pauli contendunt. Sed Pauli esse, atque canonicam probatur.

Primò, quia nomine Pauli legitur [l] in Ecclesia.

Secundò, eodem nomine producitur à Pontificibus [m] Innocentio primo, ac [n] Gelasio primo.

Tertiò, ponitur nomine Pauli in canone à [o] Laodicæno, [p] Carthaginensi tertio, & Tridentino [q] Concilio, ac (teste [r] B. Thomâ) à Nicæno primo. [s] Ephesinum, & Chalcedonense, vt sacram scripturam admittunt.

[d] *apud Hier. præf. in ep ad Titũ to. 6.*
[e] *apud Theodor. in epi. ad Hebræos.*
[f] *in prolog. in ep. ad Hebr.*
[g] *supra.*
[h] *ad finem annota. in hanc epi.*
[i] *initio comment. in hanc epi.*
[k] *vt patet apud Euseb. 3 hist. 3. & Hieron. de viris Illustr. in Paulo. to. 1.*
[l] *in die Natal. Domini in epist. tertiæ Missæ.*
[m] *Epist. 3.*
[n] *in Concil. Episco. 70.*
[o] *Can. 59.*
[p] *Can. 47.*

[q] *supra.* [r] *in hanc Epist.* [s] *Approbantibus duodecim capitula Cyrilli in quorum decimo citatur hæc ep. vt sacra script.* [*Vide Cæsar Baronium. tom. 5. p. 546.*]

Quartò ab omnibus fuit recepta Græcis, ſicut [t] Hierony. affirmat, [v] vno tamen excepto. Et qui [x] canonem exponunt, eam cum cæteris Paulinis numerant.

Quintò ab omnibus fuit etiam recepta Latinis, exceptis [y] quatuor.

Sextò videtur Petrus meminiſſe eius Epiſt. priorem enim ſuam ſcripſit ad Hebræos vt ex titulo patet: item & poſteriorem, vt ex illis colligitur: [z] *Hanc vobis chariſſimi ſecundam ſcribo Epiſt.* At in eodem capite poſtea ſubiungit: *ſicut* [a] *& chariſſimus frater noſter Paulus ſcripſit vobis.* ſcripſit ergo Paulus, teſte B. Petro, epiſtolam ad Hebræos.

Denique aut Pauli, aut Lucæ, aut Barnabæ eſt aut Clementis Romani, aut Tertuliani: non Tertulliani, quia eam [b] ipſe tribuit Barnabæ, citaturque nomine Pauli à Clemente [c] Alexandrino, Tertulliano vetuſtiore, neque Clementis [d] cum eam citauerit. Si eſſet Lucæ, aut Barnabæ non tamen careret Apoſtolica authoritate, ſed argumenta priora ſatis oſtendunt eſſe Pauli.

Obiiciunt primò, antiquitatem ignoraſſe hanc epiſt. ſed excepto Caio ex Græcis (quo prior eſt antiquitate Clemens Romanus) ex Latinis verò Tertulliano, Cypriano, Lactantio, & Arnobio (quibus vetuſtior eſt [e] Dionyſius Areopagita) eam alij omnes ſuſcipiunt.

Secundò non habere præfixum nomen Pauli. [f] Sed nec vllius præfixum habet, ergo nullius erit. Quid quòd prima Ioannis nec nomen habet præfixum, Ioannis tamen eſſe iam nullus dubitat. Tacuit autem nomen ſuum Paulus, [g] vel quia ſciebat ſe inuiſum eſſe Iudæis: vel ne [h] vocaturus Chriſtum noſtræ confeſſionis Apoſtolum, videretur ei aliquo modo ſe velle adæquare, dicendo *Paulus Apoſtolus*, vel [i] denique quòd non eſſet proprius He-

[t] *Epiſt. ad Dardanũ vltra med. to. 3.*
[v] *Caio apud Euſeb. 6. cap. 14. hiſtor.*
[x] *Origen. apud Euſeb. 6. hiſt. 19. Nazianz. car. de gem. ſcript. Damaſc. 4. de fid 18.*
[y] *Tertull. Cypria. Lactant. Arnobio, qui eam non citant.*
[z] *cap. 3. Verſ. 1.*
[a] *v. 15.*
[b] *apud Hieron. de viris illuſtr. in Paulo.*
[c] *apud Euſeb. 6. hiſtor. 11.*
[d] *apud Euſeb. 3. hiſt. 32.*
[e] *Qui citat nomine Pauli vltima ex cap. 5. ad Hebr. verba epiſt. ad Titum folio vno ante finẽ.*
[f] *ita reſpondet Hieron. præfat. in Epiſt. B. Pauli.*
[g] *ita Hierony. ſup.*
[h] *cap. 3. v. 1.*
[i] *ita Reſpondet Theodoretus præf. comm. in hanc Epi. quas etiam rationes reddit Clemens Alexand. apud Euſeb. 6. hiſt. 11.*

bræorum Apoſtolus.

Tertiò, huius Epiſtolæ Stilus longè aliarum copioſior, & ornatior eſt. Nec dici poterit primo Hebraicè conſcriptum, & Paulum maternâ linguâ elegantiorem. Nam teſtimonia citantur ex verſione ſeptuaginta, & author [k] interpretatur nomen Melchiſedech, quod non feciſſet ſi Hebraicè ſcripſiſſet, quia Melchiſedech eſt nomen Hebræum.

[l] Aliqui reſpondent hanc Epiſtolam reuera primò Græcè conſcriptam fuiſſe, & ſententias quidem Pauli eſſe, verba autem Lucæ, vel Clementis tanquam ſcribæ Pauli: quæ reſponſio ſimplicior eſt, & expeditior. [m] Alij Hebraicè primò conſcriptam, deinde à Luca, vel Clemente in Græcum tranſlatam.

Nomen verò Melchiſedech, non interpretatur Græcè, ſed [n] Hebraicè: vt ex Etymologia nominis aliquid deducat: vt ſi quis diceret Latinè, Homicidiũ eſt hominis cædes: quamquam non eſſet abſurdum hanc interpretationem à tranſlatore poſitam, ſicut Exodi [o] duodecimò, *Eſt enim Phaſe, id eſt* [p] *tranſitus Domini.* Etſi autem Paulus citauerit teſtimonia ex Hebræo: placuit tamen interpreti ſequi verſionem ſeptuaginta, ſicut fecit Lucas in [q] Actis.

Quartò, author huius epiſtolæ [r] ponit ſe in numero eorum, qui ab Apoſtolis conuerſi fuerant. At Paulus [s] teſtatur ſe à Chriſto ſolo per reuelationem didiciſſe Euangelium. Reſpondeo loqui Paulum in aliorum perſonâ, ſicut [t] Iſaias *facti ſumus vt immundi omnes.* Deinde non loquitur niſi de confirmatione, & quidem non per doctrinam, ſed per miracula, quam non eſt improbabile contigiſſe in Paulo.

Quintò, author huius epiſtolæ pugnat cum [v] doctrina Chriſti, omnes admittentis ad pœnitentiam, ille verò excludit: [x] *impoſsibile eſt* (inquit) *eos qui ſemel illuminati ſunt, iterum renouari*

[k] *cap. 7. Verſ. 2.*

[l] *Origen. apud Euſeb. 6. hiſto. 19.*

[m] *vt Clemens Alexand ſupra, & Euſeb. 3. hiſtor. 32.*

[n] *ad hunc modum* מלכי צדק Melchi-tſedek, id eſt, מלך צדק Melech. tſedek Rex Iuſtitiæ.

[o] *Verſ. 11.*

[p] *hoc non habetur in Hebræo.*

[q] *13. cap. cũ tamen loca ſcripturæ quæ in concione Pauli habentur protulerit ipſe ex Hebræo.*

[r] *cap. 2. Verſ. 1. 3. & 4.*

[s] *1. ad Galat. 1. 11. 12. 16. Verſ.*

[t] *64. cap. Verſ. 6.*

[u] *Math. 11. Ver. 28.*

[x] *cap. 6. Verſ. 4.*

ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας. v. 6. καὶ παραπεσόντας, πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν.

ad pœnitentiam. Et [y] *Voluntarie peccantibus, non relinquitur hostia pro peccato.* Ac Esau [z] non inuenisse locum pœnitentiæ.

Respondeo, ea loca posse intelligi de peccato in sanctum, quod à Christo [a] irremissibile dicitur, non quod nequeat remitti, sed quod vix. Tum quia huiusmodi peccatores rarò conuertantur, tum quia resistunt gratiæ, quâ solâ curari possunt, tum quia peccant ex malitiâ, quæ non meretur misericordiam.

Deinde ad primum dici potest, Paulum aduersus fidei desertores disputare, ac [b] velle post baptismum (qui à patribus illuminatio dicitur) non esse aliud expectandum baptisma: idem ad 2. id est recedentibus à iam cognitâ veritate, fidei, non esse locum pœnitentiæ, quia extra Christum, quam per apostasiam relinquunt, nulla relinquitur pro peccato hostia. Ad tertium non inuenisse coram Deo pœnitentiam Esau, quia non rectè pœnituit, vt Chrysost. [c] ait in hunc locum.

Sextò, vt argumentatur [d] Caietanus, ex solo literali sensu firmum duci potest argumentum. At ex mystico [e], author huius epistolæ probat cap. [f] primo, *Christum esse filium Dei. Igitur vel epistola* non est Pauli, vel Paulus non argumentatur solidè. Respondeo similiter argumentari [g] primæ Corinth. quam tamen constat esse Pauli. Ita ergo argumentatur, quod sciret Iudæos [h] admittere Salomonem (vnde argumentũ sumptum est) typum Christi cessisse.

Septimò [i], capite [k] nono ait fuisse in arcâ vrnam habentem manna, & virgam Aaron, quæ fronduerat, ac tabulas legis, sed libro [l] tertio

[y] *cap. 10. v. 26.* ἑκουσίως γὰρ ἁμαρτανόντων ἡμῶν μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, οὐκ ἔτι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία.

[z] *cap. 12. v. 17.*

[a] *Matth. 12. v. 31. & 32.*

[b] *Chrys. Theodor. Ecumen. Theoph. & Ansel. in hunc locum, et August. in expos. inchoatæ in epist. ad Rom. pag. integrâ ante finem, de renouatione per baptismum hunc intelligunt locum. Nã vt ait Augustin. per baptismum propriè renouamur, per pœnitentiam curamur.*

[c] *homil. 31. in epist. ad Heb. to. 4. ad finẽ.*

[d] *Comment. in hãc epistolã.*

[e] *Illius loci 2. Reg. 7. v. 14. Ego ero ei in Patrem.*

[f] *v. 6.*

[g] *9. v. 9. & ad Gal. 4. a. v. 22. ad finem.*

[h] *Nam quædam dicuntur de Salom. 2. Reg. 7. vt illud stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. item, Psal. 72. multa, quæ nec Iudæi negare possunt intelligenda esse de Christo vt docet Aug. lib. de vnitate Eccles. cap. 8. tom 7.*

[i] *est Caietani.*

[k] *Vers. 4.*

[l] *cap. 8. v. 9.*

Regum

Regum habemus, fuiſſe tantum in eâ, tabulas legis.

Reſpondeo, tempore Salomonis tantum fuiſſe tabulas, poſtea verò poſitas etiam intra arcam, vrnam, & virgam, quod Paulus ſcrire potuit ex traditione: ita enim ſenſiſſe ſui temporis Hebræos Theophylactus [m] inſinuat.

[n] Octauò, loquens [o] de teſtamento proprie dicto, quod morte teſtatoris confirmatur, allegat [p] verba Exodi. *Hic ſanguis teſtamẽti quod mandauit ad vos Deus.* At [q] in Hebræo non fit mentio teſtamenti, ſed pacti. Aut ergo Paulus neſciebat Hebræum, aut epiſtola non eſt Pauli.

Reſpondeo quantum ad vocem ſpectat, Septuaginta ſemper [r] vertiſſe vocem בְּרִית *Berith* (quæ in Exodo habetur) per διαθήκην, id eſt, teſtamentum. Et Apoſtolus [s] ipſe, ſemper teſtamentum vocat quod Hebræi *Berith*. Quantum verò ad rem: Dicimus promiſſionem vitæ æternæ ſimul eſſe pactum & teſtamentum. Poſterius, quia continet promiſſionem de hæreditate danda filiis Dei, quæ non fuit rata ante mortem teſtatoris. Prius autem, quia ſimul illa promiſſio habet conditionem annexam, ſcilicet obſeruandi leges Dei. Moſes ergo loquitur de pacto dandæ hæreditatis poſt [t] teſtatoris mortem, Paulus de teſtamento conditionato, id eſt, quod ſimul eſt pactum: ac proinde de vno, & eodem loquuntur.

[m] *in Epiſt. ad Hebræos. Adde quoſdã velle vrnam, & virgam in parte aliqua exteriore arcæ fuiſſe, non intra ipſam arcam.*

[n] *Eraſ. & Caiet.*

[o] *cap. 9. v. 20.*

[p] τοῦτο τὸ αἷμα τῆς διαθήκης, ἧς ἐνετείλατο πρὸς ὑμᾶς ὁ θεός.

[q] חִנֵּה דַם־הַבְּרִית אֲשֶׁר כָּרַת יְהוָה עִמָּכֶם עַל כָּל הַדְּבָרִים הָאֵלֶּה *hinne dam habberith aſcher charath adonai gimmachem gal colhaddevarim haelle*, id eſt, *Ecce ſanguis fœderis. Quod pepigit Dominus vobiſcum, ſuper omnibus verbis iſtis. Exod. 24. verſ. 8.*

[r] *Vt docet Hieron. tom 5 in illud Malach. Ecce ego proiiciam vobis, &c. cap. 2. & patet ex Pſal. iuxta verſionem 70.*

[s] *Rom. 9. v. 4. ad Gal. v. 24. loquens in hoc loco de lege veteri, & noua (vnde & iam vſus obtinuit vt vetus, & nouum teſtamentum dicatur) in illo verò de lege antiqua.*

[t] *Propterea Moſes reſperſit ſanguinem in populum, qui figura fuit ſanguinis Chriſti effundendi.*

De Epistola Iacobi, Iudæ, secunda Petri, secunda & tertia Ioannis.

CAP. XVIII.

DE his olim dubitasse quosdam Eusebius docet. Lutherus [b] epistolam Iacobi, & Iudæ contemnit, de cæteris dubitat. Erasmus [c] affirmat epistolam Iacobi nō redolere grauitatem Apostolicam. De Petri secunda dubitat: secundam & tertiam Ioannis negat illius esse: Caietanus ambigit.

Contra 1. ponūtur omnes in catalogo nomine horū Apostolorū à [d] Laodicensi Concilio. Carthag. tertio, Florentino, atque Tridentino: ac [e] multis grauissimis patribus. 2. Concilium [f] Mileuitanum ad probandum dogma Ecclesiasticum epistolam Iacobi adducit: legiturque frequenter eodem nomine in Ecclesia.

Secunda Petri sub eius nomine ab [g] Higino, & Gregorio [h] primo, ac aliis passim citatur. Deinde qui hanc epist. scripsit, [i] affirmat se affuisse in transfiguratione Domini, affuerunt [k] autem solum Petrus, Iacobus, & Ioannes: nullus hāc epistolam duobus posterioribus tribuit. Ergo vel est Petri (maximè cum dicat se author initiò epistolæ, Simonem Petrum) vel continet errorem intolerabilem, quod nullus adhuc asseruit.

Epistola Iudæ vt eius nominatur à [l] Dionys. [m] Tertull. [n] Origene, [o] Epiphanio.

Secunda Ioannis [p] à Cyprian.

[a] 3. *hist.* 19. *idem de epist.* 2. *Petri.* 2. & 3. *Ioan. ac Iudæ tradit Hier. lib. de viris illustrib. in Petro, Ioanne, & Iuda.*

[b] *in Prolog. harum Epist. & Kemnit. sup.*

[c] *Annot. ad has epist.*

[d] *supra.*

[e] *Inno. & Gelasio sup. Orig. homil.* 7. *in Iosue Epiph. hæres.* 76. *Hier. epist. ad Paulinum de studio script. ad finē. Augustt.* 2. *de doctr.* 8. *Damasc.* 4. *de fid.* 18.

[f] *Can.* 7. *Diony. c.* 7. *Eccles. Hierar. p.* 3. *ad medium. Aug. epist.* 29.

[g] *Epist.* 2.

[h] *Hom.* 18. *in Ezechiel legiturque in Ecclesia in festo Transfigurationis ad epist. Missæ.*

[i] *cap.* 1. *v.* 18.

[k] *Matth.* 17. *v.* 1.

[l] 4. *Diuinor. Nomin. in medio.*

[m] *Lib. de habitu muliebri ante medium quo hanc Epist. Iudæ esse ait.*

[n] 5. *in* 5. *ad Rom. aliquot ante medium.*

[o] *hæres.* 76.

[p] *lib. Sent. Concilij Carth. in opinione Aurelij à Cillani.*

Tertia [q] à Dionysio.

Sed obiicitur Primò, si epistola quæ dicitur Iacobi eius est, certè illius qui fuit Hierosolymor. Episcopus. Sed hunc non fuisse verum Apostolum docet Hierony. in primum cap. [s] ad Galatas, si sit Erasmo credendum.

Negatur minor, solùm enim Hierony. ait eos decipi qui dicunt hunc Iacobum Ioannis fuisse fratrem: verè tamen Apostolum ex duodecim fuisse docet, [t] aduersus Heluidium.

Secundò [u] huius author epist. solitâ Apostolorum salutatione non vtitur: sed profanâ inquiens: *Iacobus Dei & Domini &c.* Respondeo debere magis, hâc ratione, profanam dici, quæ in [x] Actis habetur: *Apostoli, & seniores fratres hic qui sunt Antiochiæ, &c.* In quâ nec Dei, nec Domini nomen præmittitur: quam tamen nihilominus omnes fuisse Apostolorum farentur. Tertio [y], Eusebius [z] testatur hanc, & Iudæ epistolam esse adulterinam.

Respondeo, hoc falsum esse. Postquam enim Eusebius dixerat, [a] *Sciendum est quod à nonnullis non recipiatur*, subiũgit, *Nos tamen scimus etiam istas cum cæteris, ab omnibus penè Ecclesijs recipi.*

Quartò, hæc [b] Epistola iustificationem operibus tribuit; [c] Paulus verò fidei.

Respondeo, [d] Paulum de prima [e] loqui iustificatione, & nomine operum ea intelligere quæ sine gratia, fiunt & fide. Iacobus verò, loquitur de iustificatione secunda [f] quâ iustus iustior fit, & nomine operum, ea quæ fiunt cum gratiâ & fide.

Quintò, hæc Epistola in operibus tota versatur, nihil agit de fide.

Respondeo cum [g] Augustino, id fecisse Iacobum ex industria, quod scriberet aduersus eos qui nimis tribuebant fidei.

Sextò, [h] vocat author epist. legem Testamenti veteris, legem libertatis; [i] Paulus verò

[q] *3. cælest. Hierarch. vt citat Bellar.*
[r] *ab Erasmo.*
[s] *tom. 6. in illud* alium autem Apostolor.
[t] *to. 1. ad medium libri.*
[v] *est Caietani.*
[x] *cap. 15. v. 23.*
[y] *hoc arg. & quæ sequuntur sunt Magdeburgensium cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 54.*
[z] *2. Histor. 22.*
[a] *Paulò aliter legit versio Christophorsoni emendati, sed vbique idem sensus.*
[b] *Cap. 2.*
[c] *3. ad Rom. a v. 20. ad finem.*
[d] *Hæc responsio est D. Aug præfat. in Psal. 31 tom. 6.*
[e] [*Quæ fide, & charitate perficitur habituali.*]
[f] [*Per operantem charitatem suppositá fide.*]
[g] *Lib. de fide, & operibus cap. 14. tom. 6.*
[h] *Cap. 1. v. 25. & cap. 2. v. 8.*
[i] *4. ad Galatas nominatim v. 24.*

legem ſeruitutis.

Reſpondeo, per legem libertatis apud Iacobum intelligi legem teſtamenti noui. Sed ideò falluntur aduerſarij, quod putent Decalogi legem (de qua loquitur Iacobus) non ſpectare ad Chriſtianos, cuius contrarium docuit Chriſtus Math. quinto.

Septimò, Profert teſtimonia ex Petro, & Paulo: fuit ergo Apoſtolorum Diſcipulus, & non Apoſtolus.

Reſpondeo, ſimiles quidem ſententias cum Petro, & Paulo habere: [k] ſicut Iſaias cum [l] Michęa ſuo contemporaneo. At citare Petrum, aut Paulum falſum eſt.

[k] 2.v.2.3.4.
[l] cap.4.v.1.2.3.

Octauò. Non ſe vocat Apoſtolum Chriſti. Reſpondeo, nec etiam ſe talem nominare Paulum Epiſtolis ad Philippen. Theſſalon. & Philemonem. Hoc idem argumentum aſtruunt Centuriaſtæ contra Epiſtolam Iudæ.

Deinde, quod author [m] ipſius aſſerat ſe poſt Apoſtolos vixiſſe.

[m] v.17. & 18.

Reſpondeo, ſimul quidem cum Apoſtolis vixiſſe: verùm poſterius Epiſtolam ſcripſiſſe: & potuiſſe meritò aliorum Apoſtolorum mentionem facere: ſicut Pauli fecit [n] Petrus.

[n] 2.Petri 3.v.15.

Tertiò obiiciunt; in Perſide prædicaſſe Iudam: & proinde, ſi quid ſcripſit, Perſicè ſcripſiſſe.

Reſpondeo, Matthæum etiam Euangeliſaſſe in Æthiopia, minimè tamen Æthiopicè ſcripſiſſe. Scripſit ergo Græcè Iudas, quia erat lingua communior.

Quarto, [o] refertur in hac Epiſt. quædam hiſtoria de altercatione S. Michaëlis cum Diabolo, pro corpore Moyſi, [p] & citatur quoddam vaticinium ex libro Henoc, quorum nihil inuenitur in probatis ſcripturis.

Sed etſi [q] veri ſimilius ſit librum Henoc Apocriphum eſſe, [r] tamen credendum eſt, Henoch

[o] *Verſ. 9.*
[p] *v. 14. & 15.*
[q] *Tertull. lib. de habitu muliebri cõtendit librum Henoch eſſe canoni.*
[r] *Hæc reſponſio colligitur ex Aug. 15. Ciuit. 23. & Hiero. in cap. 1. ad Titum tom. 6. quo fusè hãc de re agit.*

aliquid diuini, & Prophetici ſcripſiſſe, ac eius vaticinium tantum citari & probari à Iuda. Quemad. Paulus ex [s] Arato, [t] Menandro, & [u] Epimenide, nonnulla vera citauit, neque tamen eorum omnia ſcripta probauit. Contra Petri poſteriorem obiiciunt ſtyli diuerſitatem à priori. Sed ſi quæ diuerſitas ſit, nata eſt ex interpretum diuerſitate, [x] vt Hieron. reſpondet.

Contra ſecundam, & tertiam Ioannis opponunt authoritatem [y] Papiæ, docentis duos fuiſſe Ioannes vnum Apoſtolum, alterum ſeniorem dictum. Et quia author harum Epiſtolarum, ſe ſeniorem nominat, veriſimile eſſe, fuiſſe huiuſmodi poſteriorem Ioannem. Sed coniectura hæc [z] leuior eſt, quæ opponi debeat Eccleſiæ iudicio, quæ has Epiſtolas Ioanni Apoſtolo tribuit: ideò dictus meritò ſenior, quòd poſt omnes Apoſtolos vixerit.

[s] *in Phænomenis teſte Hier. ſup. citato Act. 17. verſ. 28.* τῶν γὰρ καὶ γένος ἐσμεν. *Ipſius enim & genus ſumus.*

[t] *in Comœdia:* φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί. *Corrumpunt mores bonos colloquia prauа 1. Cor. 15. v. 33.*

[u] *in Oraculis citatur à Paulo 1. ad Titum v. 12.* κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

[x] *q. 11. ad Hedib. ante medium tom. 3.*

[y] *apud Euſeb. 3. cap. vltimo hiſtoriæ & Hieron. de viris illuſtr. in Papiâ, item de duobus Ioan. in Ioan.*

[z] *Nam nec Papias nec Euſeb. aut Hieron. dicunt propterea has epiſt. non eſſe Ioan. Apoſtoli, ſed prior nihil hâc de re: alij duo tantùm declarant attribui Ioanni non Apoſtolo à quibuſdam: porro Hieron. epiſt. 85. ad Euagrium quæ incipit,* Legimus in Eſaia, &c. *diſertè affirmat eſſe Apoſt. Ioannis.*

De Apocalypſi.

CAP. XIX.

MARCIONISTAE, [a] Alogiani, [b] & Theodotiani Apocalypſim reiiciebant: idem facit [c] Lutherus, qui ſe aliquid in ea deſiderare dicit, quòd hic liber affirmet beatos qui ſeruauerint, quæ in ipſo ſcripta ſunt, cum vult 4. li. Eſdræ. *Brentius & Kemnit. ſup. Luthero ſubſcribunt.*

[a] *apud Tert. 4 contra Marcionem folio poſt initium vno.*

[b] *apud Epiph. hæreſ. 51. & 54. hâc initio, illâ aliquot poſt initium.*

[c] *in Prologo, præfatione verò antiquiore noui Teſtamenti Apocalyp. ſimilem*

[d] *cent.1. lib.2. cap. 4. col. 56.*
[e] *apud Euseb.3.hi. 28.vt citat Bel. verum in vers. Christophorſ. cap. 22. (quod reſpondet 28. Ruffini) vbi de hâc re agitur,non fit mentio Apocalyp. ſed neſcio quarumdam reuelationum quibus nitebatur Cherintus,quas fingebat à magno quodam Apoſtolo conſcriptas.*
[f] *Apud Euſeb. 7. hiſt. 20. vel iuxta Ruffi. 23. qui Dion. ex profeſſo refellit opinionem dicentiũ*

tamen ea nemo intelligat. A Luthero deficiunt dumtaxat [d] Magdebu. [e] Caius vetuſtus author Cherinti librum eſſe affirmat. canonicum verò eſſe [f] aſſerit Dionyſ. Alexand. An vero ſit Ioannis [g] dubitat.

At Apocaly. [h] citatur nomine Ioãnis à Concilio Ancyrano,ante mille ducentos annos. [i] In Carthag.autem tertio, & Rom.ſub Gelaſio primo,inter Canonicos computatur libros. [k] Toletan.denique quarto , multorum Conciliorum & Pontificum ſanctionibus confirmatur eſſe Ioannis Apoſtoli. Deinde [l] PP. Græci [m] Dionyſ. [n] Irenæus , [o] Origen. [p] Athanaſ. [q] Epiph. [r] Damaſ.vt Ioannis recipiunt. [s] Theophilus autem, [t] Melito [u] Dionyſ. & [x] Clemens Alexandri atque [y] Chryſoſt. vt diuinam ſcripturam agnoſcunt.

Denique PP. Latini [z] Cypria. [a] Hilar. [b] Innocent. [c] Ruffin. [d] Iſidorus pro ſacra , & diuina ſcriptura Apocalypſ. recipiunt. [e] Tertull. verò [f] Ambroſ. [g] Auguſt. [h] & Hierony.

Apocalyp. eſſe Cherinti. Tamen qui ſint illi non nominat. [g] *Ibid. & apud Niceph.6.cap.23.* [h] *Can.vltimo.* [i] *Can.47.* [k] *Can. 16.* [l] *[Obſervat Cæſar Baron.1. Annal.p.737. & 738. Sanctos Baſil. & Greg. Naz. atque Amphilochium (qui carmine ad Seleucum ait plurimos putare Apocalyp. adulterinam eſſe) ab ea interdum abſtinuiſſe. Nec Conc. Laodicenum in Catolog. lib. Canon. eius meminiſſe. Quæ fuerit cauſa Hieronymo aſſerendi in Epiſtola 129. ad Dardan. Eccleſias Græcorum non recipere Apocalypſim.]* [m] *Cap.3.p.3.cæleſt.Hierarch. quo ait eſſe dilecti diſcipuli viſionem.* [n] *lib.5.cap. 35. ad finem.* [o] *Homil.7.in Ioſue & in Pſal.1.* [p] *in Synopſi.* [q] *Hæreſ.51 & 76.* [r] *ſupr. item Iuſtin. Dialog.cum Tripho. vltra mediũ.* [s] *apud Euſeb.4.hiſt.23 in Ruff 24.* [t] *Euſeb.ſup cap.24. in Ruff. 26.* [v] *ſup.* [x] *2.Pædag.12.* [y] *in Pſal 90. ad finem. Quis eſt (inquit) iſte leo qui de tribu Iuda.* [z] *de exhortatione martyrij cap. 3. 8. 10. 11. & 12.* [a] *præfat.in Pſal.* [b] *Epiſt.ad Exuperium.* [c] *in Expoſit. Symboli cum enumerat libros Canonic.* [d] *6. Etymol.1.* [e] *Contra Marc.4 ſup.* [f] *in illud etenim homo pacis meæ. Pſal. 40. tom 1.* [g] *Tract.36.in Ioan.ad medium to.9.* [h] *Epiſt. ad Paul. & Dardan. ſup. qui etſi tantum dicat eſſe Ioannis, tamen ſatis apparet loqui de Ioanne Euang. ſicut & Ruffi. ſup.*

Apoſtoli Ioannis eſſe volunt. Quare ad Lutherum reſpondetur, etſi multa ſint in hoc libro vaticinia obſcura, multa tamen eſſe clariſſima vitæ præcepta, vt de conſtantia in perſecutionibus, odio Hæreticis habendis &c.

Sed obiicit Eraſmus 1. à nonnullis dubitatum de hoc libro, ab alijs tacitum. At illis opponimus tot ſupra citatos PP. Secundò authorem libri paſſim ſuum inculcare nomen dicens. Ego Ioannes: quaſi ſyngrapham ſcriberet, non librum.

Reſpondeo id falſum eſſe, cum ad ſummum ter nomen Ioannis in hoc libro inueniatur: deinde quid inde abſurdi: nonne Daniel, vt minimum octies ait ego Daniel.

Tertio non haberi in titulo Græco Ioannis nomen, ſed Theologi.

Reſpondeo nullum inter Apoſtolos habuiſſe Theologi nomen, [1] præter Ioannem Euangeliſtam.

[1] *Quare Dionyſ. Areop. epiſt. ad Ioan. Athan. in ſynop. aliique veteres eum Theologum vocant.*

De libris Apocryphis.

CAP. XX.

APOCRYPHVS rem ſignificat occultam, atque reconditam ἀποκρύπτειν enim celare eſt, ἀποκρυφὴ verò latibulum. A [a] ſcriptoribus autem Eccleſiaſticis interdum illæ dicuntur Apocryphæ ſcripturæ, de quibus non eſt certum an ſint Canonicæ, etſi conſtet nullos continere errores, [b] interdum verò, quæ adiunctos continent errores. [c] Apocryphi libri ſunt, Oratio Manaſſæ, quia nec pars eſt alicuius ſacri libri, nec ponitur nominatim in Canon. à Concilijs, aut PP. & in ſola habetur edi-

[a] *ita Hierony. in prolog. Galeato ad finem.*

[b] *ita Hieron. epiſt. ad Lætam de Inſtitutione filiæ to. 1.*

[c] *de Apocryphis libris vide Gelaſ. d. 15. Can. Sancta Romana. Innocent. 1. epiſt. 3. [& Baron. to. 1. Annal p. 326. 327. 328. anni 44.]*

tione Latina. Pſalmus centeſimus quinquageſimus primus, quia [d] Concil. Laodicen. & Tridēt. tantum admittunt centum quinquaginta pſalmos. Appendix Iob. Non enim in vulgata editione Latina habetur: cum tamen tantùm eos Canonicos velit [e] Concil. Trident. qui in ea editione habentur. Oſtenditque [f] Hierony. falſò dici in hoc appendice, Iob fuiſſe de ſtirpe Eſaü, [g] cum fuerit de ſtirpe Hus, qui fuit filius Nachor. Apocryha etiam videtur præfatiuncula in Threnos, nam nec in Hebræis, nec in Latinis omnibus codicibus habetur, nec attingitur ab expoſitoribus. Apocryphus liber Hermetis, qui inſcribitur Paſtor. Etſi enim [h] PP. quidam eum citauerint, à nullâ tamen Synodo in Canonem relatus eſt, imò [i] Gelaſius eum à Canone reiicit. Eadem ratio erit de quarto Machab. (à ſolo enim [k] Athanaſ. nominatur, & ab eodem extra Canonem ponitur.) Ac de quarto Eſdræ, qui à nullo Concilio in Canone ponitur, nec in Hebræo aut Græco habetur. Tertius Machabæor. in Canonem refertur à Clemente, Canone octuageſimo quarto Apoſtolorum. Sed Canon iſte non videtur eſſe Apoſtolorum, tum quia Zepherinus à Petro decimus [l] quintus ſolū ſeptuaginta, vel ſexaginta Canones Apoſtolorū fuiſſe [m] tradit. Tùm quia in ipſo Canon octuag. quarto, numerantur inter ſacros libros Epiſtolæ duæ [n] Clementis, quas vt Canonicas nuſquam Eccleſia recepit, & omittuntur qui reuera Canonici ſunt vt libri Eſdrę, Tobiæ &c. Quare Gelaſius Canones Apoſtolorum inter Apocrypha [o] reiecit, ob aliquos corruptos, vel additos. Nec refert fuiſſe octuaginta quinque approbatos in [p] Canonibus qui dicuntur ſextę Sinodi. Nam re-

[d] *Canon. 59.*

[e] *ſeſſ. 4.*

[f] *In quæſtionibus ſiue traditionibus Hebraicis in Geneſim ad medium in illud:* Et nunciauerunt Abraham dicentes: Ecce peperit Melcha, &c.

[g] *Ille enim Iobab qui numeratur inter poſteros Eſau Geneſ. 36. v. 33. ſcribitur* יובב *Iob vero de terra Hus* אייוב.

[h] *Tertull. lib. de orat. ad finem. Ireneus 4. cap 37. initio Clemens Alexādr. 6. Strom. Athan li. de decret. Nicæ. Synodi. Huncque librum reuera vtilem ait Hieron. de viris illuſtr. in Hermete & Euſeb. 3. cap. 3.*

[i] *Decreto de libris Eccleſiaſticis.*

[k] *in Synop.*

[l] [*aliàs 85. in Balſamone.*]

[m] *Epiſt. 1.* [n] [*item ordinationum Clementis libri octo, & illius Apoſtolorum Acta*] [o] *Can. Sanct. Rom. d. 15.* [p] *Can. 6.*

uera hi Canones non ſunt ſextæ Synodi, ſed cuiuſdam alterius Concilij poſtea celebrati, & à Sergio [q] Papa reprobati. De tertio Eſdræ videtur aliqua difficultas. Nam in codicibus Græcis eſt primus, nobis autem primus, & ſecundus illis eſt ſecundus. Quocirca veriſimile eſt, antiqua Cõcilia & PP. cùm ponunt in Canone duos libros Eſdræ, intelligere omnes tres, ſequebantur enim verſionem ſeptuaginta interpretum. Adde citari tertium Eſdræ ab [r] Athanaſio, [s] Clement. Alexand. [t] Cypr. [u] Auguſt. Nihilominus hoc non eſt admittendum. Tùm quia Melito, Epiph. Hilar. Hierony. Ruffin. in Canone exponendo veteris teſtamenti apertè ſequuti ſunt Hebræos. Hebræi autem tertium Eſdræ non habent: tùm quia nihil ex hoc tertio libro legitur in officio Eccleſiaſt. quod argumentum eſt non fuiſſe à longo tempore hunc librum in numero ſacrorum habitum. Deinde [x] Galaſ. vnum tantum Eſdræ librum recipit, quo ſine dubio duos [y] noſtros intelligit. Ex Græcâ vero 70. interpretatione nihil dumtaxat certi aſſeri poteſt, in quorum exemplaribus extitit mira varietas teſte Hier. Quare nec correctiores codices Græci, tria Eſdræ volumina habebant. vtuntur autem PP. teſtimoniis huius libri propter vtilitatem, ſed id & rarò faciunt, & nuſquam ſacrum, aut diuinum appellant.

[q] *teſte Beda lib. de 6. ætatibus in Iuſtiniano. Vide infra lib. 1. de Concil. c. 7.*

[r] *Orat. 3. contra Arianos.*

[s] *1. Stromat.*

[t] *Epiſt. ad Pompeium. aliquot ante finem.*

[u] *v. 18. Ciuit. 36.*

[x] *in Concil. Rom. 70. Epiſcop.*

[y] *qui Hierony. teſte præfat. in Eſdram vno volumine continetur [& Epiph. de ponderibus & menſuris teſtatur pro vno libro haberi à Iudæis.]*

DE VERBO DEI

LIBER SECVNDVS,

Qui est de editionibus librorum Sacrorum.

Ostenditur editionem Hebraicam Mosis, & Prophetarum numquam periisse.

CAP. PRIMVM.

VNIVERSAM sacram scripturam periisse, euersione Ciuitatis, & Templi per Babylonios [a] nonnulli docuerunt, ex libro [b] quarto Esdræ. Sed cum huiusmodi liber Apocryphus sit, [c] nullum est testimonium eius. Id minus etiam colligitur ex illis secundi libri. [d] *Dixerunt Esdræ scribæ, vt adferret librum legis Mosi*: [e] Attulit ergo Esdras. Non enim dixerunt, vt iterum componeret librum legis, sed vt afferret, quia sciebant inueniri posse. Nam etsi scripturæ quæ seruabantur publicè in templo incensæ fuerint à Babylonijs, tamen verisimile est ipsarum exempla apud [f] Hebræos fuisse priuatim seruata. [g] Alij contendunt libros quidem sacros ab Esdrâ restauratos fuisse, non quidem iterum omnia dictando, sed colligendo, & in vnum ordinando corpus, cum eo-

[a] *Basil. Epist. ad Chilonem quæ est 281. paulo ante finem. Hic campus* (inquit) *in quo secessu facto Esdras omnes diuinos libros, ex mandato Dei eructauit.*

[b] *cap. 14.*

[c] *[sed nec in hoc cap. habentur quinam sint libri, quos tunc eructauit Esdras.]*

[d] *cap. 8. v. 1.*

[e] *v. 2.*

[f] *Maximè apud Ezech. Daniel. Hieron. Aggæum Zachar. & Esdram qui in hæc tempora viuebant.*

[g] *Chrysost. hom. 8. in ep. ad Hebr. aliquot ante finem. to. 4. Theodoret præf. in Psal. Tertull. de habitu muliebr. in medio.*

rum emendatione, quæ deprauata fortè contigerãt. Sed Hieron. in Galeato prologo. Esdram nouas quidem inuenisse literas Hebraïcas meminit: [h] de noua autem editione ab Esdrâ nihil prorsus dicit. Deinde si iterum huiusmodi libros dictasset, certè vel Chaldaïcâ lingua, vel mixta ex Hebræa & Caldaïcâ, quæ tunc erat in vsu, & quâ conscripti sunt libri Danielis, & Esdræ. At in libris sacris manet germanum Idioma Hebræum, vt patet ex propriorum Etymologiâ nominum, verbi namque gratia Hebraïcè Mulier est אִשָּׁה, vir autem אִישׁ quasi qui diceret vir, & virago. At in nullâ aliâ lingua vir, & mulier hãc habent nominis similitudinẽ. Denique linguam Hebraïcam, quâ sacros libros scriptos esse videmus, antiquissimam, & primam omnium linguarum esse breuitas, atque simplicitas eius: tum authoritas [i] Eusebij, [k] Ambrosij, [l] Hierony. atque [m] Augustᵗ. docent. Nec repugnat eundem Augustᵗ. [n] dicere linguam Hebraïcam inuentam post tempora Noë. Nihil enim aliud intendit quam tunc temporis Hebræam fuisse dictam ab Heber. in cuius manſit familiâ, post linguarum confusionem, & quæ antea erat cõmunis fuisse priuatam. Quare sequitur legis, & Prophetarum libros non ab Esdrâ, sed à Mose, & Prophetis nos habere scriptos.

h *Cum ibi maximè esset locus dicendi.*

i 10. *præpar.* 2.

k *in* 3. *ep. ad Phil. ad illud si quis alius videtur confidere in carne tom.* 1.

l *Epist.* 142. *ad Damas. multis ante me dium tom.* 3.

m 16. *Ciuit.* 11.

n *sup. cap. vlt. ad finem.*

Num Hebraica editio sit corrupta.

CAP. II.

[a] ALVIN. [b] Kemnit. & [c] Georgius [d] Maior omnia volunt examinari, & emendari ad Hebræum textum. Sed hæc sententia falsa est. Nam ipsemet [d] Caluinus conten-

a *in Antidoto Concil Trident.*

b *in Examine.*

c *præfat. in Psal.*

d *cap.* 6 §. 11. *Institutionum.*

dit esse legendum Isaiæ [c] nono *Et vocabitur admirabilis.* At Hebræus textus nunc habet [f] יִקְרָא *vocabit.* vulgaris autem lectio melior est. Item Psal. decimo octauo Hebræi codices legunt: *In omnem terram exiuit.* [g] קָוִם *linea siue perpendiculum eorum.* Non solùm autem septuaginta verterunt φθόγγος αὐτῶν: sed eorum versionem approbauit [h] Paulus, & [i] Hierony. ex Hebræo vertit: *Exiuit sonus eorum.* Desunt etiam in Hebræo aliquando integræ sententiæ, quæ nec in versione septuaginta, nec in translatione Hierony. desunt, vt illud [k] Exodi. *Alium quoque genuit, & vocauit nomen eius Eliezer, dicens Deus patris mei auxiliatus est mihi, & liberauit me de manu Pharaonis.*

[l] Alij volunt Hebræos in odium Religionis Christianæ multa deprauasse loca. Sed vt argumentantur Orig. atque [n] Hierony. Si Hebræi sacras deprauarunt scripturas, vel ante Christi aduentum, vel post. Si ante, quare à Christo non fuerunt dumtaxat reprehensi, cum leuiora non tacuerit? Quare auditores suos ad scripturarum lectionem [o] inuitauit? Si posterius: vnde ergo testimonia à Christo, & Apostolis citata, nunc omnia ferè inueniuntur in Mose, atque Prophetis, vt ab illis sunt citata? Deinde vt ait [p] August. non est [q] verisimile Iudæos longè, latéque diffusos, in hanc conspirasse deprauationem. Nec dicas post Hierony. & Augustini tempora hanc contigisse deprauationem. Nam vnde ergo illa Hierony. Psalmor. translatio, conueniens in omnibus, cum textu Hebræo qui nunc extat. Si quidem de Psalmorum deprauatione, præcipua est controuersia. Quod autem Psalmo [r] vigesimo secundo legamus *foderunt*, Hebræi verò nunc legant [s] כָּאֲרִי *sicut leo*, non debet mouere. Nam Rabbini in Massoreth (quem post Hierony. scripserunt) monent esse legendum [t] כָּאֲרוּ *foderunt.*

[c] *Vers. 6.*
[f] *Iikra.*
[g] *Kavam.*

[h] *Rom. 10. ver. 18.* εἰς πᾶσαν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγγος αὐτῶν.
[i] *in versione suâ ex Hebræo. Psal. 19. tom. 7.*
[k] *cap. 2. v. 22.*

[l] *Vt Iacobus Christopolitanus Episc. præfat. in Psal. & Canus 2. de loc. cap. 13.*
[m] *Octauo libro in Isayam.*
[n] *Tomo 4. in illud 6. Isaiæ. Et dixit vade, & dices populo huic &c. citans Origen. sup.*
[o] *Ioan. vers. 39. ca. quinti.*
[p] *15. Ciu. 13. initio.*
[q] *aut Septuaginta voluisse ex industriâ & inuidiâ textum deprauare.*
[r] *apud nos 21. ver. 18.*
[s] *Chaari.*
[t] *Chaaru vel charu.* כָּרוּ.

Tertiò, [v] Philo teſtatur vſque ad ſua tempora, per ſpatium amplius, quam duorum millium annorum, ne verbum quidem in lege fuiſſe mutatum: Et quemlibet Iudæum centies potius moriturum, quàm in aliquo pati legem mutari. Non eſt autem veriſimile poſteriores Iudæos aliquid mutaſſe, cum legem vt numen adorent.

Quartò, ſi corrumpere voluiſſent ſcripturas, maximè vaticinia de Chriſto, hoc tamen minimè fecerunt: Et in quibus à nobis diſcrepant parui ſunt momenti quantum ad fidem, & religionem: Et ſæpè [x] codices Hebræi magis vexant Hebræos, quam Græci, aut Latini.

Denique, veriſimile non eſt Deum permiſiſſe tantam fieri corruptionem, in ſuæ iacturam Eccleſiæ, cuius adeò grauem gerit prouidentiam.

Obiiciunt [y] Iuſtinum, [z] Euſeb. [a] Origen. atque [b] Chryſoſt. ſuſpicantes Iudæos, ex Hebræis codicibus quædam eraſiſſe, quædam corrupiſſe, in odium Religionis Chriſtianæ.

Reſpõdeo, hæc eſſe verba Iuſtini, *Ac* (inquit) *quod illi multos, & integros locos illarum, ex tranſlatione eorum, qui cum Ptolomæo fuere, ſeniorum ſuſtulerint, &c ſcire vos volo.* Quibus verbis apertè loquitur de verſione ſeptuaginta. Euſebius nihil aliud dicit quam conuictum à Iuſtino Tryphonem maiores ſuos ex ſcripturis quædam capitula fraudaſſe. Quod certè intelligendum eſt, vt ſuis verbis expoſuit Iuſtinus. Origenes autem loquitur de ijs quæ 70. abſtulerunt, vel poſtea in eorum editione fuêre corrupta. Chryſoſtom. verò [c] de interpretibus Iudæis Aquila, Symmacho, & Theodotione.

[v] *Lib. de egreſſu filior. Iſrael ab Aegypto & citatur ab Euſeb. 8. præp. 2. poſt initium.*

[x] *Vt illud Iſaiæ 53. v. 4. Nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum in Hebræo, legi poteſt* מכה אלהים ומעגה *mucche elohim vmghumne: Percuſſum Deum, & humiliatum.*

[y] *Dialogo cum Triphone poſt medium.*

[z] *4. hiſt. 17. Ruff. 18.*

[a] *homil. 11. in Hierem. in medio. & ad finem.*

[b] *Homil. 5. in Matth. ante mediũ tom. 2.*

[c] *De quibus etiam loquitur Hieron. in epiſt. 89. ad Aug. to. 2. cum ait, (aliquot ante finem) ſe voluiſſe diuinos libros vertere ex Hebræo, vt quæ Iudæi omiſerant, & corruperant reſtitueret. quod autem in illud S. Micheæ. Et tu Bethlem Ephrata, ad finem to. 5. & 6. in cap. 3. ad Galat. dicat Iudæos aliquid ex Hebræo eraſiſſe, dubitando loquitur. At in Iſaiam ſup. videt eos qui putant Hebræos codices eſſe falſatos.*

Obiiciunt ſecundo: Iudæos paſſim affirmare multa à quibuſdam ſuis Sapientibus [d] mutata eſſe in ſacris libris.

Reſpondeo. 1. fortè hoc non eſſe verum: huius enim ſententiæ origo eſt Talmud, liber fabuloſiſſimus. Quare Hierony. & Epiph. antiquiores Talmud, nuſquam huius mutationis, vel correctionis meminerunt. 2. etiamſi illud verum ſit, tamen nihil aliud eſſe quam veram locorum deprauatorum emẽdationem factam ab Eſdra, & alijs ſanctis Prophetis, poſt reditum à captiuitate. Certè in editione noſtra vulgata iſta [e] loca ita habentur, vt Scribæ correxiſſe dicuntur: atque ita ſe legiſſe ſignificat ipſe Hieron. commentar. ſuis in Prophetas.

Tertio deeſſe in omnibus impreſſis codicibus Hebræis hos verſiculos pſalmi decimi tertij, ab Apoſtolo citatos Rom. 3.

[f] *Sepulchrum patens eſt guttur eorum.*
Linguis ſuis doloſè agebant.
Venenum aſpidum ſub labiis eorum.
Quorum os maledictione & amaritudine plenũ eſt.
Volucres pedes eorum ad effundendum ſanguinem.
Contritio, & infœlicitas in vijs eorum.
Et viam pacis non cognouerunt.
Non eſt timor Dei ante oculos eorum.

[g] Hieron. reſpondet huiuſmodi verſus non pertinere propriè ad pſalmum decimum tertium: ſed ab Apoſtolo allegari ex [h] varijs ſcripturæ locis. Deinde ab aliquo alio in pſalmum iſtum tranſlatos. Cum tamen neque habeantur in tranſlatione huius pſalmi à Septuaginta, ne-

[d] *Has mutationes vocant* תִּיקוּן סוֹפְרִים *Tikun Sophrim.*

[e] *Vt Oſee 9.v. 12. olim fuiſſe dicunt* בְּשָׂרִי מֵהֶם *: Beſcari mehem caro mea ex eis, vt habẽt 70. ſcribas correxiſſe ſicut & nos habemus, & Hier. legit ibi to.5.* מֵהֶם בְּשׁוֹרִי *Beſuri mehem, cum receſſero ab eis item Abacu. 1. verſ. 12.* לֹא תָמוּת *lo thamuth, non morieris correxiſſe* לֹא נָמוּת *lo namuth, non moriemur vt nos & Hier. habemus, &c.*

[f] *v. 13.* τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν. Ταῖς γλώσσαις αὐτῶν ἐδολιόυσαν. ἰὸς ἀσπίδων ὑπὸ τὰ χείλη αὐτῶν. *Ver. 14.* ὧν τὸ στόμα ἀρᾶς καὶ πικρίας γέμει. *V. 15.* ὀξεῖς οἱ πόδες αὐτῶν ἐκχέαι αἷμα. *16.* Συντριμμα, καὶ ταλαιπωρία ἐν ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν. *17.* καὶ ὁδὸν εἰρήνης οὐκ ἔγνωσαν. *18.* οὐκ ἔστι φόβος θεοῦ ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν.

[g] *Præfat. comment. in lib. 16. in Iſaiam.* [h] *primus & 2. Inueniuntur Pſal. 5. verſ. 11. tertius. Pſal. 139. verſ. 3. quartus. Pſal. 9. ver. 8. quintus 6. & 7. Iſaiæ verſ. 7. & 8. vltim. Pſal. 35. verſ. 1.*

que vllus author Græcus in ſuis commentariis in hunc pſalmum exponere huiuſmodi verſus voluerit. Nec quidquam intereſt illos inueniri in veruſtiſſimo quodam Anglicano codice. Manifeſte enim ſunt addititij. Nam nec verba ſunt omnia Hebraïca vt illud [i] מַזָּל ſors, nec phraſis, præſertim in illo verſu אֲשֶׁר פִּיהֶם אָלָה וּמָרָה מָלְאָ *Aſcher Pihem* [k] *alah vmarach male. Quorum os eorũ dolus, & amaritudo impleuit.* Non enim Hebræi ad finem verba collocare ſolent. Patitur tamen Eccleſia hos verſus huiuſmodi pſalmo, quia partes ſcripturæ ſunt, nec queunt auferri, ſine ſcandalo populi, cum iam longo recepti ſint vſu.

[i] *Mazal.*
[k] *Maledictio, execratio.*

Vltimò, legitur in Hebræo Geneſis [l] octauo: *Cornus egrediebatur, & reuertebatur.* At vulgata editio, & Septuaginta habent, *non reuertebatur.*

[l] *Ver. 7.*

Reſpondeo, in Hebræo non haberi, *& reuertebatur*, Sed, [m] *Et exiit exeundo, & redeundo, donec ſiccarentur aquæ*: quod non ſignificat coruũ rediiſſe intra arcã, ſed circa eam volitaſſe, eundo, & redeundo, vt ſolent aues: cum quo benè cohæret, quod egrediebatur, & non reuertebatur, nimirum, intra arcam.

[m] יָצֹא יָצוֹא וָשׁוֹב *Vaietſe iatſo vaſcof.*

Tertia ergo ſententia vera eſt, ſcilicet Hebraïcas quidem ſcripturas, non eſſe omnino integras, & puras: ſed habere aliquos errores, qui partim typographorum incuriâ, partim Rabbinorum ignorantia irrepſerunt: verùm huiuſmodi errores nec fidei, nec bonis moribus officere poſſe. Qui enim ex punctorũ mutatione contigerũt, poſſunt aliter legi per aliorum additionem punctorum.

De editione Chaldaica.

CAP. III.

CHALDAICA editi sunt linguâ Tobias, Iudith, & ex parte, libri Esdræ, & Danielis: Paraphrasticè quoque trãslatum est [a] vetus testamentum ex Hebræo in Chaldæum, quam paraphrasim Targum vocant, magnæ quidem apud Iudæos authoritatis: exiguæ autem apud Catholicos (nisi ad confutãdos Iudæos) Quod hæc paraphrasis multis mendis, & fabulis abundet.

[a] *Pentateuchum transtulisse fertur R. Aquila Chaldaicè Onkelus dictus. Iosue, Iudices, Regum libros & proph. R. Ionatham Vzielu filius. Psalmos, Iob, Ruth Esther, & Salom. opera R. Iosephus cæcus.*

De Syriaca editione.

CAP. IIII.

HEBRAEI in captiuitatem ducti paulatim cęperunt linguam obliuisci propriam, & Chaldaïcã discere: quia tamen eam perfectè pronuntiare nequibant, & aliquid ex Hebræo retinebant semper, hinc tertia quædam lingua nata est, ex vtraque mixta: vulgaris, ac materna Iudæorum deinceps: quæ Syriaca dicta est, à regione in qua maximè viguit.

Distinguntur verò, Syriaca, atque Chaldaica caracteribus, coniungationibus verborum, affixis, punctorum notatione, sono vocalium, idiotismis, ac toto ferè structura linguæ.

Nullus autem liber testamenti veteris Syriacè scriptus est ab authore primo, nisi fortè primus

mus Machabæorum & Eccleſiaſticus: quorum vtrumque [a] Hieron. teſtatur ſe Hebraeum legiſſe. Veriſimile autem eſt conſcriptos fuiſſe lingua apud Hebræos tunc temporis vulgari, nimirum Syriaca. [b] Quidam etiam probabiliter volunt Euangelium Matthæi ab ipſo Syriacè ſcriptum, & Epiſtolam ad Hebræos ab authore ſuo. Quod enim nonnulli PP. [c] dicunt hæc ipſa fuiſſe Hebraïcè ſcripta, intelligendum eſt de vulgari linguâ, inter Iudæos, tempore Apoſtolorum: quemadmodum dicuntur in Euangelio [d] quædam Hebraïcè dicta, quæ tamen Syriacè prolata fuêre. Præterea nouum Teſtamentum è Græco fuiſſe à ſancto tranſlatum Marco Syri arbitrantur. Sed hoc minimè veriſimile eſt: cum huiuſmodi tranſlationis non meminerint Clemens Alexandr. Origenes, Euſeb. Athanaſ. Theophilus, Epiph. Hieron. Cyrillus, Theodor. alijve PP. qui vel in Syriâ, vel Ægypto, aut Epiſcopi, aut Preſbyteri fuerũt, & multa de ſcripturis ſacris ſcripſerunt. Quare in editio Syriaca ætate horum PP. poſterior eſt, non poteſt eius authoritas tanta eſſe, vt cum editione Græcâ, aut Latinâ meritò comparari poſſit.

[a] *De priori, in prolog. Galeato, de poſterior. præfatione in prouerbia.*

[b] *Albertus Vuidmeſtadius Ferdinãdi imperatoris Cancellarius, & Guido Fabritius, cuius eſt Latina interpretatio noui Teſtamenti Syriaci in Biblijs regijs.*

[c] *Vt Irenæ. Orig. Euſeb. Athanaſ.*

[d] *De quibus vide Hieron. de nominibus Hebraicis to. 3.*

De variis Græcis Editionibus.

CAP. V.

EDITIONES Græcæ Teſtamẽti veteris nouem omnino numerantur, omiſſa illa cuius meminit Clemens Stromat. primo, & ex qua Plato, cæteríque Philoſophi non pauca hauſerunt.

Prima, eſt Septuaginta Seniorum.

Secunda, eſt [a] Aquilæ Pontici, facta ex He-

[a] *Fuit iſte primo gentilis, deinde Chriſtianus, tum ab Eccleſia pulſus, quod Aſtrolog. Iudiciariæ incuberet, ad Iudæos ſe contulit, quo tempore ſcripturas interpretatus, nec ſatis bonâ fide.*

[b] *teſte Epiph. lib. de menſ. & ponder.*

[c] *Hic ex Marcioniſta factus eſt Iudæorũ proſelitus: maiori tamen fide ſe interp. egit. Quocirca Eccleſia Danielem ex eius interpr. ſemper legit, teſte Hier. præf. in Danielem.*

[d] *Fuit primum Ebionita, iuxta Euſeb. 6. hiſt. 12. vel Samaritanus, iuxta Athanaſ. ad finem Synop. & Epiph. ſup. deinde verò ad Iudæos ſe contulit.*

[e] *Epiph. ſup.*

[f] *teſte Epiph. ſup.*

[g] *Vt narrat Epiph. ſupr. & hæreſi 64. & Euſeb. ſup.*

[h] *Diuiſit enim Origen. primò, ſingulas pag. in 6. columnas: in 1. deſcripſit Hebraicum textum Hebraïcis literis, in 2. eundem literis Græcis, in 3. Interpret. Aquilæ, in 4. Symmachi, in 5. Sept. ſeniorum, in 6. Theodotionis. Atque hæc volumina propter 4. interpret. tetrapla, propter 6. columnas exapla dicebantur. Addidit deinde 5. & 6. verſionem, vnde octapla dicta.*

[i] *teſte Athanaſ. ſup.*

bræo in Græcum tempore Adriani [Poſt Septuagin. Interpretes, annis 430. menſibus 4. iuxta [b] Epiphan.]

Tertia, [c] Theodotionis ſub Commodo.

Quarta, [d] Symmachi temporibus Seueri Auguſti.

Quinta, [e] innominati authoris, in quibuſdam reperta dolijs in vrbe Hierico, anno ſeptimo, Antonij Caracallæ.

Sexta, [f] quoque ſine nomine authoris inuenta in dolijs apud Nicopolim, Imperante Alexandro Mammææ. Ex [g] quibus omnibus editionibus compoſuit Origenes [h] hexapla, ſiue tetrapla, & octopla.

Septima editio, eſt Origenis, qui ſcripturas quidem ex Hebræo non tranſtulit, ſed ita interpretationem Septuaginta emendauit, vt nouam editionem feciſſe putaretur: quæque videtur illa quam Hierony. præfat. in decimum ſextum lib. in Iſaiam κατὰ τὸ vocat, id eſt communem.

Octaua, [i] Sancti Luciani preſbyteri, & martyris, reperta Nicomediæ, Imperante Conſtantino.

Nona, Heſychij, qui interpretationem Septuaginta iterum emendauit, atque Ægypti Eccleſijs tradidit.

De interpretatione ſeptuagintæ Seniorum.

CAP. VI.

PRIMA quæſtio hac de re eſt, quo tempore facta ſit huiuſmodi interpretatio. [a] Irenæus, & [b] Clemens Alexandr. volunt contigiſſe ſub Ptolomæo Lagi filio. [c] Ariſtæus tamen, [d] Tertull. [e] & Athanaſ. ſub Ptolomæo Philadelpho eius ſucceſſore, decimo ſeptimo regni vt refert [f] Epiph. [g] quod probabilius eſt. Et proinde à tempore factæ tranſlationis vſque ad Chriſtū fluxiſſe annos ducentos nonaginta vnum.

Secunda, quorūnam librorū fuerit tranſlatio. [h] Hierony. videtur velle, fuiſſe tantùm Pentateuchi quod ex Ariſtæo, & Ioſepho probat, qui tantum legis meminerunt. Probabilius tamen eſt vertiſſe Septuag. omnes libros canonis Hebræi vt ſentiunt [i] Iuſtin. [k] Irenæ. [l] Clemens Alexand. [m] Epiph. Nam Apoſtoli vſi ſunt Græca verſione in teſtimoniis prophetarum citandis, tempore autem Apoſtolorum nulla erat alia verſio Græca, quam Septuag. interpretum. Et certè ſi Pentateuchus tantùm fuiſſet vertendus, poterat abſolui ſine miraculo, breuiori ſpatio quam 70. dierum. Neque Hierony. contrarium habet aſſerendo, ſed dubitando. Nam alioquin in commentariis Prophetarum mentionem facit verſionis Septuaginta, eamque explicat. Ariſtæus autem & Ioſephus nomine legis omnes comprehenderunt libros: quod à lege (quæ erat præcipuus liber) omnes libri dumtaxat denominarentur vnde [n] Chriſtus aliquando dixit ſcriptum eſſe in lege, quod tamen in Pſalmis ſcriptum eſt.

[a] 3. *cap.* 25.
[b] 1. *Stromat.*
[c] *hiſtoriâ hâc dere & Ioſephus* 12. *cap.* 2.
[d] *in Apologetico cap.* 18.
[e] *in Synop. ad finẽ.*
[f] *de menſ. & pond.*
[g] *habet enim hæc ſententia plures & antiquiores teſtes.*
[h] *proœmio in tradit. Hebraïcas ad finem quo meminit Ioſephi & in* 5. *Ezechielis ad illud* Tertia tui pars peſte, *&c. quo & Ariſtæi, ac omnis ſcholæ Iudæor. itẽ in* 2. *Mich. ad illud* Mulieres populi mei eiecistis.
[i] *Dialogo cũ Triphone arca medium.*
[k] *ſupra.*
[l] *ſup.*
[m] *ſupr.*
[n] *Ioan.* 10. *verſ.* 34. *& Pſal.* 81. *v.* 6. *& Ioan.* 15. *v.* 25. *ex Pſ.* 24. *v.* 19 *item Paul.* 1. *Corinth.* 14. *v.* 21. *ex Iſaiæ* 28. *v.* 11.

Tertia, quomodo facta ſit. Certum quidem videtur ſeptuaginta duos ſenes Hebræos, ſenos videlicet ex qualibet tribu, vtriuſque linguæ peritiſſimos ſpatio dierum 72, mirabili conſenſu diuinas literas, apud Pharum Egypti, ex Hebræo in Græcũ tranſtuliſſe. [o] Epiph. autem vult binos eos, [p] Iuſtinus vero ſingulos ſeorſim ſeclusos, in vnam conueniſſe tranſlationem: teſtaturque [q] Iuſtinus ſe vidiſſe Alexandriæ, veſtigia cellularum. At [r] Hierony. hanc de cellulis hiſtoriam teſtimonio [s] Ariſtęi (qui apertè dicit eos ſimul conferendo abſoluiſſe verſionem) & [t] Ioſephi (qui cellularum nec verbulum dixit) infirmat. Quæ ſententia probabilior videtur. Nam potuiſſe Iudæos fabulam de cellulis confictam Iuſtino perſuadere, credibile eſt. At mentitum Ariſtæum, qui rem vidit, non eſt probabile. Adde [u] Philon. [x] & Euſeb. Cæſar qui cum rem narrent cellulas tamen prætermittunt. Nec officit, librũ qui Ariſtæi circunfertur confictum putari. [y] Nam omnia quæ Ioſeph. Tertull. Euſeb. & Hierony. ex Ariſtæo proferunt inueniuntur in huiuſmodi libro. At (inquit Leo a Caſtro) Epiph. legit Ariſtæum, & tamen cellularum [z] meminit. Reſpondeo vſque ad Epiph. tempora non fuiſſe in Ariſtæo cellulas, conſtat ex Ioſepho atque Euſeb. prioribus Epiphanio: nec etiam tempore ipſius Epiph. fuiſſe, patet ex Hierony qui ſimul, & poſt Epiphanium vixit. Iſti enim non legerũt in Ariſtæo cellulas. Veriſimile ergo eſt Epiph. aut non legiſſe aut non habuiſſe præ manibus, (dum ſcriberet) Ariſtæi librum, atque memoria lapſum poſuiſſe cellulas. Maximè cum triginta ſex tantùm poſuerit: alij verò duas & ſeptuaginta, vel nullas.

Quarta quæſtio eſt, de authoritate horũ interpretum. Quamuis autem [a] Hierony. dixerit

[o] *ſup.*
[p] *orat. exhortatoria ad Gentes.*
[q] *Iuſtinum ſunt ſequuti Irenæ. ſup. Cyrillus Hieroſoly. catech. 4. Clem. Alexand. 1. Strom. Aug. 18. Ciuit 42. quamuis 2. doctr. 15. dubitãter loquatur.*
[r] *præf. in Pentateuch. ad medium.*
[s] *ſup.*
[t] *ſupr.*
[u] *2. de vita Moſis.*
[x] *octauo præpar. 1.*
[y] *à Ludouico Viues in cap. 42. lib. 18. Ciuit. Dei, & à Leone à Caſtro præfat. commentar. in Iſayam cap. 35.*
[z] *lib. de ponder. & menſuris.*
[a] *præf. in Pentateu.*

non vates, ſed interpretes fuiſſe: [b] & paſſim eorum reprehendere videatur interpretationem. Nihilominus certum eſt optimè vertiſſe: idque Sancti ſpiritus peculiari inſtinctu, ita enim communiter docent [c] PP. à quibus nec D. excluditur Hierony. cum [d] aſſeruerit ſe fruſtrà laboraturum in transferendis Biblijs, ſi integra conſtaret ſeptuaginta verſio: [e] cum ſpiritu ſancto pleni quæ vera ſunt tranſtulerint. Vnde liquet ipſorum verſionem non [f] reprehẽdere, ſed vitia quæ irrepſerant in eam: nec negat eos peculiari SS^ti motu afflatos, ſed negat tãtũ propriè fuiſſe Prophetas, quod nec alij inficiantur.

Quinta, num germanam habeamus Septuaginta verſionem. Nonnulli putant eam omninò interijſſe: ſed immeritò. Nam quæ ex illâ citantur à Patribus, inueniuntur in editione noſtrâ. Nec verisimile eſt adeò celebrem, adeò neglectam fuiſſe: quamuis reuera ſit multis mendis vitiata, ſicut monet [g] Hierony. Nam [h] dicuntur ſeptuaginta ita tranſtuliſſe, vt perito vtriuſque linguæ facilè innoteſceret fideliſſimam eſſe verſionem. At quam habemus illorum editionem multis ab Hebræo diſſentit, &c. [i] Nec refert [k] Augu. & [l] Epiph. ſcripſiſſe Septuaginta quædã de induſtria omiſiſſe, quædam addidiſſe, & quædam aliter vertiſſe, ita SS^to dictante. Nam huiuſmodi PP. piè quærebant rationes excuſandi verſionem quâ tunc Eccleſiâ vtebatur. Multis etiam à ve-

[b] *vt Epiſt. ad Suniam & Fretellam to. 3. ac commentar. in Prophet.*

[c] *Irenæ. Clemens Alex. Euſeb. Epiph. Cyrill. Sup. Tertull. in Apol. 19. Auguſt. ſup. Hilarius præfat. in Pſa. & c. ſup. Ariſt. Philo Ioſephus.*

[d] *Et hâc verſ. Apoſtoli, & longo tempore Eccleſia vſa eſt, præfat. 1. in Paralip. initio.*

[e] *ita loquitur Hierony. præf. 2. in Paralip. poſt initium.*

[f] [*vnde Neque* (inquit proœmio in traditiones ſiue qq Hebraïcas) *ſeptuaginta Interpretum, vt inuidi latrant, errores arguimus, nec noſtrum laborem, illorum reprehenſionem putamus.*]

[g] *præfat. vtraque in Paralipom. præfat. in Eſdram, & alibi paſſim.*

[h] *vide Philon. & Ariſtæ. ſup.*

[i] *multa non habet quæ ſunt in Hebræo: multa habet, quæ in Hebræo non ſunt, de quibus Hieron. præfat. in Pentateuch. epiſt. ad Suniam, & Fretellam quæ eſt 130. to. 3. in quæſt. ſiue tradit. Hebraic. ac ep. 101. de optimo genere interpretandi ad Pammachium tom. 2.*

[k] 18. *Ciuit. & 44.*

[l] *lib. de menſ. & ponder. & Hieron. proœmia in tradit. Hebrai. de optimo genere interpr. & præf. in Pentateuch. Iudæorum etiam teſtimonium affert.*

rò discrepat: vt, verbi gratiâ, vixisse Mathusale quatuordecim annis post diluuium (tot enim inueniuntur supputando iuxta hanc editionem) [m] cum tamen in arcâ non fuerit.

Denique certum est hanc editionem à Iudæis fuisse corruptam, & multoties emendatam à multis. At nihil emendatur nisi vitiatum.

[m] *solum enim octo animæ per arcam saluæ factæ sunt Noë, Sem, Cham, Iaphet & vxores eorum. Genes. 7. v. 7. & 13.*

De editione Græca noui Testamenti.

CAP. VII.

TESTAMENTVM nouum Græcè fuisse conscriptum, ab ijs quorum nomina refert in titulis librorum satis constat: Excepto Euangelio Math. (de quo [a] supra.) Quod translatum fuisse in Græcum à Iacobo vult [b] Athanas. alij à Ioanne, alij ab ipso Matthæo. Sed à quocumque sit, Ecclesia hanc translationem vt canonicam recepit: Excepto etiam Euangelio Marci: quod ab ipso Latinè conscriptum, deinde ab eodem in Græcum conuersum docent [c] Adrianus Finus, & [d] Antonius Beuthet. Excepta denique Epistola ad Hebræos, de qua supra. [e] Quamuis autem Græca editio dumtaxat magnæ sit authoritatis, eo quod Apostolica: quia tamen non nihil corrupta propterea falsò putauere Hæretici neoterici omnia esse ad calculum textus Græci examinanda.

[a] *8. cap. 4.*
[b] *in synopsi aliquot ante finem.*
[c] *libro 6. flagelli Iudæor. cap. 8. & lib. 8. cap 62.*
[d] *annot. 8. & 9. in sacram scriptur.*
[e] *cap. 4.*
[f] *1. Corinth. v. 47. ὁ Κύριος αὐθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ.* Secundus homo dominus de cœlo. *quam lectionem mãsisse ex deprauatione Marcionis patet ex Tertull. 5. in Marc. de epist. 1. ad Corinth. aliquot ante finem. Nos autem legimus:* Secundus homo de cœlo cœlestis, *quam etiam Caluin. probat 7. Inst. §. 12. item Rom. 12. v. 11. καιρῷ ὀξλίνοντες.* tempori seruientes. *cum tamen nostra lectio κυρίῳ ὀξλίνοντες sit melior teste Hier. ep. 102. to. 2. ad Marcellam, quæ incipit post priorem. & Origen. Chrysost. Theophyl. ac alijs PP. Græcis qui sic legerunt. Deinde in pluribus codicibus Græcis deest historia adulter. Ioan. 8. vltimum Marci & v. 7. cap. 1. Ioan. prima. &c.*

De Latinis editionibus, & authore vulgatæ editionis.

CAP. VIII. & IX.

EDITIONES Latinas veteris Teſtamenti ex Græco Septuaginta, ac Teſtamenti noui ex fonte Græco prope innumerabiles fuiſſe ante Hierony. patet ex [a] Auguſtino. Nihilominus vna communis erat, quæ vetus [b] dicebatur atque vulgata: quæque videtur illa eſſe Itala, de qua Auguſt. [c] ſecundo de Doctr. Chriſtiana.

Præterea, extitit B. Hierony. editio veteris teſtamenti, primò ex [d] Græco ſeptuaginta, ſecundo [e] ex Hebræo in Latinum. Poſt tempora verò Gregorij primi videntur omnes Latinæ editiones euanuiſſe, præter vnam iſtam, quam nunc veterem, & vulgatam vocamus: De cuius authore non eſt parua quæſtio.

Sanctes [f] Pagninus, & [g] Paulus Foroſempronij arbitrantur, vel certè ſuſpicantur authorem huius editionis Hierony. non eſſe. [h] Auguſtinus Eugubinus & Ioannes Picus Mirandulanus eſſe contendunt. Mixtam ex veteri, & nouâ vult [i] Ioannes Driedo, & [k] Sixtus Senenſis. Qua de re ſit Propoſitio prima.

Teſtamentum nouum Latinum editionis vulgatæ, ex verſione habemus antiquâ, ab Hieron. tamen emen-

[a] 2. *de doctr. cap.* 11. *& Hieron. præfat. in Ioſue. ad initium.*

[b] *vt colligitur ex cap.* 5. *epiſt. Gregor. ad Leandrum ante præf. moralium.*

[c] *cap.* 15.

[d] *vt ipſe teſtatur lib.* 2. *Apolog. in Ruff. ad medium* 4. *partis to.* 2. *& epiſt.* 89. *ad Aug. tom.* 2. *aliquot ante fin.*

[e] *idem lib. de viris Illuſtrib. in Hieron. & ead. ep.* 89. *& præfat. in lib. ſacros quos Latinos fecit.*

[f] *præf. ſuæ interpretationis Biblior. ad Clement.* 7.

[g] *lib.* 2. *cap.* 1. *de die paſſionis Domini.*

[h] *lib. hâc de re editus.*

[i] *lib* 2. *cap.* 1. *de Eccleſ. dogm.*

[k] *oct. Biblioth. ad finem ſolutionis* 9.

[l] *Ita ipſe teſtatur lib. de viris illuſtr. & ep. 89. ſupr. ac epiſt. ad Damaſ. quæ præfigitur ante commẽtaria in 4. Euangelia. tom. 6.*

[m] *In 2. Math. legendũ vult* Bethlehem Iudæ: *non*, Iudææ. *lib. 1. in Iouinian. col. 15. to. 2. legend. 1. Corint. 7.* Et mulier innupta & virgo cogitat, *&c. non autem.* Diuiſa eſt mulier & virgo: *ſicut legebatur in 2. ad Galat. to 6.* Quibus neque ad horã ceſſimus *cum illud* Neque, *non haberetur, & in cap. 5.* perſuaſio hæc non eſt ex Deo, *cum eſſet.* ex Deo, *&c.*

[n] *teſte Aug. ep. 10.*

[o] *ep. ad Damaſ.*

[p] *de quo ep. 134. ad Sophronium tom 3.*

[q] *habetur ad finem tom. 7.*

[r] *de quo ep. ad Suniam & Fretellam non longè ab initio.*

data. Primò quia certum eſt Hierony. [l] non vertiſſe Teſtamentum nouum in Latinum: ſed veterem verſ. tantùm emendaſſe. At multa loca quæ Hierony. reprehendit, habemus [m] correcta, vt affirmat eſſe corrigenda. Igitur ſignum eſt nos habere verſionem antiquam à Hieronym. emendatam.

Secundò, nouum Teſtamentum à Hierony. emendatum Damaſi iuſſu, [n] placuit valdè hominibus illius temporis. At non eſt veriſimile poſtea fuiſſe reiectum. Ergo illud erit quod nunc habemus. Nec refert quædam non eſſe correcta, vt cenſuit Hierony. corrigenda. Nam ipſemet monuit [o] ſe nõ omnia correxiſſe quæ corrigenda putabat.

Secunda propoſitio. *Pſalterium editionis vulgatæ Latinæ, non eſt illud* [p] *quod ex Hebræo Hierony. tranſtulit.* Nam vbique ferè [q] diſſentit à noſtro, ſaltem quoad verba. Neque [r] quod ex Septuag. tranſtulit: ſed quod [s] emendauit tranſlatum ab interprete antiquo, ex editione ſancti Luciani, quæ communis dicebatur, vt patet ex Epiſtola ad Suniam, & Fretellam. In ipſa ſi quidem Epiſtola non pauca [t] Pſalterij verba ponit, vt tunc erat in communi vſu, habentúrque ita in Pſalterio quo nunc Eccleſia vtitur. Quæ tamen aliter haberi apud Septuaginta docet.

Tertia *probabile eſt librum ſapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum nos non habere ex Hierony. ſed antiqua tranſlatione cuius author ignoratur.*

Primò, quia Hierony. neque affirmat ſe tranſtuliſſe illos, neque illius extant præfationes in hos libros: quamuis dicat ſe ſingulis libris præfatiunculas præfixiſſe.

Secundo, à [v] patribus Hierony. antiquicti-

[s] *bis videlicet vt patet ex præfat. in Pſal. ad Paulam, & Euſtoch.*

[t] *ep. 89. ad Auguſt. ſup.*

[v] *vt Cyprian. lib. de ex.*

bus multa citantur ex illis libris prorſus eadem vt nos habemus.

Quarta propoſitio. *Reliqua omnia ex Hierony. verſione habemus in editione vulgata.*

Primò conſtat [x] Hieronymum ex antiquis ſolum tranſtuliſſe ex Hebræo in Latinum vetus Teſtamentum, nec vllus poſtea vſque ad noſtra tempora hoc idem tentauit. At noſtram vulgatam eſſe ex Hebræo tranſlatam ipſa vndique clamat, quæ penè vbique cum Hebræo concordat, & à Græco diſſentit, deinde Heron. in commentar. Prophetarum ferè vbique duas verſiones, ſuam videlicet, quæ eſt noſtra vulgata, & aliam ex Septuaginta ponit.

Denique illa omnia quæ Hieronymus non haberi in editione Septuaginta, & ſe [y] addidiſſe, vel ſi habeantur aliter ait ſe vertiſſe in ſua tranſlatione ex Hebræo, in noſtra editione vulgata habemus.

Obiiciunt Primò, multa loca in quibus noſtra verſio ab Hebræo diſſentit. Nec eſt veriſimile Hieronymum in hac re labi potuiſſe.

Reſpondeo, vel id contigiſſe librariorum incuria: vel quia [a] non verba, ſed ſenſum reſpexit Hierony. ſicut in illis. [b] *Peruerſi difficile corriguntur, & ſtultorum infinitus eſt numerus.* In Hebræo. [c] *Peruerſum non poterit addirigere, & ſtultum non poterit adnumerari.* Optimè tamen ſenſum expreſſit Hieron.

Secundo. Hierony. præfatione in [d] Iob. Pſalm. & [e] Paralipom. [f] monet ſuam diſtinxiſſe verſionem per aſteriſcos, & obeliſcos, quibus tamen caret editio noſtra.

Reſpondeo, editionem tantùm quàm ex Græco fecerat [g] ita diſtinxiſſe: & proinde in

[x] *vt patet ex præf. ſuis in ſacros libros* [*verùm præfat. in Hierem. ait ſe præ termiſiſſe Baruth.*] *& Aug. ep.* 10. *ac* 18. *Ciuit.* 43.

[y] *de quibus præfat. in Pentateuch. & lib. de optimo genere interpret. ſup.*

[z] *Ion. 4. v. 6. habet* 70. Cucurbitam. *Hieron. vertit.* Hederam *vt patet ep.* 89. *ſup. ad finem. Geneſ* 2. Compleuit Deus die ſexta opus ſuum. *ita* 70. *at Hieron die ſeptima in qq. Hebraic. ad initiũ eod. cap. v.* 23. Hæc vocabitur mulier. *Hieron. ſup.* Virago, *& t.*

[a] *De qua paſſim cõqueritur Hieron. in præfat. ſuis.*

[b] *Vt faciendum eſſe monet li. de opt. gen. interpret.*

[c] *Eccleſiaſtæ* 1. *ver.* 15. מְעֻוָּת לֹא־יוּכַל לִתְקֹן וְחִסְרוֹן לֹא־יוּכַל לְהִמָּנוֹת *meguvath lo-iucal, lithkon. vechesron lo-iucal lehimmanoth.*

[d] *quæ eſt ep.* 114. *& 2 præf. in Iob.*

[e] *ad Domnion. & Rogat. epiſt.* 108.

[f] *ad finem.*

[g] *vt patet ex ipſa epiſt.* 89. *ad tertiam Auguſt. quæſtion.*

noſtro Pſalterio debuiſſe eſſe huiuſmodi ſigna, ſed negligentia librariorum excidiſſe : editionem autem ex Hebræo, nuſquam ita diſtinxit. In Iob ergo, & Paralip. editionis vulgatæ haberi non debent, quia ex Hebræo eſt, ad quam pertinent propterea illæ [h] præfation. Hieron. in hos libros in quibus nō fit aſteriſci, & obeliſci mentio: [i] aliq verò, in quibus quidē fit horum ſignorum mentio, pertinent ad verſionem quam fecit ex Græco.

Tertiò, multa inueniuntur in noſtra editione, quæ Hierony. ipſe [k] docet, aliter fuiſſe vertenda.

Reſpondeo (ſecluſa etiam librariorum negligentia) id accidere potuiſſe. Primò, quod cum voces multiplicem patiantur interpretationē, [l] modo vnam modo aliam ſit Hieron. ſequutus. Secūdò, quod ipſe poſtea ſuā mutauerit ſentētiam, & ſua loca correxerit, verbi gratia [m] præfat. in Pentateuch. vult non eſſe legendum Iſaiæ vndecimo: *Flos de radice eius aſcendet*: ſed, [n] *Nazaræus de radice* &c. Et tamen ipſe poſtea [o] vertit ſicut verterant Septuaginta: *Flos de radice*, &c. Denique quod etſi iudicauerit Hieronymus quædam eſſe in ſua verſione mutanda, & ea notauerit in ſuis commentariis, tamen Eccleſia maluerit priorem ſequi verſionem. Siquidem lib. quinto [p] in Iſaiam ait ſe malè vertiſſe, *Refrænantem* pro, *Laſciuientem*. Nihilominus editio noſtra vulgata, priorem tantum lectionem retinuit.

[h] *Prior in Paralip. ad Chromatium quæ eſt epiſt.* 107. *Item prior in Iob. quæ eſt epiſt.* 113.

[i] *ſupra.*

[k] *lib. de opt. gen. inter. in qq. Hebraic. commentariis in proph. &c.*

[l] *Verbi gratia cum his Hier. verterit Eccleſiaſtem (vt patet ex eius præfat. in Pron. Eccleſ. Cant. Cant. ad Chromat. & Heliodorum ep.* 115. *tom.* 3.) *in prio ri verſio. cap.* 2. *v.* 3. *vertit. Cogitaui trahere carnem meam in vinum, ſiue, in vino. Et ita interpretatur in comm. to.* 5. *At in* 2. *Trāſl. vertit. Cogitaui abſtrahere carnem meam* בַּיַּיִן *Baiain à vino, litera enim* ב *Beth ſeruilis, & loco* de, *ſiue* a, *& loco* in *deſeruit, melior autem eſt lectio poſterior quia ſequitur: vt animum meum transferrē ad ſapient.*

[m] *cum ait illud. Quoniam Nazaræus vocabitur. Matth.* 2. *v.* 23. *ex Hebræo ſumptum eſſe.*

[n] *Vide lib. de opt. gen. interpr.*

[o] *Vide comment. in* 11. *Iſaiæ vbi ait haberi in Hebr.* נֵצֶר *netſer quod florem, ſiue ramum, vel germen ſignifi. Nazaræus autem per* ז. *Zaim ſcribitur a verbo* נָזַר *nazar quod ſeparare importat.*

[p] *in cap.* 19. *verſ.* 15.

De authoritate Latinæ editionis vulgatæ.

CAP. X.

DITIONEM vulgatam Latinam Hæretici ſpoliant omni authoritate, quaſi mendis refertam innumerabilibus. Sed authenticam eſſe probatur.

Primò, per annos mille Eccleſia hâc vſa eſt editione. At nullo modo credibile eſt errores neſcio cuius interpretis, pro verbo Dei coluiſſe, & tot temporis caruiſſe germanæ ſcripturæ veritate. Igitur editio vulgata continet germanam ſcripturæ veritatem, & proinde maximè authentica eſt.

Secundo, noſtra editio Latina vel Hierony. eſt, (quæ ab [a] omnibus antiquis, qui eam potuerunt videre probata fuit,) vel certè illa communis antiqua, quam Auguſt. [b] Italam vocat, & cuius adeo commendat authoritatem.

Tertiò, Hebræi, & Græci habuerunt ſuis linguis ſcriptam authenticam ſcripturam. Ergo & Latini habere debent ſuâ linguâ ſcriptam. Sed ab annis mille non alia vſi ſunt, quam noſtra vulgari. Igitur authentica eſt.

Denique in Concilijs generalibus pauci Hebræorum ſunt aut Græcarum Latinarum periti. Male ergo fuiſſet prouiſum Eccleſiæ, ſi Latinæ editioni in rebus grauibus fidere non poſſet.

[a] *Aug. 18. Ciuit. 43. Greg. 20. Moral. 23. Quia hæc noua trãſlatio ex Hebræo nobis Arabicóque eloquio cuncta verius tranſtulisse perhibetur, credendum eſt, quidquid in eâ dicitur. Iſidor. 6. etym. 5. & 1. de Off. diuin. 12. De Hebræo* (inquit) *in Latinum eloquium tãtummodo Hieron. Presbyter ſacras ſcript. cõuertit cuius editione generaliter omnes Eccl. vſquequaque vtuntur, eò quod veracior eſt in ſententijs, & clarior in verbis.*

[b] *2. de doctr. 15. In ipſis interpretationibus Itala cæteris* (inquit) *præferatur.*

Soluuntur obiectiones Hæreticorum contra vulgatam editionem.

CAP. XI.

PRIMO Hierony. multa aliter vertit quam nos habeamus, & multa reprehendit in noſtra editione vulgata. Sed [a] iam reſponſum eſt.

[a] *ſup. cap. 9.*

Secundò, magis credendum eſt verbum Dei eſſe quod in Hebræo, ac Græco habetur (quia illis loquuti ſunt linguis Prophetæ, ac Apoſtoli) quam quod in Latino: cum ſubiaceat interpretum errori. Propterea docuêre [b] PP. eſſe recurrendum ad fontes Hebræos, & Græcos.

[b] *Hieron. contra Heluidium columna 6. tom. 2. Epiſt. verò 102. docet in nouo Teſt eſſe recurrendum ad Græcum: & in veteri ad Hebræum in 8. Zach. v. 18. & 19. Aug. 2. de doctr. 11. & 15. ca.* Vt veterũ.

Reſpondeo id verum eſſe quando textus Hebræus, & Græcus turbidi non ſunt, cuius contrarium conſtat. Quamuis autem fateamur interpretes errare poſſe, aſſerimus tamen non erraſſe in illa verſione vulgata, quam Eccleſia probauit. Quamuis errores qui librariorum incuria reperiri poſſunt (verùm qui fidei, aut bonis moribus officere nequeunt) non tamen propterea probauerit.

Quatuor autem de cauſis licet ad Hebræos, & Græcos recurrere fontes.

Primò, quando in codicibus noſtris eſſe videtur [c] librariorum error.

[c] *vt Eccleſiaſt. 45. v. 6* Dedit illi cor ad præcepta cum ſit in Græco κατὰ πρόσωπον, coram, *facilè autem fuit, ex* coram, *facere,* cor ad. *item cap. 24. v. 41.* quaſi fluuius Doryx. *cum ſit διώρυξ in Græco, id eſt* foſſa, *à flumine deducta ad irrigandam terram Pſal. 41. v. 2.* Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: *in Hebræo* לֵאלֹהִים לְאֵל חָי leelohim leel chai ad Deum, ad fortem viuum: *ex* fortem, *factum eſt,* fontem. *& alij vt Arias Montan. legunt ad Deum, ad Deum viuum.*

Secundò, [d] quando Latini codices variant. Tertiò, [e] quando vox vel ſententia ambigua eſt.

Quartò [f] propter energiam, & proprietatē vocabulorum.

Tertium argumentum ſumunt ex varijs locis in quibus videtur editio vulgata continere errorem.

[d] *vt Ioſuē 5. v. 6. quidam Latini codic. habent*, vt oſtēderet eis terram lacte & melle, *&c. alij*: vt non oſtenderet, *quod videtur verius, quia in Hebræo conſtanter eſt*, non, *item Luc. 1. v. 68.* Redemptionem plebis ſuæ, *alij* plebi ſuæ, *& melius, quia in Græco τῷ λαῷ αὐτῆ.*

[e] *Pſal. 138. v. 15.* non eſt occultatū os meū. *in Hebr.* עַצְמִי gotſmi. *quo intellig. eſſe*, os oſſis.

[f] *vt eod. Pſal. v. 6.* Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. *quod ex Hebr. facile declaratur, ſignificat enim ſcientiam Dei mirabiliorem eſſe quam vt poſſit capere homo.*

Defenduntur loca quæ Kemnitius deprauata eſſe dicit in editione vulgata.

CAP. XII.

PRimus eſt Geneſ. [a] tertio. *Ipſa conteret caput tuum*, cum ſit in Hebræo, *Ipſe conteret*: videlicet mulieris filius, ſiue ſemē. Nec aliter haberi poteſt. nam *Conteret*, in Hebræo, eſt maſculini generis, & proinde, quod nequeat referri ad genus fœminum.

[a] *verſ. 15.*

Reſpondeo, primò codices nonnullos editionis vulgatæ habere, *Ipſe*. Secundò, etſi multi Hebræi codices habeant הוּא *hu*, *ipſe*: non deeſſe tamen in quo habeatur הִיא *hi Ipſa*. Et remoto puncto ex voce הוּא optimè poteſt interpretari pro, *Ipſa*: ſicut paſſim [b] in bibliis oc-

[b] *Gen. 3. v. 12. Exod. 3. v. 8.*

currit. Quare multi PP. [c] non *Ipſe*, aut *Ipſum*, ſed *Ipſa* legerunt.

Non eſt autem nouum in ſcriptura, vt cum fœminino genere, iungatur verbum maſculini generis: ſicut in illis [d] יַעֲשֶׂה יְהוָה עִמָּכֶם חֶסֶד כַּאֲשֶׁר עֲשִׂיתֶם עִם־הַמֵּתִים *Iagaſeh Iehoua ghimmachem cheſed chaaſcher gaſithem ghim hammethim. faciat Dominus vobiſcum miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis.*

Secundus Geneſ. ſexto, *Cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum, omni tempore:* cum ſit in Hebræo יֵצֶר לִבּוֹ רַק רַע כָּל הַיּוֹם *Ietſer libbo rak rag col-haiom: figmentum cordis eius, tantum malum omni die.*

Reſpondeo ſenſum eundem eſſe. Nam illud, figmentum cordis, quid aliud ſignificat, niſi id quod [f] docent Hebræi ſcilicet cogitationem cordis, eo quod fingatur, & formetur à corde? Nec tamen ex hoc loco ſequitur omnia opera hominum eſſe mala, vt Lutherani ſomniant. Quia hyperbolicè ibi ſcriptura loquitur: ſicut & [g] eodem cap. cum ait, *Omnis caro corruperat viam ſuam.* Nam nihilominus proximè [h] dixerat, *Noe vir iuſtus, atque perfectus.*

Tertius Geneſis [i] nono, *Qui effuderit ſanguinem hominis, fundetur ſanguis illius.* In Hebræo בָּאָדָם *Qui effuderit ſanguinem hominis, per hominem fundetur, &c.*

Reſpondeo illam omiſſionem, non variare ſenſum. Semper enim ſenſus eſt, Qui occiderit hominem, occidetur etiam ipſe.

Quartus, Geneſis [k] decimo quarto. *At vero Melchiſedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim ſacerdos Dei Altiſſimi,* vult enim Kemnitius eſſe additum verbum offerendi, & particulam rationalem, *enim:* cum vtroque careat textus Hebræus.

Reſpondeo, falſo dicere haberi in vulgatâ verbum offerendi: Non enim legimus *obtulit*,

[c] *Aug. 2. de Gen. contra Manich. 18. tom. 1. & 11. de Geneſ. ad liter. cap. 36. to. 3. Ambr. lib. de Fuga ſeculi cap. 7. paulò ante finem to. 1. Greg. 1. Moral. 19. aliquot ante finem. Eucher. Rupert. Beda, Raban. in hunc locum, & Bernard ſerm. 2. ſuper Miſſus.*

[d] *Ruth. 1. v. 8.*

[e] *verſ. 5.*

[f] *in hunc locum.*

[g] *verſ. 12.*

[h] *verſ. 9.*

[i] *verſ. 6.*

[k] *v. 18.* וּמַלְכִּי צֶדֶק מֶלֶךְ שָׁלֵם הוֹצִיא לֶחֶם וְיַיִן וְהוּא כֹהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן *vmalchi-tſedek melec ſcalé hotſi lehem vaiain, vehu chohen leel gelion.*

vel, *offerens*, ſed, *proferens*. Particulam autem rationalem habet etiam textus Hebræus. Nam licet ſit ו *ve*, tamen accipitur [l] non raro pro, כִּי *chi*, rationali coniunctione. 2. quamuis non ſit verbum offerendi: tamen illa particula rationalis oſtendit, ita Melchiſedech protuliſſe, vt etiã offerret Deo: *erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi.* [m] Alioquin hæc tota clauſula nihil eſſet ad rem.

Quintus Numeror. vltimo: [n] *Omnes viri ducent vxores de tribu, & cognatione ſuâ: [o] & cunctæ fœminæ, de eadem tribu, maritos accipient.*

At hæc editio, Primò pugnat cõtra exempla ſcripturæ. Nam [p] Ioſabeth filia Ioram de tribu Iuda nupſit Ioiadæ de tribu Leui: & [q] Michol de tribu Beniamin, Dauid de tribu Iuda.

Secundò, in Hebræo, nulla ponitur lex pro viris.

Ad primum reſpondetur, editionem vulgatam, ſolùm comprehendere mulieres hæredes paternorum bonorum, vt ſatis ex ipſo textu coligitur, & expreſſè in Hebræo habetur.

Ad ſecundum, exprimi legem in Hebræo, pro viris, per hæc verba: אִישׁ בְּנַחֲלַת מַטֵּה אֲבֹתָיו יִדְבְּקוּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל: *Iſch benachalath matteh avotau iidbeku bene Iiſraël. vnuſquiſque in poſſeſsione tribus patrum ſuorum adhærebunt filij Iſrael.* Id eſt, vnuſquiſque adherebit vxori ſuæ: quæ, & eius poſſeſſio, ſiue hæreditas propria, ſit de tribu mariti. Ita vt illud, *adhærebunt*: non ad poſſeſſionem referatur, ſicut aduerſarij putant: ſed ad vxorem. Nam in eodem ſenſu proximè ponitur: [r] *Et omnis filia hæreditans poſſeſsionem adhærebit viro tribus ſuæ.* Itaque lex datur viris, & mulieribus:

[l] *Geneſ. 20. v. 3. En morieris propter mulierem quam tuliſti.* וְהִוא בְּעֻלַת בָּעַל *vehi beghulath bagal. Habet enim virũ. Gen. 30. v. 27. Experimento didici* וַיְבָרְכֵנִי יְהוָה *Vaibarechenì Adonai, quia benedixerit mihi dominus.*

[m] *Deinde Pſ. 109. v. 4. dicitur: Chriſtus ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. vt exponit Paulus Hebr. 5. v. 6. & cap. 7. verſ. 17. At cur Chriſtus ita ſacerdos, niſi quia Melchiſed obtulit panem, & vinum: Chriſtus autem ſeipſum, ſub ſpecie-bus panis, & vini?*

[n] *verſ. 7.*

[o] *verſ. 8.*

[p] *2. Paral. 22. v. 11.*

[q] *1. Reg. 18. v. 27.*

[r] *v. 8* וְכָל בַּת יֹרֶשֶׁת נַחֲלָה לְאַחַד ממשפחת מַטֵּה אֲבִיהָ תִּהְיֶה לְאִשָּׁה *Vechol-bath ioreſcheth nachalah, &c. leechad mimmiſcpachath matteh auiah tiieh leiſchah, vel, liiſchah. Et omnis filia hæreditans hæreditatem, &c. vni de familia extenſionis patris ſui erit in vxorem.*

ſed propter mulierum bona.

Sextus locus. 1. Eſdræ nono. *verſ.* 8. *Pax illius cum ſit in* Hebræo יָתֵד *Iathed, Paxillus.*

Reſpondeo, hîc eſſe librariorum errorem: quare multi codices Latini habent, *paxillus.*

[s] *verſ.* 1. Septimus, Iob quinto [s] *Voca ſi quis eſt: qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum conuertere.* vult Kemnitius hunc locum deprauatum, ad inuocationem ſanctorum comprobandam. Sed fallitur. Nam in Hebræo idem omnino habetur קְרָא־נָא הֲיֵשׁ עֹנֶךָּ וְאֶל מִי מִּקְּדשִׁים תִּפְנֶה *Kerana haieſe gonecha veel-mi mikkedoſchim tiphne: voca nunc, ſi eſt reſpondens tibi, & ad aliquem de ſanctis reſpice.*

[t] *verſ.* 11. Octauus, Prouerb. [t] decimo ſexto. *Pondus & ſtatera iudicia Domini ſunt: & opera eius omnes lapides ſæculi.* In Hebræo כִּיס *chis, ſacculi.* ſiue *marſupij*: ſæculum enim dicitur עוֹלָם *golam*, ſiue [v] עַד *gad.*

[u] עַד, עָד

Reſpondeo, in noſtra editione eſſe varias lectiones, & eam eſſe veram, quæ habet, *Sacculi.*

[x] *Eccleſiaſtæ* 9. *verſ.* 1. Nonus, [x] *Neſcit homo vtrum odio, vel amore dignus ſit:* [y] *ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.*

[y] *verſ.* 2. Reſpondeo, in Hebræo haberi גַּם אַהֲבָה גַּם שִׂנְאָה אֵין יוֹדֵעַ הָאָדָם הַכֹּל לְפָנֵיהֶם *Gam Ahavah gam-ſina eni Iodeag haadam haccol liphnehem, id eſt etiã amorẽ, etiam odiũ non, eſt, ſciens homo, ſed omnia ante faciem eorũ.* Quorũ ſenſus eſt iuxta

[z] *commentar. in hunc locum tom.* 5. [z] Hierony. *Inueni iuſtorum quidem opera in manu Dei eſſe, & tamen vtrum amentur à Deo, an non, nunc eos ſcire non poſſe,* [a] &c. *In futuro igitur ſcient, & in vultu eorum ſunt omnia: id eſt antecedit eos, cum de hâc vitâ deceſſerint, notitia huius rei: quia tunc eſt iudicium nunc certamen.* Quod noſter interpres nõ potuit melius exprimere, ſenſum expendendo, quam per hæc verba: *Neſcit homo vtrum odio,* &c. Nec dicas impios, ſe ſcire odio dignos. Nam de ſolis iuſtis loquitur Eccleſiaſtes.

[a] [*& ambiguo fluctuare, vtrum ad probationem ſuſtineant, quæ ſuſtinent, an ad ſupplicium.*]

[b] *Eccleſiaſtici* 5. *verſ.* 5. Decim.[b] *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu* vult Kemni-

Kemnitius depraua tum, ad probandam incertitudinem remiſſionis peccatorum.

Reſpondeo, quoſdam codices habere *de propitiato peccato*, quoſdam, *de propitiatione*, ſiue *de propitiatu peccati*, quæ lectio melior videtur, quia conformior Græco, περὶ ἐξιλασμοῦ, μὴ ἀφέσεως γίνῃ. vtraque autem lectio hæreticos conuincit. Nam vel loquitur Sapiens de propitiatione iam obtenta, vt ſit idem de propitiatione peccati, ac de propitiato peccato: & tunc falſum erit, hominem debere ſecurum eſſe de obtenta venia, vel loquitur de propitiatione obtinēda. Et tunc falſum, debere hominem ſecurum eſſe de venia obtinenda.

Vndecimus. [c] *Miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum.* Conqueritur Kemnitius nos addidiſſe, meriti nomen, cum non ſit in Græco.

[c] *Eccleſiaſt. 16. verſ. 15.*

Sed nemo eſt tenuiſſimè Græcæ linguæ peritus, qui negare poſſit, quin κατὰ ἔργα, ſignificet Latinè, *pro meritis operum.*

Duodecimus [d] Ioelis ſecundo: *Præſtabilis ſuper malitia.* Quæ verba dicit Kemnitius nihil ſignificare.

[d] *verſ. 13.*

Reſpondeo [e] Hieron. doctiorem Kemnitio habere: *Præſtantibus ſuper* [f] *malitia, ſiue* [g] *malitiis.* Quod idem eſt, ac excellens in miſerando, & in pœna condonanda, ſiue vt habetur ad verbum in Hebræo: [h] *Pœnitens ſuper malitia, ſiue malitijs.*

[e] *to. 5. ad 2. Ioēlis.*
[f] *in textu.*
[g] *in commentar.*
[h] *ita etiam habent ſeptuaginta apud Hieron. ſup. in text.* 70. נִחָם *ſiquidem in Niphal,* נִחָם נִנְחָם *Nicham pœnitere eſt.*

Decimus tertius, Michęæ [i] quinto. *Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël.* Et ſi enim צָעִיר *tſaghir* ſit maſculini generis, tamen pro, *Paruulus*, debebat poni *Parum*, (Hebræi namque neutro genere carent, & pro eo vtuntur maſculino, vel fœmineo) Alias quod ſequitur: *Ex te mihi egredietur*, non rectè cohæreret cum ſuperioribus.

[i] *ver. 2. apud Heb. Hunc obſeruat locum Oſiander annotat. ad harmoniam Euangelicam.*

Reſpondeo noſtrum interpretem rectè vertiſſe. Nam ei conſentiunt Chaldęus, & Græcus codex, ac [k] Hieronymus: imò ipſe Mathæus cap. [1] ſecundo: dixit enim, *Minima eſt*, non, *parum eſt*. Etſi namque Hebræi vtantur interdum alijs generibus pro neutro, non tamen ſemper. Optimè autem cum præcedentibus quæ ſequuntur cohærent, ſi legamus cum interrogatione vt Mathæus, qui propterea vertit negatiuè: *Nequaquam minima es?* [Deinde poteſt etiam ſine interrogatione legi, & rectè omnia cohærere, iuxta Hierony. interpretationem in hunc locum.]

[k] *to. 5. ad 3. Mich. in tex. & explicat in commentario.* [*Et tu Bethlehem, id eſt domus panis quæ vocaris Ephrata, minima quidem es in ciuitatibus Iuda & tantis millib. comparata vix parvus es viculus: ſed ex hoc paruo viculo egredietur Chriſtus. Septuag. vero habèt, Modica es vt ſis in millibus Iuda. apud Hieron. ibid.*]

[1] *verſ. 6.*

[a] *in Antidoto Concil. Trident.*

Defenduntur loca quæ in Pſalmis malè reddita fuiſſe à Latino interprete [a] *Caluinus contendit.*

CAP. XIII.

PRIMVS locus Pſal. [b] ſecundo: *Apprehendite diſciplinam* cum ſit in Hebræo נַשְּׁקוּ־בַר naſcſchekubar [c] *oſculamini filium.*

Reſpondeo, ſenſum huius loci rectiſſimè verſum per *Apprehend. diſcipl.* Nam ſic vertit Chaldæus, ſic Græcus, ſic omnes veteres Græci, & Latini hactenus legerunt. Senſus enim illorum, *Oſculam. filium*, eſt agnoſcite filium Dei eſſe verum Regem, & Meſſiam veſtrum, oſculando illi manum honoris gratia. Quod aliter facere non poſſumus, quam fidem, & doctrinam eius recipiendo. Et quid eſt aliud. *Apprehendite diſciplinam: quam, doctrinam, & eruditionem filij Dei recipite?*

Secundus Pſal. 4. [d] *Filij hominis* לִכְלִמָּה כְּבוֹדִי *Chenodi Lichlimmah gloria mea ad ignominiam*, cum

[b] *verſ. 12.*

[c] *Hieron. in comment. tom. 7. habet* Adorate filium: *in ſua verſione* Adorate purè.

[d] *verſ. 3.*

nos legamus. *Vſquequo graui corde.*

Reſpondeo, valdè veriſimile, corruptum eſſe textum Hebræum, vitio librariorum: ſi enim mutetur ב *Caph*, in ב *Beth*, & mutentur puncta fiet כבודי לב למה [c] *Chevnde Lef Lammah, graues corde, vt quid?* Et ſine dubio ſic legerunt ſeptuaginta, quorum verſionem omnes PP. Græci, & Latini ſequuti ſunt, præter [f] Hierony. qui quoniam aliter legit, vertit *Inclyti mei.* Senſus autem vtrinque, eſt idem: conqueritur enim Deus, quod homines neglectis æternis diligant temporalia, quos propterea vocat graues corde, vel iuxta Hebræum, vocat gloriam ſuam ad ignominiam quia ſimilitudinem Dei quam gerunt conuertunt indignè ad vilia.

[c] *paßiuum in Kal. participium à verbo* כָּבַד *Chavad: grauare, vel nomen verbale.*

[f] *in ſua verſione*

Tertius. [g] *Conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.* In Hebræo: *Succus meus ſine humore, & viror meus verſus eſt in ſiccitates æſtiuas.*

[g] *Pſal. 31. verſ. 4.*

Reſpondeo, noſtrum interpretem non vertiſſe ex Hebræo, ſed ex Græco textu, qui optimè conſentit cum Latino, quare videntur ſeptuaginta paulo aliter legiſſe Hebræum, quam modo ſe habeat: & proinde in Hebræo eſſe ſcribatũ errorem. Illud enim נהפך לשדי [h] *Verſus eſt viror meus*, ſi legatur נהפכתי לשדי [i] erit, *Conuerſus ſum in* [k] *ærumna mea.* Et quod ſequitur בהרבוני קיץ [l] *In ſiccitates æſtiuas*: ſi legatur בהרבוני קוץ *be charboni Kotſ.* erit, *Dum configitur mihi ſpinâ.*

[h] *nehpak leſcaddj.*
[i] *nehpakthi leſcaddj*
[k] *Vaſtatione Hier. vertit.*
[l] *verſatus ſum in miſeria mea. Becharbone kaiith.*

Quartus [m] *In chamo, & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te.* Vult legendum Caluinus: *In lupato, & fræno ora eorum ad coercendum, ne accedant ad te.*

[m] *eod. Pſal. v. 9.*

Reſpondeo Hebræa verba, etiam vt nunc habentur poſſe commodiſſimè exponi iuxta lectionem noſtram, vt patet; ſicut etiam legerunt ſeptuaginta, [n] Hierony. & omnes patres.

[n] *in ſuo Pſalterio.*

Quintus, [o] *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus:* cum in Hebræo ſit כקלה *Nikleh* quod

[o] *Pſal. 37. verſ. 8. Hieron. Quoniam lumbi mei repleti ſunt ignominia.*

ardorem, & ignominiam significat.

Respondeo, Dauidem loqui de pruritu, & ardore libidinis, qui illusiones causat in mente, Græcus autem interpres, quem Latinus, & Chaldæus sequuti sunt, effectum pro causâ posuit.

[p] *Psal. 67. v. 7.*

Sextus, [p] *Qui habitare facit vnius moris in domo*, Caluin. vult legendum, Qui habitare facit vnicos in domo. i. orbes, & solitarios ditat familiâ.

[q] *hunc sequuti sunt Septuag. Latinus interpres, & omnes ferè PP. Græci, & Latini.*

Respondeo verba Hebræa plures recipere veros sensus, [q] vnus est. Qui in domo suâ ideſt Ecclesiâ habitare facit homines vnius moris, ideſt fidei, spei, ac voluntatis. in Hebræo enim est יְחִידִים *Iechidim*, à verbo יָחַד *Iachad*, quod est vnire: inde enim fit יָחִיד *Iachid* vnitus, siue vnus è multis compositus. Quia tamen etiam vnicum & solitarium significat, inde est alius sensus. [r] Qui facit vt homines derelicti, & solitarij qui non habent à quibus defendantur, tamen securi habitent in domibus suis. Tertius sensus tactus à Caluino est etiam verus. Quartus potest esse: qui facit, vt quidam relictâ frequentiâ, amore cælestis contemplationis, ad loca deserta se recipiant, & soli habitent.

[r] *hunc sensum videtur sequutus Hieron. in suo Psalter. qui vertit* solitarios.

Septimus, [s] *Qui habitant in sepulchris*, cum in Hebræo habeatur vox צְחִיחָה *tsichicha*: quæ locum arentem, & siccum designat: & proinde legendum esse in sticuloso loco.

[s] *eod. Psal. v 7. Hier. Increduli autem habitauerunt in siccitatibus.*

Respondeo voluisse interpretem, horrorem illius deserti exprimere, vnde Deus populum suum eduxit: quod quidem instar sepulchri esse videbatur. Quâ phrasi vsus est [t] Ezechiel, dum Babylonicam captiuitatem sepulchra Iudæorum nominauit.

[t] *cap. 37. v. 12. & 13. [Etsi enim D. Hieron. in hoc caput doceat aliquos interpretari hunc Ezech. locum de Resurrectione generali, tamen ipse explicat per sepulchra captiuitatem Babylonicam, & dominum velle in hoc capite ostendere Iudæis, quod sicut potest homines mortuos viuificare: sic posse Iudæos tam æque bene ex captiuitate Babylonica educere. Hieronymum sequutus nostris temporibus Hector Pintus in hoc Ezech. cap.]*

Octauus. [u] *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.* [x] *Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus diuidere ſpolia.* [y] *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* vult legendum Caluinus, Reges exercituum fugerunt, fugerunt, & habitatrices domus diuiſerunt ſpolia. Si dormiſtis inter medias ollas, eritis ſicut pennæ columbæ, quæ tecta eſt argento, & cuius alæ tectæ ſunt flauo auro.

Reſpondeo, latinum interpretem fideliter vertiſſe quæ in græco reperit: quamuis ipſius lectio ſit obſcuriſſima, & in Hebræo etiam, ac ipſâ Caluini verſione. Porrò facile Hebræus textus poteſt ad noſtram lectionem accommodari. Nam illud מַלְכֵי צְבָאוֹת *Malche tſevaot*, ſignificat quidem *Reges virtutum*: ſi tamen puncta mutétur, & legamus [z] מֶלֶךְ צְבָאוֹת erit *Rex virtutũ*: & illud יְדִדוֹן *Iiddodun*, ſignificat quidem, *fugient*: tamen videntur ſeptuaginta legiſſe יְדִידוֹת [a] *Iedidoth*, vnâ tantum literâ mutatâ, ſcilicet *Nun.* נ. in *Tau* ת. quod ſignificat *Dilectũ*, [b] quæ vox habetur in titulo Pſalmi quadrageſimi quarti. Illud וְנוֹת בַּיִת *Vnvath Baiith*, ſignificat, & habitatricem domus, nõ habitatrices, vt vertit Caluinus: ſignificat etiam נָוָה *Naua*, in regimine נְוַת mulierem ſpecioſam, & delicatam, quæ ferè ſemper domi manet, & inde tranſlato vocabulo ſignificat ſpeciem, & pulchritudinẽ. Nam B. Hierony. hoc loco vertit, *pulchritudo*, & alibi fere ſemper. Denique illud שַׁפְתַּיִם *ſcephathaiim*, non ſignificat ollas, vt Caluinus putat: eſt enim dualis numeri, & proinde ſignificat aliquid naturâ ſuâ duplicatum: ollæ autem ſunt infinitæ, ſed ſignificar duo labia, ſiue duos terminos, vel ordines, שָׂפָת *ſcaphath* enim eſt ordinare, vnde Hierony. vertit *Inter terminos*, & ſeptuaginta, *inter cleros* ideſt ſortes, ſiue hæreditates, quaſi dicerent, Inter *terminos duarum ſor-*

[u] *eod. Pſal. v.* 12.
[x] *verſ.* 13.
[y] *v.* 14 *hos verſ. ita Hieron. Domine dabis ſermonem annunciantibus fortitudinis plurimæ. Reges exercituum fœderabuntur, fœderabuntur, & pulchritudo domus diuidet ſpolia. Si dormieritis inter medios terminos*, &c.

Melchi tſevaoth. ſicut dicitur.
מַלְכֵי צֶדֶק
Melchi tſedek Rex iuſtitiæ.
[a] *Septuaginta* (inquit *Genebrard. in hunc locum*) *putarũt* יְדוּדוֹן *Iedudun eſſe Chriſti cognomen* יְשׁוּרוֹן *Ieſchurun* (*cognomentum populi Iſrael, quod rectum ſignificat*) *à* יָדַד *vel eſſe beemãticum à* דוֹד *dod* (*quod Amicum, dilectum, & amatorẽ ſignificat*) *idque rectius forte quam eſſe futurum verbi* נָדַד *nadad fugit.*
[b] *in ſuo Pſal.*

tium. Igitur noſtra lectio non eſt aliena à textu Hebræo huius autem ſenſus eſt. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.* Id eſt Dominus dabit prædicatoribus Euangelij os, & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij eorum. Nam quæ dicent ſignis, & prodigiis etiam confirmabunt. *Rex virtutum dilecti, dilecti,* id eſt: *ille Dominus* de quo dicebamus, eſt Rex virtutum, nimirum potentiſſimus Dominus multorum millium Angelorum & ſimul pater Dilecti Dilecti, ſcilicet, Meſſiæ filij ſui dilectiſſimi, qui etiam dabit diuidere ſpolia ſpeciei domus, id eſt dabit iiſdem prædicatoribus, vt diuidãt ſpolia gentium ad Chriſtum conuerſarum ad ſpeciem & decorem Domus ſuæ, nempe Eccleſiæ: Illud enim ſpeciei eſt Datiui caſus, & idem valet quod ad ſpeciem. *Si dormiatis inter medios cleros:* id eſt: ſi vos ô prædicatores, & paſtores Eccleſiæ maneatis inter duas ſortes, ſiue hæreditates cœleſtem videlicet, & terrenam, ita vt dum hîc viuitis, non toti ſitis in rebus temporalibus occupati, nec toti in ſpiritualibus, ſed in medio: erit Eccleſia ſicut columba formoſiſſima, habens alas deargentatas, & dorſum deauratum, &c.

[a] *eod. Pſal. v. 17.* לַמָּה תִרְצְדוּן *Lammah tirathſedun.*

Nonus, [c] *vt quid ſuſpicamini montes coagulatos:* vult Caluin. legendum: *Vt quid inuidetis montibus opimis.* Sed cum verbum illud, רָצַד *Ratſad,* non niſi in hoc loco inueniatur, & tot ſint ferè expoſitiones huius verbi, quot sũt interpretes, cur quæſo magis ſequendus erit vnus Campenſis, quem ſequitur Caluinus quam Interpretes ſeptuaginta?

[d] *ibid. v. 19.*

Decimus, [d] *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum:* vult legendum, *Etiam defectores, vt inhabitet Dominus Deus.* Sed cum ſenſus ſit idem, & verba vulgatæ editionis meliora, atque ita Hierony. verterit ex Hebræo, profectò nimia eſt libido contradicendi Caluini.

Vndecimus, [c] *Conuertam in profundum maris*, cum in Hebræo ſit cõtrarium, iuxta Caluinum, ſcilicet, *Reducam ex profundis maris*. Sed poſſe rectè ex Hebræo verti, *In profundum*, teſtatur R. Dauid, qui aſſerit, interdum מִן *Min*, pro בְּ *Be* vſurpari: vt [f] Deuter. 33. מִסִּינַי *Miſsinai* In Sinai. Deinde variæ ſunt lectiones tam in græcis, quam in latinis codicibus: cum alij legant *In profundum*, alij *In profundis*: Quæ poſterior lectio verior eſſe videtur, & cum Hebraicâ voce ſatis cohæret. Nam quid aliud eſt *Conuertam in profundum maris*, quam eos etiam qui ſunt in profundis maris extraham, & conuertam?

[c] *ibid. v.* 23.

אָשִׁיב מִמְּצֹלוֹת יָם.

Aſchif mimmetſuloth iam.

[f] *ver.* 2.

Duodecimus, *Ibi Beniamin in mentis exceſſu*, cũ ſit in Hebræo רֹדֵם *Rodem*, id eſt, dominator eorum.

Reſpondeo, illud verbum poſſe ſignificare, dominator eorum, à verbo רָדָה *Radah*: & etiam altè dormiens, à verbo רָדַם *Radam*: poſteriorem lectionem ſequuti ſunt græcus, et latinus interpres. vtraque autem eſt vera interpretatio, nec vna alteram deſtruit. Nam per Beniamin, intelligunt catholici ſcriptores cum [g] Auguſtino, Apoſtolum Paulum, qui fuit in mentis exceſſu tam altè dormiens, [h] vt neſciret an eſſet in corpore, an extra: & ſimul fuit præcipuus Dominus, ſiue princeps ſpiritualis Eccleſiæ gentium.

[g] *in hunc Pſal. tom.* 8.

[h] 2. *Corinth.* 12. *verſ.* 2.

Decimus tertius, [i] *Viduam eius benedicens benedicam*: In Hebræo צֵידָהּ *tſedaah*, ideſt, victum eius. Et conqueritur Caluin. quod extiterit nemo, qui hunc errorem aduertere potuerit.

[i] *Pſal.* 131. *v.* 15.

Reſpondeo, mentiri Caluinum. Nam [k] Chryſoſto. Hilar [l] Hierony. & ex recentioribus [m] Titelmannus Caietanus, ac alij hanc notarunt varietatem quæ non ex latino, ſed ex græco nata eſt. In nonnullis enim codicibus græcis, eſt θήραν quidem, venationem, vt vertit etiam Hieron. in ſuo pſalterio, in maiori tamen parte eſt

[k] *tom.* 1. *in hunc locum.*

[l] *quæſt. in Geneſ. ad cap.* 45. *verſ.* 10.

[m] *in hunc locum.*

[n] *Auguſt. in hunc Pſal. Chryſoſt. ſup. Proſper Caſſiodorus, &c.*

χήραν viduam, vt legerunt [n] PP. multi: imò Hilar. aſſerit ita fuiſſe in textu ante Chriſtum natum. Porro facilè fuit, ex χήραν vnâ tantùm literâ mutatâ facere χήραν, quia tamen in ſenſu non eſt adeò grauis diſtantia: & ſemper in Eccleſiâ Græcâ, & Latinâ lectum, & cantatum eſt χήραν, viduam: hic locus & ſimiles notandi quidem ſunt, ſed non propterea mutandi, vt monet Hieron. [P] epiſtola ab Suniam, & Fretell.

[o] *in illud Pſal. 73. Quieſcere faciamus omnes dies feſtos, &c. verſ. 8.*

Quantum autem abſoluta ſit editio vulgata Latina pſalterij, etiam pro nobis inimici noſtri ſunt iudices. Siquidem Conradus, Pellicanus Zuinglianus, cùm bis pſalterium ad Hebraicam veritatem à ſe conuerſum edidiſſet: in præfatione anni milleſimi quingẽteſimi trigeſimi quarti: *Tanta* (inquit) *dexteritate, eruditione, & fide, Hebraico, quoad ſenſum, concordare deprehendimus vulgatam editionem Pſalterij, vt eruditiſſimum pariterque piiſſimum, & verè prophetali ſpiritu præditum fuiſſe interpretem Græcum, & Latinum non dubitem: quamquam alicubi diſſentiant à punctis Hebraicis, quibus nunc Iudæi vtuntur: quæ olim non fuiſſe ſimilia ambigere cogor, & quarumdam literarum mutationem factam, ſuſpicio fit conferentibus ſingula diligenter.*

Defenduntur loca quæ dicuntur corrupta in editione Latina Teſtamenti noui.

CAP. XIIII.

[q] *verſ. 13. ὃ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλ' ἁμαρτωλούς.*

PRIMVS Math. 9. [q] *non veni vocare iuſtos ſed peccatores.* nam deeſt, εἰς μετάνοιαν, ad pœnitentiam. Reſpõdeo. 1. illam particulam inueniri, in quibuſdam Latinis codicibus: veriſimilius tamen eſt

in græco ſuperfluam eſſe. Nam vocare peccatores, non iuſtos, apertè ſignificat hortari ad pœnitentiam, eos qui egent, non, qui non egẽt. 2. in emendatis codicibus Græcis non fuiſſe. Cum B. Hierony. in commentario eam non legerit, & tamen diligenter contulerit Græcum cum Latino, & ex Græco Latinum correxerit.

Secundus [b] *ſpiritusſanctus ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* cum non ſit in Græco *dixero*, ſed, dixi, εἶπον.

[b] *Ioan. 14. v. 26.* τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν.

Reſpondeo [c] S. Auguſt. & alios veteres legiſſe vt nos legimus, & ſenſum eundem eſſe cũ Græco. Non enim intelligimus Dominum dixiſſe, ſpiritusſanctus ſuggeret vobis omnia, quę tunc dixero vobis, ſed quæ nunc dixero: ideſt, quæ nunc à me auditis, at non intelligitis, tunc ſpiritus ſanctus vobis explicabit.

[c] *Tract. 77. in Ioan. tom. 9.*

Tertius: [d] *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei.* Hic locus reprehenditur: tùm quia in Græco eſt ὁρισθέντος declarati, ſiue manifeſtati: tùm quia illa prædeſtinantur quæ non ſunt. Chriſtus autem ſemper fuit filius Dei: quo argumento etiam vtitur [e] Origenes.

[d] *Rom. 1. verſ. 4.* τοῦ ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ.

[e] *in hunc locum.*

Reſpondeo, etſi verbum ὁρίζειν ſignificet finire, & apud prophanos authores, accipiatur ſæpè pro declarare: tamen in ſcripturâ vbique ſignificat, *ſtatuere, decernere, definire*: numquam autem declarare, vt patet Actor. [f] ſecundo & Roman. octauo &c. Et quia ordinatio, & definitio Dei eſt æterna, ideo interpres noſter, videns Apoſtolum loqui de æternâ deſtinatione, maluit vertere prædeſtinatum, quam deſtinatum. Et ſic legerunt omnes [h] Latini etiam antiquiſſimi.

[f] *verſ. 23.* τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ θεοῦ ἐκδοτον λαβόντες. *Hunc definito conſilio, & præſcientiâ Dei traditum accipientes. & cap. 17. v. 26.* ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς, *definiens ſtatuta tempora.*

[g] *Verſ. 29.* οὓς προέγνω, καὶ προώρισε. *Quos præſciit, & prædeſtinauit. Verſ. 30.* οὓς δὲ προώρισε, τούτους καὶ ἐκάλεσε. *Quos autem prædeſtinauit, hos, & vocauit.*

[h] *Irenæ. 3. cap. 32. Hilar. 7. Trinit. Ambroſ. Sedulius & alij in hunc*

locum. August. tract. 105. *in Ioan. ad finem. & de prædest. Sanct.* 15. *tom.* 7. *Tertull. lib. contra Praxeam pag. ante finem legit definitum. Tolet.* 11. *cap.* 1. *legit, & exponit prædestinatus.*

Neque propterea dicimus præ destinatum verbum Dei, vt filius Dei esse inciperet: [k] sed vt fieret homo, & ille homo esset filius Dei.

[i] *Tolet. & Aug. sup.*

[k] 1. *Rom. vers. vltimo.*

Quartus [k]: *Qui cum iustitiam Dei cognouissent non intellexerunt. quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Hunc locum esse corruptum, probatur.

Primò quia est in Græco, οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγινόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσι. *Qui iustitiam, siue, ius, Dei cognoscentes, quoniam talia agentes digni morte sunt, non solùm ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus.*

[l] *in hunc locum tom.* 4.

Secundò, quia [l] Chrysost. œcumen. & Theophyl. exponunt vt habetur in Græco.

Tertiò, quia videtur falsum, quod habetur in Latino. Nam si non intellixerunt quoniam qui talia agunt &c. quomodo iustitiam Dei cognouerunt? Quæ est enim iustitia Dei, nisi vt qui malè agit puniatur?

Ad primum, nihil nos posse certi dumtaxat colligere ex Græco: cuius varia est lectio. Aliter enim legit Origen. aliter Chrysostom. œcume. annotat aliquos legisse vt nos legimus, [m] ac Titelmannus asserit se legisse in vetusto codice Græco manuscripto ὃ συνῆκαν. *non intellexerunt.*

[m] *Collatione* 1. *in epist. ad Roman.*

[n] 1. *Epist.* 4. *ad finem.*

[o] [*ita legi in Ambrosio, Qui cum iustitiam Dei cognouissent, nõ intellexerunt quoniã qui hæc agunt digni sunt morte: & non so-*

Ad secundum, opponimus authores authoribus. Legunt enim nobiscum [n] Cyprian. [o] Ambros. Sedulius, Haymo, Anselmus, & alij Latini in hunc locum, Hesychius in cap. 10. Leuitici, atque Symmach. in Apologet. contra Anastasium.

Ad tertium, id quod habetur in Græco po-

tius videri falſum, ſenſus enim eſt peius eſſe conſentire tantum malè agentibus, quam malum agere: in Latino ſenſus eſt contrarius: peius eſſe, ſcilicet, malè agere quam tantum conſentire malè agenti quod certè verum eſt. Non enim hîc loquitur Apoſtolus de imperio, vel incitatione ad malum, ſed de ſimplici conſenſu. In Latino autem quando dicitur, *cùm cognouiſſent*, loquitur Paulus de theoricâ cognitione: cum, dicit, *non intellexerunt*, de practicâ. Itaque ſenſus eſt cum cognouiſſent veritatem, tamen propter affectus prauos excæcati, non potuerunt ſerio ſibi perſuadere, ſic eſſe agendum. Poſſet etiam illud, *non intellexerunt*, referri tantum ad ea, *ſed etiam qui conſentiunt facientibus*: ita vt ſenſus ſit cum cognouiſſent vnum eſſe Deum, & proinde malum eſſe colere falſa numina, Iouem, Martem &c. non intellexerunt, non ſolum hoc eſſe malum, ſed etiam malum conſentire talibus.

lum faciunt ea, ſed etiã conſentiunt facientibus. Non tamẽ propterea vult peius eſſe conſentire malo quam facere. Sed peius eſſe facere, & ſimul conſentire facientibus quam tantum facere, id eſt non conſentire, ſed contradicere facientibus: ita enim explicat in commentar.]

Quintus Rom. [P] quarto, quo vult Kemnit. haberi in Latinâ edit. vulgatâ: *ſi Abraham ex operibus legis iuſtificatus eſt*: cum in [q] Græco non ſit, legis, ſed id additum à nobis fuiſſe, vt locum exponeremus de operibus, legis, quæ cæremonias præſcribebat.

P *Verſ. 2.*

q. εἰ Ἀβραὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη.

Reſpondeo, codices Latinos vel omnes, vel ferè omnes non habere illud, legis. Neque nos intelligimus locum de operibus legis veteris (quamuis Ambroſ. in textu habeat, legis, & in comment. etiam exponat de [r] lege veteri) ſed de operibus factis viribus naturæ.

r [*De lege naturæ etiam intelligit.*]

Sextus [s], *ſi gratiâ, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia*, vult Kemnitius nos detraxiſſe: *ſi autem ex operibus non amplius eſt gratia, alioquin opus iam non eſt opus.* In Græco εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐστὶ χάρις. ἐπεὶ τὸ ἔργον οὐκ ἐτι ἐστὶν ἔργον.

s *Roman. 11. ver. 6.* εἰ δὲ χάριτι, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων. ἐπεὶ ἡ χάρις οὐκ ἔτι γίνεται χάρις.

Reſpondeo etſi ita habeatur in Græco, & hęc clauſula à Theophyl. explicetur: tamen à nullis

aliis agnoſci. Imò & Eraſmus, ad quem nos remittit Kemnitius, reiicit hanc additionem tanquam ſuperfluam.

Septimus [t], *ſacramentum hoc magnum* eſt &c. cum ſit in Græce μυſτήριον.

Reſpondeo idem eſſe myſteriũ Græcis, quod Latinis Sacramentum. Nam Græci cum de Sacramentis agunt ea ſemper vocant μυſτήρια.

Quare hunc locum Pauli explicantes Latini PP [u], communiter vſi ſunt voce Sacramenti.

Octauus, [x] *Accipite armaturam Dei, vt poſsitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare*: cum in Græco ſit *omnibus perfectis* [id eſt abſolutis, ſiue vt [y] legit Hierony. *vniuerſa operati*] ἅπασι τὰ κατεργασάμενοι.

Reſpondeo ſenſum eundem eſſe: ſed oportet illud, *perfecti*, coniungere cum voce, *omnibus*, non cum verbo *ſtare*. Si quidem ſenſus eſt, vt armemur ex omni parte ſpiritualibus armis, πανοπλίᾳ: vt ſic armati, id eſt, omnibus virtutibus abſoluti, poſſimus in acie contra diabolum ſtare, non cadere.

Nono, Hebræo. [z] nono: *Ad multorum exhaurienda peccata*. Nam in Græco ait Kemnit. non eſt, exhaurire, ſed auferre, ἀνενέγκαν.

Reſpondeo, ſenſum eſſe eundem Propterea videtur interpres propriiſſimè vertiſſe. Nam ἀναφέρω eſt propriè ſurſum fero, ſiue educo, effero, ſicut ergo cum aqua, vel ſordes educuntur ex aliquâ ſentinâ, dicuntur ſordes exhauriri: ita etiam peccata, quæ Chriſtus extulit, & eduxit ex profundo pectoris noſtri, rectè dicuntur ab illo eſſe exhauſta.

Decimus, [a] *Talibus hoſtiis promeretur Deus*. Cum non habeatur in Græco promeretur, ſed εὐαρεστεῖται, *delectatur*, ſiue [b] *placet*.

Reſpondeo, Latinè rectè dici benè mereri de aliquo eum, qui facit rem illi gratam. Sic ergo noſter interpres dixit: *his hoſtiis promeretur Deus*,

[t] *Epheſ. 5. v. 32.* τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν.

[u] [*Legi apud Ambroſ. & in textu: & in cõment. Myſterium. Hieron. vero in 5. ad Epheſ. to. 6. & 8. & in textu & in comment. habet Sacramẽtum.*]

[x] *Epheſ 6. verſ. 13.* ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν τοῦ θεοῦ, ἵνα δυνηθῆτε ἀντιστῆναι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ πονηρᾷ, καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι.

[y] *In textu, & in commen. tom 6.*

[z] *verſ ultimo* ὁ χριστὸς ἅπαξ προσενεχθεὶς εἰς τὸ πολλῶν ἀνενέγκαι ἁμαρτίας.

[a] πταῖσιν γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται ὁ θεός.

[b] *Vt vertit Eraſmus.*

id eſt, his hoſtiis res ſit grata Deo, & benè meretur de Deo qui illas offert, accepit enim mereri in paſſiua ſignificatione.

Vndecimus, [c] Iacobi quinto. *Et alleuiabit eum Dominus*, in Græco ἐγερεῖ eriget, quem locum ideò deprauatum eſſe contendit Kemnit. vt inde confirmaremus effectus Sacramenti Extremæ vnctionis.

Reſpondeo, Catholicos tres agnoſcere effectus Extremæ vnctionis, primum, illi communem cum aliis Sacramentis, ſcilicet [d] remittere peccata. Secundum, [e] hominem in illo articulo mæſtitiâ, & doloribus oppreſſum exhilarare, erigere, excitare: qui certè melius non potuit exprimi, quam per verbum ἐγείρω: & proinde neſcit quid dicat Kemnit. tertium, [f] interdum etiam corporaliter ſanare.

Duodecimus: *Hæc ſcribo vobis, vt ſciatis, quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine filij Dei.* In Græco: [h] *Hæc ſcripſi vobis, qui creditis in nomine filij Dei, vt ſciatis quoniam vitam æternam habetis, & vt credatis in nomine filij Dei*, & proinde Latinum codicem eſſe mutilum.

Reſpondeo, Græcum eſſe potius redundantem, vt etiã ſuſpicatur Eraſmus. Nam quorſum additur: *vt credatis in nomine filij Dei*, cum iam dictum ſit, *qui creditis in nomine filij Dei?*

c *verſ.* 15.

d *Iacob.* 5. *v.* 15. κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκώς, ἀφεθήσεται αὐτῷ. *Et ſi in peccatis fuerit* (ſiue *ſi peccata fuerit perpetratus*) *remittentur ei.*

e *Ibid. in proximè præced.* καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, *Et alleuabit* (ſiue eriget) *eum Dominus.*

f *Ibid. ante* ſ. σώσει τὸν κάμνοντα. *Oratio fidei ſalubit infirmum: ſiue ſeruabit laborantem.*

g 1. *Ioan.* 5. *v.* 13.

h Ταῦτα ἔγραψα ὑμῖν τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, ἵνα εἰδῆτε ὅτι ζωὴν αἰώνιον ἔχετε· καὶ ἵνα πιστεύητε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ.

De editionibus vernaculis.

CAP. XV.

HÆRETICI [a] Neoterici omnes contendunt oportere ſcripturas vulgari omnibus vernacula lingua, eodemque idiomatè & legi publicè, & decantari in ſacris officiis.

a *Brentius confeſſ. witemberg. cap. de horis canonicis. Calvin. 3. Inſtit. 20. §. 33. Kemnit. in exam. 4. ſeſſ.*

Catholica vero Eccleſia [b] non prohibet quidem omnino vernaculas tranſlationes : ſed tantùm ne paſſim omnibus ſine diſcrimine cõcedatur earũ lectio, & ne in publico, ac communi Eccleſiæ vſu ſcripturæ legantur, vel canantur vernaculis linguis: ſed contenti ſimus illis tribus, quas Chriſtus titulo ſuæ crucis honorauit, & quibus libri ſacri ab authoribus ſuis fuere conſcripti, quæ ſententia probatur.

Primò, ex vſu Eccleſiæ antiqui Teſtamenti, à tempore Eſdræ vſque ad Chriſtum. Nam non eſt veriſimile ſacram ſcripturam tunc fuiſſe in vſu publico apud Hebræos alia lingua quam Hebræa : ſiue enim ante 70. fuerit in aliam tranſlata linguam, [c] ſiue non : [d] nulla erat cauſa cur peregrinam aſſumerent, quam nec etiam intelligerent : aliàs ſi fuiſſet peregrina, & intellecta, quare [e] legente Eſdra legem egebat interpretibus populus. At tunc Hebræa non erat vulgaris, alioquin non eguiſſet populus interpretibus, [f] cum legebatur lex : ſicut nec cum eam [g] Moyſes, vel Ioſias proponebant populo. Deinde verba quæ vulgari Hebræorum lingua habentur apud [h] Euangeliſtas, non ſunt Hebraïca, ſed Syriaca.

[i] Probatur ſecundo ex Apoſtolorum vſu. Nam per [k] vniuerſum orbem Euangelium prædicauerunt, & conſtituerunt Eccleſias : & tamen non alijs linguis ſcripſerunt, quam Hebræa, Græca, & fortè Latina, nec contrarium aliquo veſtigio deprehendi poteſt. Cuius rei maximum indicium eſt quod Petrus, & Iaco-

[b] *Vt videri poteſt in Indice Pij 4. librorum prohibitorum. Regula 4.*

[c] *Vt videtur colligi ex 12. Ioſeph. cap. 2. antiq. ad initium.*

[d] *Deinde nunc in Synagogis Iudæi ſcripturas Hebraïcè legunt.*

[e] *2. Eſdr. 8.*

[f] *Eſdr. ſup. v. 9.*

[g] *Deut. 1. v. 5.*

[h] *4. Reg. 23. v. 2. & 2. Paralip. 34. v. 30.*

[i] *Math. 27. v. 8. Hacheldema. Hebraicè enim dicebatur* שְׂדֵה דָם *ſede dam : Ager ſanguinis. v. 33. Golgotha. Hebraicè* גֻּלְגֹּלֶת *Gulgoleth. Marci 5. v. 41. Talitha cumi, Puella ſurge. cum Puella dicatur Hebraicè* יַלְדָּה *Ialda. vel* נַעֲרָה *Nagara. cap. 14. verſ. 36. Abba. Pater. Hebraicè.* אַב *Ab. Math. 26. v. 19. Marc. 14. v. 1. & 12. Luc. 22. v. 1. 7. & 8. Ioan. 12. v. 1. & cap. 13. v. 1. habetur Paſcha. quod Hebraice dicitur* פֶּסַח *Peſach.*

[k] *Marc. vlt. v. vlt. Rom. 10. v. 18. Coloſſ. 1. v. 6. Irenæ. 1. cap. 3.*

bus ſcripſerunt Iudæis per orbem terrarum diſperſis, non lingua eorum vulgari, id eſt, [l] regionis qua tam diu dum Iudæi habitabant: ſed Græcè, ſicut Ioannes ſcripſiſſe [m] dicitur Parthis.

Tertiò ex vſu vniuerſalis Eccleſiæ, contra quem diſputare [n] inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Nam Eccleſ. ſemper his tantum tribus linguis vſa eſt publicè, etiam vbi, vel quando earum vſus non erat vulgaris. Tùm quia id videmus nuncupatè ſe habere vbicunque Catholici ſunt, nec huius conſuetudinis initium aſſignari poteſt, & proinde iuxta regulam [o] Auguſt. ex Apoſtolica traditione deſcendere oportet: tùm quia ipſe Auguſt. [p] teſtatur ad ſcripturarum intelligentiam eſſe neceſſariam trium harum linguarum notitiam, quod in illis linguis ſcriptura diuina legatur: nec vllus antiquus author meminit alterius tranſlationis. Diuus [q] autem Hierony. aſſerit fuiſſe in publico vſu per totum Orientem, Septuaginta editionem, emendatam quidem per Lucianum, ab Conſtantinop. ad Antiochiam: per Originem, [r] ab Antiochia vſque Ægyptum: per totam verò Ægyptum: correctam per Heſychium. Nec in his regionibus, quandiu viguit vera fides, fuit alia lingua in vſu publico ſcripturæ. In Africa, quouſque ibi Chriſtiani fuerunt, in ſimili vſu fuit ſola Latina lingua, [s] nam ex Auguſt. patet ſuo tempore Pſalmos cantari ſolitos in Eccleſia Latinè: & in Miſſa, *Surſum corda*, [t] *Habemus ad Dominum*, *Gratias agamus Domino Deo noſtro*: *Dignum & iuſtum*. In Hiſpania ſimiliter Latinam fuiſſe in vſu patet, [v] ex Iſidoro Toletano Conc. [x] quarto, quo præcipitur, vt in tota Hiſpania, idem ſeruetur ordo, in canendis Pſalmis, &c. [y] atque ibi ſatis oſtenditur, tunc Latinè conſueuiſſe diuina officia dici.

Idem in Anglia teſtatur [z] fuiſſe Beda, & Tho-

[l] *vt patet ex illis Act. 2. v. 8. quomodo audiuimus vnuſquiſque linguâ noſtrâ, in quâ nati ſumus. Loquitur enim de Iudæis ex omni natione quæ ſub cælo eſt. v. 5.*

[m] *ab Higino ep. 1. Aug. 2 qq. Euang. 39. tom. 4 & Ioan. 2. ep. ad Valerium.*

[n] *vt docet Aug. ep. 118. paulo poſt medium.*

[o] *4. de Baptiſmo contr. Donatiſtas 24. tom. 7.*

[p] *2. de doctr. 11.*

[q] *præf. in Paralip. ad Chromatium.*

[r] *id eſt, per totam Syriam.*

[s] *2. de doctrina 13.*

[t] *de bono, ſiue dono perſeuerantiæ 13. ad finem to. 7. Cyprian. etiam ſermone de orat. Dominicâ ſolio ante finem meminit illius ſurſum corda.*

[v] *libris 2. de diuin. officiis.*

[x] *cap. 2. ante annos nongentos.*

[y] *cap. 12. 13. 14. &c.*

[z] *ante centum &*

mille annos lib. 1. hist. suæ gent. cap. 1. Meditatione (inquit) *scripturarum cæteris omnibus facta est communis, id est lingua Latina.*

[a] *Tom. 3. de Sacramentalibus tit. 3. & 4.*

[b] *Præceptore Caroli Mag.*

[c] *ante annos Sexcentos.*

[d] *ante annos Septingentos.*

[e] *ante Quadring. annos.*

[f] *libro 7. epistol.*

[g] *1. de officiis Ecclesiasticis.*

[h] *præfat. in lib. 2. ad Galat. in fine tom. 6.*

[i] *Actor. 2.*

[k] *In Hilarione to. 1.*

[l] *Francum.*

[m] *teste Athanas. in Antonio.*

[n] *li. de viris illustr. in Antonio.*

[o] *Sermone 35. de verbis Domini non longè ab initio. tom. 10.*

mas [a] Vualdensis. In Gallia constat ex [b] Alcuino, lib. de diuinis officiis, & Amalario [c] Treuirensi, de officiis Ecclesiasticis: vbi etiam ostendit in toto reliquo Occidente eodem modo celebrata fuisse diuina officia, & proinde Latinè. In Germania apertè colligitur ex [d] Rabano. 2. de institutione clericorum, & Ruperto [e] Tuitiensi de diuinis officiis.

In Bohemia, & finitimis regionibus, ante annos quingentos, diuinæ scripturæ legebantur in Ecclesiis Latinè. Nam extat [f] epistola Gregorij septimi in qua dicit se iustis de causis noluisse eis permittere vt diuina officia celebrarent lingua Sclauonicâ. In Italiâ denique eâdem linguam, scilicet Latinam, dumtaxat fuisse in vsu, patet ex ordine Romano diuinorum officiorum: quem cæpisse à B. Petro, testatur [g] Isidorus. Sed tempore B. Hierony. Græca non erat vulgaris Galatis, sed alia quædam simillima linguæ Treuirensium, vt [h] idem Hierony. docet: neque Ponto, Cappadociæ, Asiæ minori, Phrygiæ, & Pamphiliæ, sicut ex [i] actis constat: cum alij alios non intelligerent. Et tamen hæ omnes regiones erant inter Constantinopolim & Antiochiam. In Syriâ non erat etiam vulgaris Græca: nam scribit [k] Hierony. S. Hilarionem interrogasse quendam [l] obsessum primò Syriacè, deinde Græcè, vt intelligerent Græci qui aderãt. Ægyptus etiam propriam linguam habebat, distinctam à Græca: Cum [m] B. Antonius Ægyptius natione, per interpretem disputaret cum Philosophis Græcis: scripseritque [n] teste Hieron. epistolas Ægyptiacè, quæ postea in Græcũ versæ sunt. [minus autem ab hoc tempore facta est Græca vulgaris, his in Regionibus cum iam vbique defierit]. In Africâ non erat tempore Aug. vulgaris Latina: nam [o] ipsemet docet Punicam linguam Hebraicæ affinem esse. In Hispaniâ, propria lingua erat affinis linguæ

Græcæ

Græcæ, antequam Gothi Hiſpaniam inuaſiſſent, [p] ſi Hierony. credimus: poſtea verò Gothi, & Mauri qui eam occupauerunt propriam ſuam linguam inuexerunt. In Angliâ [q] teſtatur Beda, fuiſſe quatuor linguas vulgares quarum nulla erat Latina. Ducentis autem annis ante Amalarium [r] Franci cum ingenti multitudine in Galliis conſederunt: Franci verò habuiſſe linguam propriam aliam à Latina conſtat ex Hierony. in Hilarione [s]: vbi eas inter ſe diſtinguit. Galli etiam ante Francorum aduentum habuiſſe propriam linguam à Latinâ diuerſam, tradit Hierony. præfat. in [t] lib. 2. ad Galat. In Germaniâ, & Bohemia [u] nuſquam fuit Latina vulgaris: nullam enim habet affinitatem cum Germana. In Italiâ dudũ deſiit vſus linguæ Latinæ apud populum. Si quidem Radeuicus, qui anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo florebat, [x] ſcribit in electione Victoris Papæ acclamatum fuiſſe, *Papa Vittore ſanto Pietro l'elegge.*

Quartò rationibus probatur. Prima, in cœtu omnium fidelium, debet eſſe communicatio Eccleſiarum, & ad controuerſias ſoluendas celebrari quædam Generalia Concilia. At ſi tollatur vſus ſcripturarum, in aliquâ linguâ omnibus communiſſimâ, ([y] quæ conſequenter non erit vernacula) nullus frequentabit Eccleſias, niſi in ſuâ patriâ: nec vlla celebrari poterunt generalia Concilia: cum PP omnes qui ad Concilium requiruntur, non habeant donum linguarum.

Secunda, ſi quæ eſſet ratio ſacras vulgandi ſcripturas, maximè, vt ab omnibus intelligerentur. Sed etiam hoc poſito non intelligerentur, cum indigeant expoſitione: Imò populus inde

[p] *præfat. in lib. 2. ad Galat. cum ait, in inſulis Balearibus linguam fuiſſe affinem Græcæ.*

[q] *ſupra.*

[r] *ex Franconia Germaniæ regione.*

[s] *Videres* (inquit) *de ore barbaro, & qui Francam tantũ, & Latinam linguã nouerat, Syra ad purum verba reſonare.*

[t] *Maſſiliam Phocæi condiderũt, quos ait Varro trilingues eſſe, quod Græcè, loquantur, & Latinè, & Gallicè. Hæc ille.*

[u] *tempore Hieron. non erat, vt facilè colligitur ex epiſt. ad Suniam, & Fretellam initiò. Nunc nõ eſt: ante, fuiſſe nulla probatione oſtendi poteſt.*

[x] *lib. 2. de geſtis Friderici. & D. Thomas ante trecentos annos, teſtatur in 14. primæ ad Corinth. aliam fuiſſe in Italiâ linguam popularem, & aliam quâ ſcripturæ in Eccleſiâ legebantur.*

[y] *Non enim omnes nationes vna vernaculâ linguâ vtuntur aut vnquam vſæ ſunt poſt confuſionem linguarum.*

potiùs in periculum errandi rueret. Nam vt Hilar. [z] docet ex scripturâ non intellectâ natæ sunt hæreses.

Tertia, sequeretur etiam in singulis fermè ætatibus, mutandas esse translationes: cùm in singulis fermè, idiomata propria mutentur. At id fieri non posset sine grauissimo incommodo, & periculo. Nam non semper inueniuntur idonei interpretes: atque ita multi errores committerentur, qui facilè tolli non possent cum neque Pontifices, neque Concilia, de tot linguis iudicare valeant.

Quarta, quia maiestas diuinarum scripturarum [a] requirere videtur, illas non vulgari: sed linguâ quadam magis veneranda legi, vnde [b] Basil. & [c] Hierony. iudicabant non expedire, homines sine delectu scripturas tractare. Nec tamen propterea volumus Latinam linguam, quoad verba, esse augustiorem aliis (vt nobis imponit Kemnitius) sed in eo quod non sit vulgaris.

[z] *extremo libro de Synodis.*

[a] *Præsertim cum in sacris mysterijs multa sint quæ secreta esse debent Dionys. 1. Eccl. Hierarch. Basil. de Spiritu sancto 27. post initium Chrysost. hom. 24. in Math. in illud: Nolite sanctũ dare canibus. tom. 2. Gregor. 4. Dialog. 56.*

[b] *apud Theodor. 4 histor. 17. Vbi reprehendit quendam Demosthenem. Præfectum culinæ Imper. quod scripturis sacris se immiscere t.*

[c] *Epist ad Paulinũ de studio scriptur.*

Soluuntur obiectiones hæreticorum.

CAP. XVI.

PRIMA, ex Paulo. 1. Corinth. 14. *Per* [a] *linguã nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur, id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes.* Et infra. [b] *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est.* [c] *Quid ergo? Orabo spiritu, orabo, & mente, psallam*

[a] *v. 9. διὰ τ γλωσσης ἐαν μὴ εὔσημον λόγον δῶτε, πῶς γνωσθήσ τὸ λαλούμενον; ἔσεσθε γὰρ εἰς ἀέρα λαλοῦντες.*

[b] *v. 14. ἐαν προσεύχωμαι γλώσσῃ, τὸ πνεῦμά μου προσεύχεται ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπός ἐστι*

[c] *v. 15. Τί οὖν ἐστι; προσεύξομαι τῷ πνεύματι, προσεύξομαι δὲ καὶ τῷ νοΐ· ψαλῶ τῷ πνεύματι ψαλῶ δὲ καὶ τῷ νοΐ.*

ſpiritu, pſallam & mente. [d] *Cæterum ſi benedixeris, ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen, ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas neſcit.* [e] *Nam tu quidem benè gratias agis, ſed alius non ædificatur.*

Reſpondeo priorem locum: *Per linguam niſi, &c.* intelligendum eſſe, de exhortatione ſpirituali, quæ Dominicis diebus fiebat abſolutis ſacris myſteriis, vt [f] Iuſtinus docet, eoſque reprehendit Paulus, qui vt linguarum donum oſtenderent, peregrinâ vtebantur linguâ. Ita exponunt Ambroſ. Sedul. & Theod. in hunc locum, vultque Apoſtolus duos, vel tres tantùm, in ſingulis collationibus loqui, cæteros audire, & iudicare. Quod ſi dum vnus dicit, alteri reueletur aliquid melius, primus taceat, ſecundus loquatur vt explicat Cypria. [g] epiſt. ad Pompeium, & aliâ ad Quirinum. ac Aug. [h] ſecundo de Bapt. contra Donatiſtas, idque patet ex his: [i] *Prophetæ duo aut tres dicant &c.* [k] *Si alij reuelatum, &c. Mulieres in Eccleſ.* Quæ non niſi ad exhortationem referri poſſunt. Nam lectio ſcripturarum, & officia diuina non debent diiudicari à Prophetis, nec tunc inſpirantur cum leguntur, aut aliquando mulieres celebrarunt in Eccleſiâ, myſteria diuina. Poſterior locus intelligendus eſt [m] de canticis ſpiritualibus, quæ Chriſtiani componebant, ad laudandum Deum: & quia fiebant ad conſolationem, & ædificationem auditorum, vult Paulus facienda eſſe linguâ vernaculâ. Non loqui enim Apoſtolum de ſcripturis, & officiis diuinis, ex eo probatur, quod ſcripturæ legebantur, & diuina celebrabantur officia in Græciâ Græcè, ac proinde quæ intelligebantur à Corinthiis. At loquitur Apoſtolus hîc de oratione, & gratiarum actione quæ fiebat voce extraneâ atque incognitâ. Dices ergo vt populus etiam reſpondere poſſet, Amen: ad diuinum officium, voluit Apoſtolus, pari ratione, diuinum

[d] *Verſ.* 16. ἐπεὶ ἐὰν εὐλογήσῃς τῷ πνεύματι, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, πῶς ἐρεῖ τὸ ἀμὴν, ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ; ἐπειδὴ τί λέγεις οὐκ οἶδε.

[e] *v.* 17. Σὺ μὲν γὰρ καλῶς εὐχαριστεῖς ἀλλ' ὁ ἕτερος οὐκ οἰκοδομεῖται.

[f] *in fine* 2. *Apolog.*

[g] *de hæreticis rebaptizan.*

[h] *cap.* 8. *tom.* 7.

[i] *v.* 29. προφῆται δύο ἢ τρεῖς λαλείτωσαν, καὶ οἱ ἄλλοι διακρινέτωσαν, &c. *alij dijudicent.*

[k] *v.* 30. ἐὰν δὲ ἄλλῳ ἀποκαλυφθῇ καθημένῳ, ὁ πρῶτος σιγάτω, *fuerit ſedenti, prior taceat.*

[l] *v.* 34. αἱ γυναῖκες ὑμῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις σιγάτωσαν, *taceant.*

[m] *De quibus Euſeb.* 2. *hiſtor.* 16. *ad finem ex Philon. iuxta Ruffin.* 17. *Diony. diuin. nom. poſt med. cap.* 3. &c.

officium celebrari vernaculâ linguâ.

Reſpondeo diſparem eſſe rationem. Nam huiuſmodi cantica fiebant ad conſolationem, & inſtructionem populi: quare non intellecta à plebe, caruiſſent fructu. At diuinorum officiorum præcipuus finis, non eſt inſtructio populi, ſed cultus diuinus, quæ autem populum ſcire oporteat edocent paſtores.

Secunda obiectio, ex oratione non intellecta nulla vtilitas ſequitur: vnde Iſaiæ [n] 29. *Populus hic labijs me honorat*, &c. Et 1.° Corinth. *Si orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem ſine fructu eſt.*

Reſpondeo: falſum eſſe, ex publica oratione Eccleſiæ non intellecta à populo, nullum fructum percipi. Hæc enim oratio non fit populo, ſed Deo pro populo, quare ſatis eſt vt intelligat Deus, ſicut ſatis eſt Regem intelligere ſupplicationem quæ fit pro altero, etiamſi ille pro quo fit, eam non intelligat. Et nonne Eccleſia fructuoſè pro peccatoribus orat qui nec audiunt, nec audire volunt? Propterea [p] in lege antiqua dum Sacerdos pro populo orabat, nec quidem videbatur ab ipſo populo. Imò nec oranti eſt oratio ſine fructu, dummodò ſincero precetur affectu, etſi non intelligat quæ dicat. Nam Iudæi [q] non colebant fruſtra Deum figuris, quas tamen maior pars eorum non intelligebat. Et ſæpiſſime decantantur pſalmi ad laudem Dei, lingua cantantibus nota: & tamen quis percipit dum cantat omnium Pſal. ſenſum? Quare Auguſt. [r] *Multi* (inquit) *irruunt in preces non ſolum ab imperitis loquacibus, ſed etiam ab Hæreticis compoſitas, & per ignorantiæ ſimplicitatem non ea valentes diſcernere vtuntur eis, arbitrantes quod bonæ ſint, nec tamen quod in eis, peruerſum eſt euacuat illa, quæ in eis bona ſunt, ſed ab eis potius euacuatur.* Ad illud autem Iſaiæ intelligendum eſſe de iis qui ore Deum profitentur, factis autem negant. vt [s] Hierony. & Auguſt.

cap. 4. vbi adducit multa ex canticis Hieroth. Tertull. in Apolog. 39. ad medi. & Paul. Eph. 5. v. 19. ac Coloſſ. 3. v. 16. hortatur vt in Pſal. Hymn. & cant. ſpirit. fideles commoneant ſeipſos, quem locum Haymo intelligit de cãt. quæ ipſi componebant.

[n] *verſ. 13. Matth. 15. verſ. 8.*

[o] *ſupr.*

[p] *Leuitici 16. v. 17. Luc. 1. v. 10. & 21.*

[q] *vt docet D. Aug. 3. de doctr. 9.*

[r] *de Baptiſ. contr. donat. lib. 6. cap. 25. Orig. homil. 20. in Ioſue. ad initium. Et ſi nos non intelligimus quæ de ore proferimus, illæ tamẽ virtutes quæ nobis adſunt intelligunt & velut carmine quodam inuitatæ adeſſe nobis & ferre auxilium delectantur.*

[s] *In 29 Iſaiæ to. 4.*

[t] exponunt.

Paulus verò non [u] reprehendit orationem quæ non intelligitur, ſed ei anteponit orationem quæ intelligitur: cæteris paribus fieri enim poterit, vt prior ſit anteponenda: nimirum ſi id magis conducat ad Eccleſiæ præſtantiam, & vtilitatem.

Tertia, [x] Innocentius tertius [y] præcepit, cum in aliqua vrbe permixti ſunt homines diuerſarum linguarum, vt prouideat Epiſcopus idoneos viros, qui diuerſis linguis diuina officia celebrent, diuerſæ hominibus linguæ.

Reſpondeo, loqui Innocent. de lingua Græca, & Latina tantùm: cùm enim Conſtantinopolis capta fuiſſet à Latinis, & hi cum Græcis permixti eſſent, [z] poſtulatum fuit à Papâ, vt permitteret Conſtantinopol. duos ordinari Epiſcopos, quod noluit: ſed tantùm ſtatuit, vt Epiſcopus prouideret miniſtros, qui Græcis Græcè, Latinis Latinè ſacra celebrarent.

Quarta finis diuinorum officiorum, publicarumque lectionum eſt inſtructio, conſolatio, & ædificatio populi: Rom. 15. [a] *vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus*, & 1. Corinth. ſup. [b] *volo quinque verba in ſenſu meo loqui vt alios inſtruam, quam decem millia verborum in lingua ignota.* Item. [c] *Cum conuenitis, vnuſquiſque veſtrum Pſalmum habet, doctrinam habet, Apocalypſim habet, linguam habet, interpretationem habet.*

[t] 22. *contra Fauſtũ* 55. *tom.* 6. *ſi tamen quis vellet verba Iſaiæ referre ad ora. poterit dicere reprehendi eos, qui ore quidem loquuntur animo verò vagantur, nec attendunt quid dicunt quantumlibet linguâ ſibi nota loquantur.* [*Nam certè tempore Iſaiæ Hebræa adhuc erat vulgaris: ad locum Iſaiæ autem reſpexit Chriſtus apud Math. quare cum Iſaias non loquatur de idiomate orationis, nec etiam Chriſtus.*]

[u] *vt patet ex illis: Nam tu quidem benè gratias agis.*

[x] *eſt Brentij.*

[y] *cap.* 9. *Concil. Lateran.* 4. *& habetur in Decretalibus lib.* 1. *tit.* 31. *de officio Iudicis ordinarij cap.* 14. *Quoniam in pleriſque.*

[z] *in Concil. Lateranenſi.*

[a] v. 4. ἵνα διὰ τῆς ὑπομονῆς, καὶ διὰ τῆς παρακλήσεως τῶν γραφῶν, τὴν ἐλπίδα ἔχωμεν.

[b] v. 19. θέλω πέντε λόγους διὰ τοῦ νοός μου λαλῆσαι ἵνα καὶ ἄλλους κατηχήσω, ἢ μυρίους λόγους ἐν γλώσσῃ.

[c] *verſ.* 26. ὅταν συνέρχησθε, ἕκαστος ὑμῶν Ψαλμὸν ἔχει, διδαχὴν ἔχει, γλῶσσαν ἔχει, ἀποκάλυψιν ἔχει, ἑρμηνείαν ἔχει· πάντα πρὸς οἰκοδομὴν γινέσθω.

bet: *omnia ad ædificationem fiant.* At ex lingua ignota, quæ inſtructio, ædificatio, aut conſolatio percipi poteſt? Igitur, &c.

Reſpondeo, falſam eſſe maiorem: nam finis diuinorum offic. publicarumque lectionum, eſt cultus Deo ab Eccleſia debitus. Ad primum locum, ſacras quidem ſcripturas eſſe ad populi fidelis conſolationem, doctis dum leguntur, indoctis dum à prædicatoribus explanantur.

[d] *vt interpr. Chryſoſt. in hunc locum tom. 4. Per doctrinam donum docendi, per apocal. donum reuelationis, per interpretationem donum interpretandi ſcripturas, per Pſal. donum componendi ſpiritualia cantica, per linguã, donum linguarum.*

Ad ſecundum loqui Paulum de exhortatione: quæ certè melior eſt, etſi breuiſſima, ſi fiat in lingua nota, quam longiſſima ſi fiat lingua incognita.

Ad tertium, non intelligi ſacras ſcripturas, ſed [d] quinque dona gratis data. Nam paulò ante de iiſdem ita loquitur Paul. [e] *ſi venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, niſi loquar aut in reuelatione,* [f] *&c.*

[e] *verſ. 6.*

Quinta [g] obiect. Chriſtus, & Apoſtoli vernacula prædicarunt lingua. At idem eſt verbum Dei ſcriptum, & prolatum. Igitur & vernacula lingua deſcribendum erit.

[f] *aut in ſcientia, aut prophetica* (ſiue interpret.) *aut in doctrina.* ἐὰν ἔλθω πρὸς ὑμᾶς γλώσσαις λαλῶν, τί ὑμᾶς ὠφελήσω, ἐὰν μὴ ὑμῖν λαλήσω ἢ ἐν ἀποκαλύψει ἢ ἐν γνώσει, ἢ ἐν προφητείᾳ ἢ ἐν διδαχῇ.

Reſpondeo ad minorem, admiſſa maiore, eſſe quidem idem verbum, ſed non eodem modo propoſitum. Nam dum prædicatur, explicatur viua voce, ſcribitur vero nude, quare concluſio nulla eſt. Sicut nec ſequitur, matres dant pueris panem præmanſum vel diſſectum. Sed idem eſt panis manſus & integer, ergo debent apponere pueris manducandum integrum.

[g] *Kemnitij, & ſequentes.*

Sexta ſcripturæ olim verſæ ſunt in linguam Chaldaicam, & Chriſtus in cruce citauit ſcripturam Syriaco ſermone: cum dixit [h] *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me!* Item verſæ ſunt etiam in Græcam, & Latinam, cùm vulgares eſſent: atque Hierony. teſtatur ſe eas vertiſſe in Sclauonicam linguam. Igitur nullum eſt piaculum ſcripturam vertere in vulgares linguas.

[h] *Math. 27. v. 46. & Marc. 15. v. 34.*

Reſpondeo nos non negare quin poſſint verti: ſed non debere omnibus ſine diſcrimine permitti, aut legi publicè idiomate vulgari. Chaldaica autem editio non tam verſio, quam paraphraſis eſt, nec vſquam apud Catholicos fuit alicuius grauis authoritatis Chriſtus verò [1] nō Syriacè ſed Hebraicè dixit אֵלִי אֵלִי לְמָה עֲזַבְתָּנִי [k] *Eli Eli lamma azabthani*, Syriacè enim dixiſſet. *Hil Hil lemana ſebactani*, quod verò in Latino habeamus Sebactani, factum vt facilius pronuntiaretur. Sacræ autem ſcripturæ verſæ ſunt in Græcum & Latinum, non quia vtrumque vulgare erat idioma: ſed quia communiſſimum. Nam certè Græcum non erat vulgare Ptolomæo, qui verſionem Græcam curauit: nec Latinum, vniuerſo Occidenti. Quod autem dicitur Hierony. feciſſe, ſi verum eſt, non ideò fecit vt publicè legeretur ſcriptura Sclauonicè, ſed ad conſolationem eorum, qui ea ſine periculo vti poſſent.

Septima Chryſoſtom. hortatur ſæpiſſimè Laïcos ad ſcripturarum lectionem. [l] *Audite* (inquit) *obſecro ſæculares omnes, comparate vobis Biblia*, &c.

Reſpondeo, Hyperbolicè loqui, etſi enim omnes alloquatur: ad eos tamen proprie dirigit ſermonem, qui ſcripturarum lectione capaces erant. Solebat eum Chryſoſt. huiuſmodi Hyperbolis vti ſicut cum homil. 3. de Lazar. ait *Non poteſt fieri, vt quiſquam ſalutem aſſequatur, niſi perpetuò verſetur in lectione ſpirituali.*

Vltima, Morauis conceſſum fuit ante ſexcentos annos, vt Sclauonica lingua celebrarent officia diuina: noſtro etiam tempore Ruheni Armeni Ægyptij & Æthiopes ſuis vulgaribus linguis ſacra faciunt.

Reſpondeo, Morauis tunc (ſcilicet cum totum regnum conuertebatur) id iuſtè conceſ-

[1] *Epiph. hæreſ. 69. Arianorum arbitratur Chriſtum partim Syriacè, partim Hebraicè hanc ſententiam protuliſſe.*

[k] *ita reddit hæc verba Hieron. lib. de nominibus Hebraicis in Math. to. 3. in Græco apud Math.* ὴλὶ, ὴλὶ, λαμα σαβαχθανί; *in Marc.* ἐλωὶ, ἐλωὶ, λαμμᾶ σαβαχθανί;

[l] *Homil. 9. in ep. ad Coloſſ. col. 2. tom. 4. Audite quæſo vos omnes quibus curæ ſunt quæ ad hanc vitam pertinent, & parate vobis libros medicamenta animæ, ſi nullos alios vultis nouum quidem certè teſtamentum vobis parate,* &c. *Item præfat. in epiſt. Pauli initio tom. 4. Homil 2. in Math. & 10. in Ioan. ac 3. de Lazaro.*

sum, quod nulli essent apud eos qui Latinè celebrare possent, at postquam creuit eruditio, omissus est vsus dumtaxat Sclauonicæ linguæ. Aliorum autem exemplum non est ad rem, cum sint vel [m] Hæretici vel Schismatici.

[m] [*Exceptis Ruthenis qui anno 1595. à Clemente VIII. in gremium Ecclesiæ Catholicæ recepti sunt. Missis ad hunc effectum legatis à Kiouiensi Metropolitano & alijs 7. Ruthenis Episcopis: qui Legati, nomine omnium professi sunt obedientiam Pontifici Rom. vide Baro. in fine 7. tom.*]

DE VERBO DEI
LIBER TERTIVS,

Qui est de verbi Dei interpretatione.

Scripturam non sufficere sine explicatione, ad controuersias fidei determinandas.

CAP. PRIMVM.

LVTHERVS [a] scripturam clarioremesse omnium patrũ commentariis docuit: quod si nonnumquam videatur obscura alicubi, vel eam alio in loco elucidari, vel tantum superbis, & infidelibus, siue vt ait [b] Brentius, ignaris Hebraicæ linguæ, & Græcæ, reddi obscuram. Sed hæc sententia probatur falsa: Primò ex scripturis ipsis. Nam Dauid nec erat superbus, nec infidelis, aut ignarus Hebraicæ phrasis, & tamen dicebat, [c] *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam.* item [d] *Reuela oculos meos* &c. Christus [e] suis discipulis, & quidem Hebræis interpretabatur scripturas: & [f] eunuchus Æthiopum reginæ diligenter versabatur in scripturis pius, & humilis, tamen fassus est eas se non intelligere. Denique [g] Petrus asserit in epist. Pauli quædam esse difficilia intellectu, non quidem indoctis & instabilibus, vt hæretici dicunt, sed absolutè, quæ indocti, &

[a] *præfat. assertionis articul. à Leone damnatorum. Oportet* (inquit) *scripturæ iudice hanc sententiam ferre: quod fieri non potest nisi scripturæ dederimus*, &c. *vt sit ipsa per se certissima, facillima, apertissima sui ipsius interpres, omnium omnia probans, iudicans, & illuminans. item lib. de seruo arbitrio.*

[b] *in prolog. contra Petrum à Soto.*

[c] *Psal. 118. v 34.*

[d] *v. 18. item v. 135. faciem tuam illumina super seruum tuum & doce*, &c.

[e] *Luc. vlt. v. 45.*

[f] *Act. 8. a. v. 27. ad 35.*

[g] *2. Petr. vlt. v. 16.*

[h] *lib. de Fide, & operib. initio cap. 15. & 19. ac in fine poſter. tom. 4.*

[i] *cap. 3. a. v. 12. ad 15. incluſiuè.*

[k] *2 cap. 47. ante medium.*

[l] *lib. 7.*

[m] *hiſtor. 11. cap. 9.*

[n] *Homil. 40. in Ioan. in illud: Scrutamini ſcripturas.*

[o] *Diuina enim ſumma indigent diligentia, &c. Qui huiuſmodi quærit niſi ſummam adhibeat diligentiam, & laborem nunquam quæſita inueniet.*

[p] *epiſt. 44. ad Conſtantium non longè à principio.*

[q] *præfat. comment. lib. 1. in ep. ad Ephe. tom. 6. & epiſt. ad Algaſiam q. 8. ad finem, tom. 7. Omnis* (inquit) *epiſtola ad Romanos nimis obſcuritatibus inuoluta eſt.* inſtabiles deprauant. Nam Auguſt. certè doctus & ſtabilis erat, nihilominus [h] fatetur ſibi difficillimum eſſe intellectu locum illum, primæ [i] Corinth. *ſi quis autem ſuper fundamentum*, &c.

Secundo ex patribus: Irenæo, *ſi in rebus* (inquit) *creatis quædam quidem eorum adiacent Deo, quædam autem & in noſtram venerunt ſcientiam, quid mali eſt, ſi & eorum quæ in ſcripturis requiruntur, vniuerſis ſcripturis ſpiritualibus exiſtentibus, quædam quidem abſoluamus ſecundum gratiam Dei, quædam autem commendemus Deo, non ſolum in hoc ſæculo, ſed & in futuro*, Origene, [l] contra Celſum, Baſilio & Nazianz. [m] apud Ruffinum. [n] Chryſoſtomo, *Chriſtus* (inquit) *Iudæos ad ſcripturarum non ſimplicem, & nudam lectionem, ſed ad inueſtigationem per quam diligentem relegauit* [o] &c. Ambroſio, [p] *mare* (inquit) *eſt ſcriptura diuina, habens in ſe ſenſus profundos*, &c. [q] Hierony. epiſt. ad Paulinum Auguſt. *Tanta eſt* (inquit) *Chriſtianorum profunditas literarum, vt in eis quotidie proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritiâ vſque ad decrepitam ſenectutem, maximo cum otio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere.* Denique Gregorio magno, homilia [r] ſexta in Ezechielem.

Tertiò ratione. In ſcripturâ, vel res conſiderantur, vel modus, quæ illæ tractantur. *Si* res, nullæ difficiliores: tractant enim de [s] rebus maxime occultis, & ſupernaturalibus. Si modus: ſunt quæ primâ fronte contraria videntur, ſunt [t] ambigua verba, & orationes: ac [v] nonnum-

[r] *ad principium.*

[s] *vt de ſumma Trinit. incarnatione Sacramentis, prædeſt. reprobatione, &c.*

[t] *vt Exod. 20. v. 5. Sum Dominus zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, &c. & Ezech. 18. v. 20. filius non portabit iniquitatem patris.*

[v] *vn Ioan. 8. v. 25. Tu quis es? & dixit illis Ieſus: principium, qui & loquor vobis* τὴν ἀρχὴν ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν, *mira eſt enim difficult. ſcire quid ſignificet illud Principium* ἀρχή.

quam etiam ipſæ imperfectæ, atque [x] præpoſteræ ſunt [y] phraſes Hebræis propriæ: Denique quamplurimæ orationes figuratæ vltimò probatur aduerſariorum teſtimonio. Si enim adeo facilis extat ſcriptura: cur tot illi in ipſam commentaria ſcribunt. Quid eſt quod ait Lutherus, [z] *Nolim ab vllo id de me præſumi, quod nullus adhuc præſtare potuit ſanctiſſ. & doctiſſimorum, id eſt pſalterium, in omnibus ſuo legitimo ſenſu intelligere:* à quibus verbis non diſſentiunt Brent. confeſſ. [a] witember. Kemnitius [b] in examine, & Centuriaſt. centuria [c] prima.

[x] *vt Rom. 5. v. 12.*
[y] *vt Geneſ. 10. v. 31. Iſti ſunt filij Sem ſecundum cognationes & linguas*, &c. *Sequenti autem cap. v. 1. dicitur: Erat autem labij vnius.*
[z] *v. Pſal. 88. v. 30. thronus eius ſicut dies cæli. & Pſal. 11. v. 109. Anima mea in manibus meis.*
[a] *præfat. in Pſal.*
[b] *cap. de ſacra ſcript.*
[c] *Seſſ. 4.*
[d] *lib. 2. cap. 4. col. 52. Senſerunt Apoſtoli ſcripturas non poſſe intelligi ſine Spiritu ſancto, & interprete.*

Soluuntur obiectiones aduerſariorum.

CAP. II.

PRIMA obiectio ſumitur ex illis [a] verbis. *Mandatum quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitum*, &c.

Reſpondeo hunc locum accipiendum eſſe, vel de [b] intelligentia, vel de [c] adimpletione decalogi, in quo naturalia præcepta continentur.

Secunda ex pſal. decimooctauo [d] *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* & centeſimo decimo octauo, [e] *lucerna pedibus meis verbum tuum*, &c.

Reſpondeo hîc tantum agi de præceptis Dominicis, quæ ideo dicuntur lumen, & lucerna, quod dirigant hominem in operando. Et quamuis de vniuerſis ſcripturis hæc intelligerentur,

[a] *Deuter. 30. v. 11. 12. 13. & 14.*
[b] *ita interpretatur Abulenſis in hunc locum.*
[c] *ita Tertull. contra Marcio. 4. tribus foliis aut circa ante finem, Chryſoſt. in illud 10. ad Rom. Ne dixeris in corde tuo, quis aſcendet, tom. 7. Aug. cap. 10. de præfect. inſtitiæ, to. 4.*
[d] *Verſ. 9.*
[e] *Verſ. 105.*

non tamen inde sequeretur esse intellectu faciles: sed intellectas mentem illustrare.

[f] *Math. 5. v. 14.* ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς τοῦ κόσμου.

Tertia. [f] *Vox estis lux mundi.* Quomodo ergo prædicatio Apostolorum, qui lux dicuntur mũdi, non erit lucida?

[g] *Vers. 16.* ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα.

Respondeo, loqui Dominum, de luce exemplorum probitatis, & morum: subiunxit enim [g] *vt videant opera vestra bona.*

[h] *2. Petr. 1. v. 19.* ἔχομεν βεβαιότερον τὸν προφητικὸν λόγον· ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες, ὡς λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ.

Quarta. *Habemus* (inquit [h] B. Petrus) *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caligineso loco.*

Respondeo dici voces prophetarum lucernam, quod intellectæ illuminẽt, ac iter ad Christum ostendant.

[i] *2. Corinth. 4. v. 3.* εἰ ἔστι κεκαλυμμένον τὸ εὐαγγέλιον ἡμῶν, ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις ἐστὶ κεκαλυμμένον.

Quinta. *Si* [i] *opertum est Euangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum,* ait Paulus. Fidelibus, ergo est apertum.

Respondeo, loqui Apostolum de cognitione, & fide in Christum. Dixerat enim discrimen inter vtrumque testamentum esse, quod prius mysteria redemptionis, non nisi figuris, & per velamen ostenderet, posterius verò palam & manifestè: Deinde subiungit si tamen nonnullis hæc mysteria sint operta, nasci quod prauis affectibus eos excæcauerit diabolus.

[k] *2. de doctrina 6. ad finem.*

Sexta, *magnificè, & salubriter* (inquit [k] *Aug.*) *spiritus sanctus ita scripturas modificauit, vt locis apertioribus fami occurreret: obscurioribus autem fastidia detergeret, nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.*

Respondeo, meritò Augustinum dixisse ferè, cum quædam inueniantur obscura, quæ nullibi explicãtur in scriptura sacra: vt maior pars Apocalypsis. Deinde admodum difficile est inuenire illum locum, qui alium explicat. Nam & de illo, qui aliis manifestus erit, ab aliis fortè dubitabitur. Nobis manifesta sunt, & clara hæc verba, [l] *Hoc est corpus meum.* Zuinglianis autem obscura.

[l] *Math. 26. v. 26.* τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.

Septima, ſumma totius ſcripturæ in decalogo, Symbolo, Oratione Dominica, & Sacramẽtis conſiſtit. At hæc omnia habent in ſcripturis teſtimonia clara. Igitur tota ſcriptura apertiſſima eſt.

Reſpondeo falſam eſſe minorem. Alioquin quomodo eſſent de quocumque articulo Symboli tot controuerſiæ, ſimiliter & de Sacramentis.

Octaua. *Apoſtoli* (inquit [m] Chryſoſto) *& prophetæ omnia contra fecerunt, manifeſta, claraque, quæ prodiderunt expoſuerunt nobis, veluti communes orbis doctores, vt per ſe quiſque diſcere poſſit ea, quæ dicuntur, à ſola lectione.* Item, [n] *omnia clara ſunt, & plana ex ſcripturis diuinis.*

[m] *Homil. 3. de Lazaro vbi oſtendit Philoſophos fuiſſe obſcurè loquutos, Apoſtolos contra.*

Reſpondeo, Chryſoſt. his vti amplificationibus ad excitandum teporem eorum qui poſſent cum fructu ſcripturas legere. Nam iiſdem in locis affirmat ſcripturas difficiles eſſe. In priori enim loco, paulò ante dixerat. *Quid igitur* (inquit) *ſi non intelligamus ea quæ continentur in libris? Maximè quidem etiamſi non intelligas illic recondita, tamen ex ipſa lectione multa naſcitur ſanctimonia.* Et infra teſtatur ſe loqui tantum de hiſtoria, cum dicit ſcripturas faciles. In poſteriori autem, poſt verba citata ſubdit. *Quæ eſt iſta obſcuritas? dic quæſo: an non hiſtoriæ ſunt? Noſtine quæ clara ſunt. quid de obſcuris rogas?*

[n] *Homil. 3. in 2. ad Theſſalonic. paulò ante finem.*

Nona in teſtamento veteri ſcriptura ſacra erat liber ſignatus, Iſaiæ [o] vigeſimo nono: at in nouo apertus Apocaly. [p] quinto. Quare Hierony. in [q] quartum Ezechielis hunc locum de facilitate ſcripturæ, ſicut alium Iſaiæ, de difficultate intellexit.

[o] *Verſ.* 11.
[p] *Verſ.* 8.
[q] *Paulo poſt initium tom.* 4.

Reſpõdeo, ſacrã ſcripturã ſub priori teſtamento fuiſſe ſignatũ librum, & quoad ſententias, & quoad aperta de Chriſto myſteria. Sub poſteriori verò, manere quidem ſignatũ non mediocri ex parte quantũ ad prius: eſſe tamẽ apertum

quantum ad posterius. Hierony. autem supra, non loqui de sententijs scripturæ, hinc liquet: quod Epistola ad [r] Paulinum dicat remanere adhuc velamen, non solum in facie Mosis, sed etiam Euangelistarum.

Decima, minus notum ex notiori probatur. Sed PP. suas sententias scripturis probarunt. Ergo illæ sunt Patrum commentarijs notiores.

Respondeo, [s] per notius debere probari minus notum, quoad notitiam veritatis rei, quæ in eo posita est vt quis intelligat, id quod dicitur, esse verum: non autem quoad verborum perspicuitatem & facilitatem.

Vndecima, Patres primitiuæ Ecclesiæ sine commentarijs scripturas legerunt: idemque fecerunt postea omnes alij veteres.

Respondeo, Patres qui immediatè Apostolos sequuti sunt, non habuisse commentaria scripta, sed viua, nimirum Apostolos ipsos, vel eorum discipulos vt [t] testatur de seipso Papias, & Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. Deinde cæperunt [v] alij ab istis edocti commentaria scribere, posteriores verò illa euoluere.

[r] *de institutione Monachi aliquot ante finem tom. 1.*

[s] *[Dici etiam potest PP. non probare suas sententias ex scripturis nisi ritè explicatis vel ex se satis manifestis.]*

[t] *apud Euseb. 3. histor. vltimo & Hier. de viris Illust. in Papiâ.*

[u] *vt Irenæ. & Iustinus apud Hiero. sup. in Ioanne.*

[a] *de hâc scripserunt Ioan. Driedo. 2. cap. 3. de Eccl. dogmat. Ioan. Cochlæus lib. de script. & Eccl. authoritate Cardinal. warmiensis lib. 2. & 3. contra prolegom. Brentij Petrus à Soto in defensione suæ confess. contra ead. proleg. p. 2. & 3. Martinus Peresius de tradit. ass. 2. 3. 4. 5. Mich. Medina 7. de recta fide in Deum, Canus 2. de locis 6. 7. 8.*

[b] *ex 1. Corinth. 10.*

Proponitur [a] quæstio de Iudice controuersiarum, & simul differitur de sensibus scripturarum.

CAP. III.

SACRA scriptura sæpenumero [b] duos cõtinet sensus literalem & spiritualem. Prior est, quẽ verba præ se ferunt immediatè: posterior, qui alio refertur quàm verba immediate significent. Literalis duplex est, simplex videlicet, (qui consistit

in proprietate verborum) atque [c] figuratus (quo transferuntur verba à propriâ significatione in alienam) & huius tot genera ſunt, quot figurarum.

Spiritualis autem diuiditur à recentioribus in Allegoricum, Tropologicum, & Anagogicum. Primum vocant, cum verba ſcripturæ præter literatum ſenſum, aliquid [d] denotant, ad hriſtum, vel eius ſpectans Eccleſiam : ſecundum, cum [e] aliquid refertur ad mores, tertium cum [f] refertur ad ſignificandam vitam æternam. Verum eſt tamen hos omnes ſenſus interdum Allegoricos vocari à [g] Patribus. Porrò [h] literalis, inuenitur in omni ſententia vtriuſque Teſtamenti. Spiritualis verò cuiuſcumque generis inuenitur quidem in Teſtamento [i] vtroque, non tamen vbique. Nam (verbi gratia) Decalogi præcepta non habent niſi literalem ſenſum.

Cum ergo ex ſolo literali ſenſu peti debeant firma argumenta, & duplici de cauſa ex huiuſmodi ſenſu oriatur difficultas, ſcilicet ex ambiguitate verborum, & proprietate, ſit autem intelligenda ſcriptura eo ſpiritu quo facta eſt, nimirum ſpiritu ſancto, controuerſia tota eſt vbi ſit, ac inueniatur ſpiritus ille.

Catholici contendunt hunc ſpiritum certò in Eccleſia inueniri, id eſt legitimo concilio, ſcilicet vnâ cum ſummo Pontifice, etiamſi quibuſdam priuatis aliquando donetur.

Hæretici verò huiuſce temporis vnumquemque volunt eſſe iudicem de ſenſu ſcripturæ, ſiue ſuum ſequendo ſpiritum, ſi donũ interpretandi habeat, ſiue alienum cui hoc donum competat.

[c] *de quo D. Aug. 3. de doctr.*

[d] *vt Galat. 4. quo per Abrahã* DEVS, *per Iſaac nouum Teſtam. & populus fidelis ſignificatur.*

[e] *Deuter. 25. v. 4. Non ligabis os bouis terentis, &c. quod ad prædicatores retulit, Apol. 1. Cor. 9. v. 9.*

[f] *Pſal. 94. v. 11. Quibus iurauí in ira mea, ſi introibũt, &c. quod ad literã intelligitur de terra promiſſ. Paul. autem Hebr. 4. de vita æterna.*

[g] *vt Baſil. initio Homil. 9. Exam. & Auguſt. de vtilitate cred. ad init. tom. 6.*

[h] *quem non eſt improbabile interdum inueniri multiplicem in ead. ſententia, vt docet Aug. 12. confeſſ. 24. 3. de doctr. 27. & 11. Ciuit. 19.*

[i] *de veteri nemo dubitat. In nouo Auguſtin. explicat Allegor. tract. 122. capturã piſcium Luc. 5. Anagogice verò eam quæ 12. Ioan. Chriſtus autem ipſe tropologicè lotionem pedum Apoſtol. Ioan. 13.*

[k] *Luther. præfatione aſſ. ſuorum articul. Brent. in Confeſſ. witemb. cap. de Sacra ſcript. Caluin. 4. Inſtit. 9. §. 8. 12. & 13.*

Testimonia ex veteri testamento pro Catholicorum sententia.

CAP. IIII.

PRIMVM habetur Exodi decimo octauo in quo Moyses (qui fuit verè pontifex, quamuis extraordinarius, cum [b] exercuerit omnia sacerdotis munera, & eum Sacerdotē [c] vocauerit Dauid) tanquam princeps & caput illius Ecclesiæ, iudicat de omni dubio in lege exorto. cumque constituisset [d] ibidem magistratus minores, iudicium tamen circa religionis dubia sibi [e] reseruauit.

Secundum Deuteron. decimo septimo, [f] *Si difficile, atque ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, &c. Surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad iudicem, &c. & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus.*

Respondet Brentius præceptum esse conditionale, siquidem additur, [g] *& docuerint iuxta legem eius.*

Respondeo illud, *& docuerint, &c.* non nisi in vulgata editione haberi, non recepta Lutheranis: nec id conditionem sonat, sed assertionem: vult enim securum reddere populum Dominus de sententia Sacerdotis, nimirum quod iudicauerit secundum Domini legem: Aliàs dubius semper remansisset populus: num scilicet iudicasset Sacerdos secundum Dei legem, nec ne. Et si spectasset ad populum discernere num Iudex iudicasset secundum legem Domini, non erat opus, vt à Iudice iudicium peteret.

Sed

[a] *vers.* 13.14.15.16.
[b] *Exod.* 29. & *Leuit.* 8.
[c] *Psal.* 98 *vers.* 6. *nisi enim fuisset verè Sacerdos, sed tantum ideo dictus Sacerdos quia vir primarius, poterat etiã dici Samuel ibid. Sacerdos.*
[d] *Vers.* 25.
[e] *Vers.* 19.24.26.
[f] *Vers.* 8.
[g] *Vers.* 10.

Sed inſtat Brentius, non ſolum ad Sacerdotem ſed etiam ad iudicem politicum mitti. Nec in loco citato de religionis, ſed de cauſis politicis agi.

Reſpondeo ad ſacerdotem ſolùm mandari iudicium, ad politicum iudicem executionem iudicij, iuxta illud: [h] *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio.* [i] &c. Decretum autem comprehendit [k] omnia dubia in lege exorta: & maximè fuit ſtatutum propter [l] cultum diuinum.

Tertium teſtimonium Eccleſiaſtæ duodecimo, *verba Sapientum ſicut ſtimuli, & ſicut claui in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à paſtore vno. His amplius fili mi ne requiras.* Quæ ſi dicta ſunt de veteris teſtamenti ſacerdote, quanto magis intelligi debent de ſacerdote teſtamenti noui?

Quartum Aggæi ſecundo. [n] *Hæc dicit Dominus Deus interroga ſacerdotes legem.* Et Malach. ſecundo. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.*

Vltimum ſecundo Paralipom. [p] *Amarias ſacerdos, & pontifex veſter, in iis quæ pertinent ad Deum præſidebit.*

[h] *verſ. 12.*
[i] *Qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo: ex Decreto iudicis morietur homo ille.*
[k] *Inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram, & non leprã.*
[l] *vt pat. ex princip. cap.*
[m] *verſ. 11.*
[n] *verſ. 12.*
[o] *verſ. 7.*
[p] *19. v. 11. ad finem quo loquitur Ioſaphat Rex Iuda Leuitis & ſacerdotibus.*

Idem probatur ex Teſtamento nouo.

CAP. V.

PRIMVM ex Matth. decimo ſexto [a] *Tibi dabo claues regni cœlorum &c.* in quo quidem loco cum vniuerſalis contineatur promiſſio, his verbis, [b] *Quodcumque ſolueris:* ſine dubio per claues, debet intelligi poteſtas ſoluendi,

[a] *verſ. 19.*
[b] *ibid.*

quodcumque impedimentum in terris, ab ingreſſu regni cælorum,& proinde ſoluendi controuerſias de lege,& ſcripturis.

Secundò. *Si* [c] *Eccleſiam non audierit, ſit tibi vt Ethnicus, & Publicanus.* Hîc quidem de priuatis iniuriis agitur, ſed a fortiori debet intelligi de iniuriis Deo,& Eccleſiæ illatis,ſicut eſt hæreſis. Non poteſt autem iniuria huiuſmodi ad vniuerſos fideles deferri. Igitur nomine Eccleſiæ vel intelligitur Prælatus, vel Prælatorum congregatio.

Tertio, Matthæi vigeſimo tertio [d] *ſuper cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ, &c. quæcumque dixerint vobis ſeruate.* Quod autem de cathedra Moyſi dicit Dominus, à fortiori de cathedrâ Petri intelligi debere docent veteres, maxime Auguſtinus epiſtola 165 [e].

Quartò. Ioannis vltimo. [f] *Paſce oues meas.* id eſt, omnes Chriſtianos rationales oues, qui proinde doctrina paſcantur. At quod hîc dicitur Petro, ad eius ſucceſſores pertinet. Nec enim voluit Chriſtus ad annos tantùm viginti quinque ſuæ prouidere Eccleſiæ. [h] Non poteſt verò ſummus Pontifex concionibus paſcere vniuerſum orbem,nec etiam tenetur commẽtariis, cum id nec quidem præſtiterint ſancti Pontifices. Ergo debet paſcere,iudicando quid ſit vel non ſit de fide tenendum.

Quinto. [i] *Rogaui pro te Petre vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* ex hocloco Pontificem Romanum,ex cathedra docentem errare non poſſe deducunt Bernard. [k] Lucius primus, [l] Fœlix, [m] Leo, & alij [n] PP. permulti. Quod ſi errare nequit. Er-

[c] *Matth.18.v.17.* ἐὰν τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης.

[d] *v.2.* ἐπὶ τῆς μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ φαρισαῖοι. *v.3.* πάντα οὖν ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε.

[e] *aliquot poſt initium.*

[f] *v 17.*

[g] *iuxta illud Hier. 3.v.15. Dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ.*

[h] *Luc.22.v.32.* ἐγὼ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σοῦ, καὶ σὺ ποτὲ ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.

[i] *Epiſt. 190.*

[k] *Epiſt. 1. ad epiſc. Hiſpaniæ, & Galliæ.* [l] *Epiſt.ad Benignum.*

[m] *Ser.3 de Aſſumptione ſuâ.* [n] *Leo 9 ep.ad Petrum Antioch. Patriarch. Agatho ep.ad Conſt.Imper.lecta in 6.Synod. act. 4. & approbata act.8.à toto Concilio Innocent.3 tit.41.de Baptiſmo & eius effectu cap.3. Maiores noſtræ, &c.*

go eius iudicio acquiescendum est.

Sexto, Actorum decimoquinto, quo remittitur ad Concilium Hierosolym. exorta de fide controuersia, non autem ad priuatum spiritum.

Septimò ad Galat. 2. [o]: quo docet Paulus se Hierosolymam ascendisse, vt suum conferret Euangelium cum Petro, Iacobo, & Ioanne, ne in vanum curreret, aut cucurisset. Quem locum explicantes [p] Tertull. [q] Hierony. [r] August. docent Ecclesiam non fuisse creditura Paulo, nisi Euangelium suum à Petro confirmatum fuisset.

Octauò primæ Corinth. [s] *Alij datur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij interpretatio sermonum.* Ergo non omnes habent donum interpretandi. At sine huiusmodi dono nequit intelligi scriptura: non enim propriâ fit interpretatione secundæ Petri [t] primo, quis autem habeat illud præter Ecclesiam nescimus: vt etiam [u] Lutherus fatetur. Ecclesia verò non loquitur nisi per suos pastores, ac doctores, maximè in Concilio generali congregatos, igitur ad illorum spectat iudicium scripturas interpretari. Quamuis enim vnicuique dixerit Christus, [x] Petite & dabitur vobis ac similia: hoc tamen intelligendum est de spiritu fidei, & charitatis, non [y] autem de interpretationis dono. Et quamuis intelligeretur, [z] quis scit num rectè petat? Quare & Lutherani, & Anabaptistæ & Caluinistæ huiusmodi donum petunt, nec tamen inter se sibi consentiunt.

[o] *Vers. 2.*

[p] *4. in pagina post initium. Propterea* (inquit) *Hierosoly. ascendit ad cognoscendos Apostolos, & consultandos ne fortè in vacuum cucurisset, id est, ne non secundum illos credidisset, & non secundum illos Euangelizaret.*

[q] *ep. 89. longè ante medium.*

[r] *lib. 28. contra Faustum 4. tom. 6.*

[s] *cap. 12. vers. 8.* ᾧ μὲν γὰρ διὰ τοῦ πνεύματος δίδοται λόγος σοφίας, ἄλλῳ δὲ λόγος γνώσεως κατὰ τὸ αὐτὸ πνεῦμα, &c. *v. 9.* ἄλλῳ δὲ ἐνεργήματα δυνάμεων.

[t] *Vers. 20.*

[u] *lib. de potestate Papæ. De nullo priuato homine* (inquit) *certi sumus habeat necne reuelationem Patris: Ecclesia autem ipsa est, de quâ dubitare non licet.*

[x] *Luc. 11. v. 9.* αἰτεῖτε καὶ δοθήσεται ὑμῖν. *item v. 13. & Iacobi 1. v. 5.*

[y] *Nam vt docet August. tract. 73. in Ioan. post medium, & 81. paulò ante finem, & 102. initio non impetrat oratio infallibiliter, nisi quod est necessarium, vel vtile ad salutem, donum vero interpret. non est semper vtile ad salutem.*

[z] *Petitis & non accipitis* (inquit Iacob. 4. v. 3.) *quod malè petatis.*

[a] 4. v. 1. Ἀγαπητοὶ μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύετε· ἀλλὰ δοκιμάζετε τὰ πνεύματα.

Nono, primæ [a] Ioannis, Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus. Si ergo ſunt ſpiritus probandi, & certè priuatorum (ſi enim de omnibus intelligeretur vniuerſaliter, nulli eſſent qui probare poſſent) nequeunt & ipſi probare ac eſſe iudices. Reſtat igitur iudicium iſtud ſpectare ad Eccleſiæ paſtores.

Idem probatur ex Eccleſiæ conſuetudine.

CAP. VI.

IN omnibus ſæculis exorta ſunt noua dubia in Eccleſia, & ſemper terminata iudicio Romani Pontificis tunc in cathedra ſedentis, & epiſcoporum illiuſce temporis.

Primò [a] ſæculo, orta quæſtio de legalibus quibuſdam cæremoniis antiquis, ſoluta fuit [b] in Concilio Hieroſolym. à Petro & Apoſtolis.

Secundo, nata eſt [c] controuerſia de celebratione Paſchæ, cuius rei gratiâ fuêre celebrata plurima Concilia, & tandem à Victore Pontifice Romano, ita fuit quæſtio determinata, vt poſtea pro [d] hæreticis habiti ſint qui non obedierunt Pontif. Rom.

Tertio, hæreſis [e] Nouatianorum, damnata [f] à Cornelio Papa, & hæreſis de anabaptiſmate, damnata [g] à Stephano Cornelij ſucceſſore.

[a] *quod extenditur vſque ad annum centeſimum à Chriſto.*

[b] *Actor. 15.*

[c] *volentibus quibuſdam Paſcha celebrare cum Iudæis 14. die primi Menſis, ſiue Dominicus fuiſſet, ſiue non: alijs autem tantum Dominico die: vide Euſeb. 5. cap. 22. 23. & 24.*

[d] *dictis Quartodecimanis ſiue Teſſeraſcædecatitis, apud Auguſt. de hæreſ. hæreſ. 29. tom. 6.*

[e] *qui negabant Eccleſiam poſſe abſoluere à peccatis eos qui poſt baptiſmum lapſi fuerant.*

[f] *apud Euſeb. 6. cap. 37. in Ruffino 33.*

[g] *cuius decreti meminit Cypr. epiſt. ad Pompeium initio. & Auguſt. 5. de Baptiſmo cap. 23. initio.*

Quarto, Arianorum hæreſis à [h] Nicæno primo condemnata imperatoraderat quidem, ſed in nulla re iudicium egit. Eodem ſæculo Concilium [i] Conſtantinopolit. damnauit Macedonij hæreſim, [k] celebratum iuſſu Damaſi Papæ. Imperator equidem literas de celebrando Concilio miſit ad Epiſcopos, ſed nullo modò, vt Iudex ſe habuit.

Quinto, Neſtorij, à [l] Concilio Epheſino primo. Et Pelagianorum à [m] Pontificibus Innocent. & Zepherino.

Sexto, multæ fuerunt hæreſes damnatæ in quinta ſynodo.

Septimo, Monothelitæ in [n] ſextâ generali ſynodo.

Octauo, Iconomachi, in ſeptimâ ſynodo.

Nono, controuerſiæ quædã Eccleſiaſticæ definitæ fuerunt in [o] ſynodo octauâ.

Decimo, nulla eſt exorta hæreſis, verum maximè viguit Græcorum ſchiſma, de cuius damnatione poſtea dicetur.

Vndecimo, hæreſim Berangarij damnauit [p] Leo nouus, & [q] Nicolaus ſecundus.

Duodecimo, error Abaillardi, ab [r] Innocentio ſecundo: & ab [s] Eugenio tertio Gilberti Porretani.

Decimo tertio, Ioachimi Abbatis hæreſis ab Innocentio tertio, in Concilio Lateranenſi, & poſtea Græcorum à Gregorio [t] decimo.

[h] *vt patet ex tom. 1. Concil. Et lib. 1. hiſt. Eccl. Theodoret. nominatim cap. 7. ac Socrat. 1 cap. 5.*

[i] *confirmatum à Damaſo teſte, Photio lib. de 7. Synod.*

[k] *apud Theod. 5. hiſtor. 9. hæc quidem in impreſſione Lugdun. 1587. Bellarm. at Ingolſtadienſi 1599. & 1601. non habentur.*

[l] *Præſide Cyrillo nomine Cæleſtini Papæ teſte Euagrio 1. cap. 4. hiſtor. & paulo poſt hæreſ. Eutychetis in Conc. Chalcedon. præſid. Legatis Leonis teſte eod. Euagr. 2. cap. 4.*

[m] *teſte Aug. 1. Retract. 50. tom. 1.*

[n] *cui & duabus ſequentibus R. Pontif. Legati præfuerunt, Vide Tom. Concil. in hâc ſubſcripſit quidem imperator ſed tantum conſentiendo non iudicando.*

[o] *ſubſcripſit Imperat. ſed tantum in ſignum conſenſus.*

[p] *in Concil. Wercellenſi.*

[q] *in Concil. Rom. vt referunt Lanfrancus, & Guitmundus lib. 1. contra Berengarium.*

[r] *teſte Bernard. epiſt. 194.*

[s] *teſte Bernard. ſerm. 8. in Cantic.*

[t] *in Concil. Lugdunenſi vnde extat cap. Fideli in 6. de S. Trinit. & fide Cathol.*

Decimo quarto Begardorum errores in Cõcilio Vienneñsi à Clemente [u] quinto.

Decimo quinto Ioannis vvicleſi, & Ioannis Huſs in Conſtantienſi Concilio ſub Martino quinto, & Græcorum errores in Florentino ſub Eugenio quarto. Denique hoc noſtro ſæculo, Lutheranorum in [x] Concilio Tridentino. In quibus omnibus condemnationibus nulla inuenitur laicorum ſubſcriptio vt iudicum: ſed ſi aliqua, tantum, vt præbentium aſſenſum decretis paſtorum.

[u] *Vnde extat Clement. Ad noſtrum, de hæreticis.*

[x] *Confirmatum à Pio. 4.*

Idem probatur teſtimoniis Pontificum, & Imperatorum.

CAP. VII.

INter Põtifices hac de re teſtimonium ferentes habemus Damaſum Epiſtola tertia ad Stephanum, Innocentium primum Epiſtolis ad concil. [a] Carth. & [b] Mileuit. & Leonẽ primum Epiſt. octuageſima [c] quarta. Inter Imperatos, [d] Aurelianus gentilis, cũ exorta eſſet quæſtio inter Catholicos, & Paulum Samoſatenũ de Eccleſiæ domo, Imperator reſpondit illis aſcribendam eſſe quibus aſcribendam ſentirent Italiæ Epiſcopi, & Epiſc. Rom.

Conſtantinus verò abſolutâ Nicæna Synodo omnibus ſcripſit Eccleſijs [e] Epiſtolam in cuius fine hæc ipſa habentur, *Quidquid in ſanctis Epiſcoporum Concilijs decernitur, id vniuerſum diuinæ voluntati debet attribui.*

[f] Gratianus verò, ad Epiſcopos remiſit controuerſiarum iudicium.

Theodoſius autem ad Epheſ. Synod. *Illicitum eſt* (inquit) *eum qui non ſit ex ordine ſanctiſſi-*

[a] *Quæ eſt 91. inter epiſt. B. Aug. to. 2.*

[b] *93. aliquot poſt initium.*

[c] *Et epiſt. 89. Gelaſius ad Epiſc. Dardaniæ & Greg. 4. epiſc. 96*

[d] *apud Euſeb. 7. hiſt. 24. ad finem.*

[e] *apud Euſeb. lib. 3. de vita Conſtantini.*

[f] *in Epiſt. ad Epiſc. Aquileienſem.*

morum Episcoporũ, Ecclesiasticis immiscerí tractatibus.

Martianus, [g] *Iniuriam* (inquit) *facit iudicio sanctissimæ Synodi, qui semel iudicata reuoluere, & disputare contendat.*

Valentinianus, [h] *Mihi* (inquit) *qui sum in sorte plebis, fas non est talia curiosus perscrutari, Sacerdotes, quibus ista curæ sunt, inter scipsos quocumque voluerint loco conueniant.*

Denique Basilius [i] in octaua Synodo: imo & Theodoricus Arianus, in quartâ Synodo, sub Symmacho.

[g] *l. Nemo C. de S. Trinitate, & fide Cathol.*

[h] *Semor, apud Sozom. 6. cap. 7.*

[i] *De vobis* (inquit) *laicis tam qui in dignitatibus, quàm qui absolutè versamini quid amplius dicam non habeo quam quod vobis nullomodo licet de Ecclesiasticis causis sermonem monere neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & vniuersali Synodo aduersari.*

Idem probatur Patrum testimonijs.

CAP. VIII.

IRENAEVS libro tertio [a] docet non posse ex solis scripturis controuersias finiri: & ad Pontificem Romanum omnes fideles conuenire debere.

Athanas. [c] *Quando* (inquit) *auditum est à condito æuo quod iudicium Ecclesiæ authoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quãdo vnquam pro iudicio hoc habitum?*

Basilius Epist. [d] quinquagesima secunda. Nazianz. *Vos* (inquit) *oues nolite pascere pastores, &c. Nolite iudicare iudices.* Item [f] Chrysostom. [g] Cyrillus atque [h] Damascenus ex Græcis.

[a] *cap. 2.*

[b] *cap. 3.*

[c] *Epist. ad solitariã vitam agentes duob. aut 3. foliis post med.* ὡστε ἐκ τοῦ ἀϊδίου οὐκόυδεν τοιοῦτο, ὡστε κρίσις ἐκκλησίας παρὰ τοῦ βασιλέως ἔχειν τὸ κῦρος, οὐδαμῶς ἐγνώσθη τοῦτο τὸ κρίμα.

[d] *ad Athanas. quâ scribit videri sibi bonum vt scriberetur ad R. Pontificem, quatenus ipsius authoritate soluerentur Ariminensis Concil. Acta.*

[f] *Hom. 87. in Ioan. Fratr.* (inquit loquẽs de Petro) *ei curam committit, & circa med. Cum magna Christus Petro communicasset orbis terrarum curam demandasset, &c.*

[g] *in Thesauro vt citatur ad D Thom. epist. de erroribus Græcorum.*

[h] *ad finem 1. oration. pro imaginibus.*

Ex Latinis Tertull. lib. de [i] præscript. Cypr. [k] *Nec* (inquit) *aliunde Hæreses obortæ sunt, aut natæ sunt Schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus Ecclesiæ ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.*

Ambros. Epist. trigesima [l] secunda. [m] Hieron. Epistola ad Damasum S. Martinus apud [n] Sulpitium. August. [o] *Ego* (inquit) *Euangelicæ veritati non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoueret authoritas.*

Caluinus respondet loqui August. de quadam persuasione priuata fidelium. Sed ipsemet August. paulo infra: *Quibus* (inquit) *præcipientibus credidi, his iubentibus tibi non credam.* quibus verbis non suasionem, [p] sed imperium Ecclesiæ tribuit. Habemus præterea dumtaxat [q] Prosper. Vincent. [r] Lyrinens. [s] Gregor. [t] Anselm. [v] Bernardum.

[i] *Quo docet non debere ex scripturis disputari cum hæretic. quia vera scriptur. intelligentia est Cathol. Ecclesiæ: prius debere constare quæ sit vera Ecclesiæ doctrina. hoc autem melius sciri non posse, quam in Eccles. Apostolicis quarum præcipua est Roma.*

[k] *1. epist. 3. fol. vel circa post initium.*

[l] *Si scripturarum seriem diuinarum vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causa fidei episcopos solere de Imperatoribus Christian. non Imperatores de Episcopis iudicare? hæc ille post initium.*

[m] *Epist. 57. ad Damasc. de nomine Hyspost.*

[n] *2. Histor. sacræ.* [o] *lib. contra epist. fundamenti cap. 5. & 1. contra Cresc. 33 tom. 7.* [p] [*at Imperium in Ecclesia in rebus Ecclesiasticis non est penes priuatos sed Eccles. Prælatos.*]

[q] *lib. contra collato. in fine, in quo non aliter probat Pelagianos fuisse hæretic. quam quia fuere damnati ab Innocent. Zozimo, Bonifac. Cælesti.*

[r] *in Commonitorio.* [s] *Epist. 25. libri 1. ad Gregor. Maxim.*

[t] *lib. de Incarnati verbi cap. 1.* [v] *Epist. 191. & 189.*

Idem ex ratione probatur.

CAP. IX.

RATIO hac de re potiſſima eſt, quod Deus præſciuerit exorituras in Eccleſiâ ſuâ cõtrouerſias circa fidẽ, & proinde debuiſſe de iudice ad eas ſoluendas prouidere. At iſte Iudex nequit eſſe ſcriptura, quia hæc recipit varios ſenſus, etiam à linguæ peritis, nec ipſa dicere poteſt quis ſit verus: maximè cum de ipſa interpretatione etiam quæſtio ſit. Quare in omni Republica bene ordinata lex, & iudex ſunt res diſtinctæ. Neque huiuſmodi iudex, erit reuelans ſpiritus priuatus. Iudex enim videri debet ab vtraque parte, at ſpiritus ille nequit ab aliâ parte videri. Deinde nullus eſt in quacumque Republicâ humanâ, qui non vigeat aliquo naturali lumine, & tamen non licet vnicuique pro arbitrio leges interpretari: quanto minus id licitum erit in Republicâ Chriſtiana, & ſupernaturali.

Denique Iudex vim debet coactiuam habere, quod nulli priuato competit. Nec etiam erit ſæcularis princeps. Nihil enim vltra ſuas cauſas agere poteſt. At principatus ſæcularis cauſæ omnes naturales ſunt. Efficiens eſt [a] electio populi. Finalis, pax temporalis: [materialem autem ad formalem eſſe naturales, per ſe ſatis conſtat.] At Eccleſiaſtici principatus efficiens eſt Deus immediatè: finalis æterna beatitudo, vtraque ſupernaturalis.

[a] *Nec obſtat illud Apoſt. Roman. 13. v. 1.* Non eſt poteſtas niſi à Deo. *Hoc enim eſt intelligendum mediatè vel immediatè, mediatè autem, non immediatè, reges ſunt à Deo communiter.*

Soluuntur obiectiones.

CAP. X.

PRIMA obiectio Isaiæ quinquagesimo [a] quarto. *Dabo omnes filios tuos doctos à Domino.*

Respondeo Isaiam non loqui de spiritu priuatè scripturas reuelante: sed [b] vel de prædicatione Euangelij facta per Christũ: vel de [c] gratia spiritus sancti, quâ homo interius mouetur ad credendum, & amandum, quæ proponuntur à Pastoribus Ecclesię. Atque in hunc sensum protulit hoc testimonium Christus ipse Ioan. sexto. [d]

Secunda Hieremiæ trigesimo primo. [e] *Dabo legem, &c. Et* [f] *non docebit vltra vir proximum suum dicens, Cognosce Dominum, omnes enim scient me. &c.*

Respondeo [g] cum Augustino, illa verba, *Dabo legem meam, &c.* Significare fidem operantem per charitatem: illis autem. *Et non docebit, &c.* Importari præmia charitatis, scilicet beatitudinem, vel si verba Hieremiæ dumtaxat, sint vbique accipienda de hoc tempore: non esse de mysteriis scripturarum absconditis intelligenda, sed de vnius veri Dei cognitione: quæ cum esset idolorum cultu, etiam inter Iudæos inculta, & obscura: tempore noui Testamenti ita floret, ac viget, vt etiam Turcæ vnum Deum colant.

Tertia Matth. vigesimo tertio. [h] *Vos autem nolite vocari Rabbi, vnus est enim magister vester Christus.* Igitur solo doctore interno contenti esse debemus.

Respondeo non prohiberi à Domino nomen

[a] *vers.* 13.

[b] *Vt sensus sit, populum fidelem non docebo per Prophetas, sed per meipsum: ita Cyrill. in hunc locum.*

[c] *ita Explicat August. lib. de gratia Christi cap.* 13. & 14. *to.* 7.

[d] *vers.* 45.

[e] *vers.* 33.

[f] *vers.* 34.

[g] *lib. de Spiritu & litera cap.* 21. 22. 24. *tom.* 3. *aliàs* 7.

[h] *v.* 8. ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε ῥαββεί. εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς ὁ χριστός.

& officium magiſtri: cum [1] Apoſtolus ſe magiſtrum gentium appellauerit: [k] & ibidem dixerit Chriſtus. *Nolite vocare Patrem, &c.* Et tamen quis dicat prohiberi nomen, & officium Patris? Sed prohibetur ambitio honoris in magiſtro, & nimius erga parentes affectus. Reprehendit ſiquidem Scribas, & Phariſæos quod primas amarent cathedras, & ſalutari ab hominibus Rabbi.

[1] *2. ad Timoth. 1. verſ. 11.*

[k] *verſ. 9.*

Quarta Ioannis quinto. [l] *Ego teſtimonium ab homine non accipio.* Igitur nec verbum Dei ſcriptum accipit teſtimonium à verbo hominis.

[l] *Verſ. 34.* ἐγὼ δὲ παρὰ ἀνθρώπου τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω.

Reſpondeo nec Chriſtum, nec ſcripturam ſacram egere quoad ſe teſtimonio hominum: (ſiue enim intelligatur ſcriptura, ſiue non, ſemper in ſe veriſſima eſt.) Sed egere propter nos, teſtimonio Eccleſiæ: alioquin non eſſemus certi, qui eſſent canonici libri, nec quæ ſit eorum intelligentia germana.

Quinta Ioan. ſeptimo. [m] *Si quis voluerit voluntatem eius facere,* (qui miſit me) *cognoſcet de doctrina mea, vtrum ex Deo ſit.*

[m] *Verſ. 17.* ἐάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ (τοῦ πέμψαντός με) ποιεῖν, γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς, πότερον ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν.

Reſpondeo, Chriſtum noluiſſe dicere omnes probos per ſe intelligere poſſe omnes ſcripturas: ſed quibuſdam carere impedimentis, vt ambitione, auaritia, quibus alij irretiti, nec per ſe nec per alios credere valent, iuxta illud Ioannis quinto. [n] *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?*

[n] *Verſ. 44.* πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, δόξαν παρὰ ἀλλήλων λαμβάνοντες.

Sexta Ioannis decimo: [o] *Oues meæ vocẽ meam audiunt, & ſequuntur me.*

[o] *Verſ. 27.* τὰ πρόβατα τὰ ἐμὰ τῆς φωνῆς μου ἀκούει, κἀγὼ γινώσκω αὐτὰ, καὶ ἀκολουθοῦσί μοι.

Reſpondeo, hic de prædeſtinatis agi (vt [p] Auguſtinus exponit) qui ante mortem reuerâ audiunt vocem vocantis Dei, & in bono moriuntur ſtatu. Et quamuis de ſcripturarum intelligentiâ ſermo fieret: reſponderi poſſet Chriſtum multis modis loqui ſuis ouibus, ſcilicet, per ſcripturam, per inſpirationem internam, & per os [q] vicariorum ſuorum. Nec enim illos

[p] *tract. 48. in Ioannem.*

[q] *de quibus ait, Luc. 10. verſ. 16. Qui vos audit me audit.*

excluſit per hanc ſententiam, ſed tantum hoſtes: dixerat enim [r] ibidem, *Alienum autem non ſequuntur.*

Septima, *Beroenſes ſcrutabantur ſcripturas, an ita ſe haberent quæ Paulus prædicabat.* Multo ergo magis licebit Pontificum, & Conciliorum examinare verba.

/ Reſpondeo, Beroenſes tunc nondum fuiſſe inter Chriſtianos aſcriptos, & proinde nec tenebantur ſine miraculis aut probali ratione credere, quæ dicebantur à Paulo. At regeneratis per baptiſma non licet de Eccleſiâ eorum matre dubitare, quæ errare non poteſt.

Octaua Rom. duodecimo, [t] *Habentes autem donationes, &c. ſiue Prophetiam ſecundum rationem* (in Græco ἀναλογίαν id eſt proportionem) *fidei.* Igitur ſcripturæ interpretatio ei competit qui magis abundat fide, & non Concilio, aut Papæ.

Reſpondeo Papam, & Concilium magis abūdare fide, quam priuatorum vllus. Illi enim vt ſic, nequeunt errare in fide: at quique priuatus poteſt. Deinde per prophetiam [v] non intelligitur niſi vaticinandi donum. Denique quidquid ſit, non debent iungi illa, *ſecundum rationem fidei*, cum verbo, *habentes*, ſed cum ſubintellecto *adminiſtremus*: in hunc modum, *ſiue Prophetiam ſecundum rationem fidei adminiſtremus.* Vult enim Apoſtolus dicere nihil eſſe interpretandum, aut vaticinandum contra fidem. In hoc ſiquidem loco, Apoſtolus exponit vſum gratiarum gratis datarum.

Nona, *ſpiritualis* [x] *autem iudicat omnia, & ipſe à nemine Iudicatur.*

Reſpondeo, nos non negare quin in Eccleſia ſint, & fuerint qui rectè interpretarentur ſcripturas, & de omnibus, id eſt, diuinis, atque terrenis iudicarent: affirmamus tamen ad eos non pertinere definitiuū de ſenſu ſcripturæ iudicium. Tum quia non ſumus certi certitudine

[r] *Verſ. 5.* ἀλλοτρίῳ δὲ ὁ μὴ ἀκολουθήσωσιν.
[s] *Act. 17. v. 11.*

[t] *Verſ. 6.* ἔχοντες δὲ χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν, διάφορα· εἴτε προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως.
[u] *vt exponunt Ambroſ. Theodoretus, Theophilactus, Thomas, & alij hoc loco & Chriſoſtomus in Corinth. 12. orat. 29. poſt init. aliquot, tom. 4.*

[x] *1. Corinth. 2. v. 15.* ὁ δὲ πνευματικὸς ἀνακρίνει μὲν πάντα, αὐτὸς δὲ ὑπ' οὐδενὸς ἀνακρίνεται.

fidei, qui sint illi spirituales, sicut certi sumus de ineffabili iudicio Papæ, atque Concilij legitimi: tum quia contingit etiam huiusmodi spirituales non semper illustrari, vt patet de [y] Eliſæo.

Decima loquens Apostolus de dono interpretandi & alijs donis. [z] *Hæc omnia* (inquit) *operatur vnus, & idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Igitur non est huiusmodi donum alligatum Papæ, vel Concilio. Deinde sæpè Deus omissis Pontificibus excitauit Prophetas ex populo, vt [a] Amos & [b] Delboram.

Respondeo, loqui Apostolum de hominibus priuatis, ac velle dicere, non omnibus dari donum interpretandi: at non [c] sequitur non conferri Papæ, atque Concilio. Priuilegia autem paucorum, legem non faciunt: alioquin etiam concludendum esset omnes asinas loqui debere, quia loquuta est Asina [d] Balaam. Deinde etsi reuelationes nouæ non sint Pontificibus alligatæ, authentica tamen scripturæ & doctrinæ acceptæ interpretatio ad solos Pontifices spectat, & spectauit semper, vt iam probatum est.

Vndecima, [e] *Omnia probate* (inquit Apost.) *quod bonum est tenete.* Item, *Probate Spiritus si ex Deo sunt*: inquit [f] *Ioannes.*

Respondeo, Paulum, & Ioannem ad eos sermonem dirigere, ad quos spectat iudicium in [g] Ecclesiâ. Deinde in vtroque loco agitur de doctrinâ dubiâ. At Ecclesiæ doctrina est omninò certa, & bona: hæreticorum verò certissimè mala: & proinde neutra dubia.

Duodecima [h] *Non habetis necesse vt aliquis doceat vos, sed vnctio docet vos de omnibus.*

Respondeo, nihil aliud velle hoc in loco Ioannem, quam mouere fideles ne falsis Apostolis aures præbeant, quod non sit necesse vnctos à spiritu sancto quique per Euangelij præ-

[y] 4. *Reg.* 4. *v.* 27.

[z] 1. *Cor.* 12. *v.* 11. πάντα τὰυτα ἐνεργεῖ τὸ ἕν, καὶ αὐτὸ πνεῦμα, διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ καθὼς βούλεται.

[a] *Amos* 1. *v.* 1. & *cap.* 7. *v.* 14. & 15.

[b] *Iudic.* 4.

[c] *Alia est enim ratio Concilij ac Pontificis alia priuatorũ.*

[d] *Numeror.* 22. *v.* 28. & 30.

[e] 1. *Thessalon.* 5. *v.* 19. πάντα δοκιμάζοντες, τὸ καλὸν κατέχετε.

[f] 1. *Ioan.* 4. *vers.* 1. δοκιμάζετε τὰ πνεύματα, εἰ ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστιν.

[g] *Sicut si scribatur ad aliquam Academiam vt examinet aliquem librum: non significatur ab omnibus debere examinari sed tantum à Doctoribus.*

[h] 1. *Ioan.* 2. *v.* 27. καὶ χρείαν ἔχετε ἵνα τις διδάσκῃ ὑμᾶς. ἀλλ' ὡς τὸ αὐτὸ χρῖσμα διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων, &c. *sed sicut ipsa vnctio docet vos de omnibus, &c.*

dicationem, didicerunt quid credere debeant, edoceri ab impiis. Nam antea dixerat Ioannes.[i] *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem* &c.[k] *hæc scripsi vobis de his qui seducunt vos.* Et in sequentibus,[l] *sicut docuit vos manete in eo.*

Decimatertia, Apostolus[m] ait, nos esse superædificatos supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. At si intelligentia scripturæ penderet à Papa, vel à Conciliis, fundamentum nostrum magis esset super Papa, & Conciliis quam super Ap. & proph. scriptis.

Respondeo, primarium quidem fidei nostræ fundamentum esse verbum Dei, per Apostolos ministratum, & prophetas: verùm secundarium esse Ecclesiæ testimonium, cuius defectu nesciremus quid reuelauerit Deus.

Decimaquarta, si iudicat de scripturis Pontifex, sequitur eum supra scripturam esse, & hanc ab eo suum accipere robur, cum eius sit iudicare num sit authentica.

Respondeo, duobus modis dici posse Ecclesiam esse iudicem de scripturis: primo, quod iudicet verumne sit, an falsum quod scriptura docet: & hoc est supra scripturam esse: sed neque hoc modo Ecclesia iudicat, alio quod iudicet quæ sit vera scripturæ interpretatio, quomodo Ecclesia iudicat, sed hoc non est iudicare de scriptura, sed tantum esse supra iudicia priuatorum hominum.

Decima quinta. Si à iudicio Ecclesiæ pendet fides nostra, igitur debili fundamento, nimirum iudicio humano.

Respondeo verbum Ecclesiæ non esse omnino hominis verbum, id est obnoxium errori, sed prolatum esse assistente, & gubernante spiritu sancto, quâ ratione dici potest etiam Dei verbum.

Decima sexta, ita PP. explicarunt scripturas

[i] 1. *Ioan.* 2. *v.* 21.
[k] *vers.* 26.
[l] *ibidem. v.* 27.
[m] *Ephes. cap.* 2. *v.* 19.

vt permiſerint ſuas explanationes ab aliis iudicari.

Reſpõdeo, aliud eſſe legem interpretari more doctoris, quomodo requiritur eruditio: aliter more iudicis, qua ratione authoritas exigitur, priori modo Patres in commentariis ſuis interpretati ſunt ſcripturas. Concilia verò & Pontifices poſteriori.

Decima ſeptima. Auguſt. fatetur Eccleſiaſticos iudices ſicut homines plerumque falli. 2. [n] contr. Creſconium. [n] *cap. 21. to. 7.*

Reſpondeo, loqui Auguſtinum de quæſtionibus facti. Agit enim ibi de baptiſmo, quem Eccleſia confert impiis, & fictè accedentibus, quos tamen putat ſincero accedere animo.

LIBER QVARTVS

Qui est,

DE VERBO DEI NON SCRIPTO.

Qui potissimum defenderint vel oppugnauerint non scriptas traditiones.

CAPVT I.

DE hoc argumento scripsit inter Catholicos pro non scriptis traditionibus, [a] Cardinalis Hosius, Petrus [b] à Soto, [c] Melchior Canus, [d] Martinus Peresius [e] Iodocus Tiletanus, [f] Alphonsus à castro, [g] Roffensis, [h] Doctores Colonienses, Petrus [i] Canisius, [k] Gulielmus Lindanus, [l] Ioannes à Louanio, [m] Fœlicianus Ninguarda, [n] Gaspar Cardillus Villalpandæus.

Contra huiusmodi traditiones scripserunt ex Hæreticis [o] Caluinus: [p] Ioannes Brentius, [q] Kemnitius, & Hermannus Hamelmannus.

a *lib. 4. aduersus Prolegomena Brentij.*
b *in sua defensione aduersus eund. Brent. pag. 2. a. cap. 50. vsque ad 66.*
c *de locis.*
d *initio operis sui de traditionibus.*
e *in apolog. contra Kemnit. pro Concil. Trident.*
f *lib. 1. cap. 5. contr. Hæres.*
g *initio operis contra assert. articulorum Lutheri.*
h *in examine Catechis. Monhemiani in reprehensione 6. Dialogi.*
i *in Cattech. de præcept. Ecclesiæ.*
k *libris 5. Panopliæ.*
l *lib. de Inuocat. SS. cap. 23. 24. 25.*
m *in assert. fidei Cathol.*
n *Libello de traditionibus 4. Instit. 8. §. 6. 7. 8. & cap. 10. §. 18. 19. 20.*
p *in Prolog. Trident. sess.*
q *in examine decreti de canon. scriptur. Concil. Tridentini.*
r *opere contr. Tradition.*

Quid sit

Quid ſit & quotuplex traditio.

CAP. II.

TRADITIO nomen generale eſt, ſignificatque omnem doctrinam, [a] quæ ab vno communicatur alteri. Tamen à Theologis accommodatum eſt ad [b] ſignificandum doctrinam, à primo ſuo non ſcriptam authore.

Duplex vero eſt traditionum partitio, diuiduntur enim, Primo penes ſuos authores: videlicet in traditiones diuinas, quæ fuerunt à Chriſto acceptæ Apoſtolos docente. In Apoſtolicas, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ, dictante ſpiritu ſancto, nec extant in eorum ſcriptis: Et in Eccleſiaſticas, quæ ſunt conſuetudines quædam antiquæ, à prælatis vel populis inchoatæ, quæ paulatim tacito conſenſu fidelium vim legis obtinuerunt. Quæ omnes traditiones [c] eandem vim habent quam ſuorum authorum ſcripta, vel decreta.

Secundo diuiduntur penes materiam, ſcilicet in traditiones de [d] fide, & de [e] moribus: hæ poſteriores rurſus vel [f] temporales ſunt, vel [g] perpetuæ, vel [h] vniuerſales, vel [i] particulares, vel [k] neceſſariæ, vel [l] liberæ.

[a] *Exod. 17. v. 14. & 1. Corinth. 11. v. 23.*

[b] *Vide Irenæ. 3. cap. 2.*

[c] *vt colligitur ex Concil. Trident. ſupra.*

[d] *vt B. Mariam ſemper fuiſſe virginem.*

[e] *vt ſignum crucis in fronte pingendum.*

[f] *vt erat obſeruatio quædam legalium cærem. vſque ad plenam Euangelij promulgat.*

[g] *vt ieiunium Quadrag.*

[h] *vt celebratio Paſchal. Pentheceſt.*

[i] *vt tempore Auguſt. ieiunium Sabbathi Romæ.*

[k] *vt celebratio Paſchæ die Dominica poſt 14. Lunam Martij.*

[l] *vt aqua luſtralis ad ingreſſum Eccleſiæ aſperſio.*

Explicatur ſtatus quæſtionis, & mendacia quædam aduerſariorum deteguntur.

CAP. III.

DISSIDEMVS ab Hæreticis, Primò, quod aſſeramus in ſcripturis non cõtineri omnia ad fidẽ, & mores pertinentia: ac proinde etiam præterea extare diuinas traditiones, & Apoſtolicas. Illi verò etſi [a] fateantur Apoſtolos quædam inſtituiſſe, præter ſcripturam, ad ritus, & ordinem Eccleſiæ ſpectantia, ea tamen libera fuiſſe contendunt. Quare [b] quidquid ad fidem, & mores neceſſarium ſit, illud omnino in ſcripturis haberi.

Secundò, quod [c] putent ſi quæ fuerint traditiones Apoſtolicæ, eas excidiſſe: nec nos certò demõſtrare poſſe certam aliquam traditionem Apoſtolicam.

Mendacia eorum plurima ſunt. Primò enim [d] Brentius atque Kemnitius dicunt nihil poſſe æquari ſcripturis: & tamen [e] fatentur aliquas fuiſſe traditiones Apoſtolicas, ergo ſaltem illæ tantam vim habebunt quam ritus, & ordinationes Apoſtolicæ ſcriptæ circa eandem rem.

Secundò nobis [f] imponunt nos velle quemcumque ritum Eccleſiæ Apoſtolicam eſſe traditionem. Quod tamen nullus noſtrûm aſſeruit.

Tertiò fingit [g] Kemnitius nos affirmare, Deum conſtituiſſe vt doctrina Chriſti & Apoſtolorum non ſcriberetur in libris, è contra verò ipſe [h] contendit Apoſtolos habuiſſe mandatum ſcribendi. Sed prius nullus catholicorum dixit, poſterius [i] nullibi inuenitur præceptum.

[a] *Kemnit ſup. cum agit de 7. genere traditionum Caluin. 4. inſtit. 10. §. 20.*

[b] *ita Luther in ca. 1. ad Galat. Neque alia (inquit) doctrina in Eccleſia tradi & audiri debet quam purum verbum Dei hoc eſt ſancta ſcriptura. Brent. in proleg. ca. de tradition. Calu. 4. inſtit. 8. §. 8. Kemnit. in exam. ſeſſ. 4.*

[c] *Kemnit. cum agit de 7. gener. trad.*

[d] *ſupr.*

[e] *Negari non debet, nec poteſt (inquit Brent. ſup.) Quin tam Chriſtus multa dixerit, & fecerit, quàm Apoſtoli multa tradiderint, & inſtituerint quæ non ſunt ab ipſis literis comprehenſa. idem Kemnit. ſup.*

[f] *Cal. 4. inſtit. 10. §. 19.*

[g] *in exam. edito anno 1566. ad 4. ſeſſ. p. 68. & 69.*

[h] *p. 185.*

[i] *Inuenitur quidem*

Quartò ait Innocentium tertium, [k] docere plura contineri verba in consecratione Calicis, quam Dominus in Euangelio dixerit: illa tamen haberi ex traditione Apostolicâ. Nihilominus Pontificios annotasse à quibus Romanis Pontificibus hæc verba adiecta sint. Sed annotarunt quidem scriptores catholici quid addiderint R. Pontif. ad canonem: at in consecratione addidisse nullus dicit.

Quinto, Alexandrum statuisse aquam vino admiscendam esse in consecratione Calicis: & aquam ac salem benedictum instituisse. Sed Alexander disertè [l] docet vtrumque se non instituisse, sed à Patribus accepisse.

Sextò: Telesphorum instituisse ieiunium quadragesimale. Sed fallitur Kemnitius. Tantum enim Telesphorus [m] voluit addi à clericis, ad solitum ieiunium. Quadragesimæ omnium Christianorum, tres dies: id est inciperent à carnibus abstinere in Dominicâ Quinquagesimæ.

Septimò: Hyginum instituisse chrisma. Sed nihil simile in Epistolis Hygini inuenitur.

Octauo: Calixtum ieiunium quatuor temporum instituisse. Sed Calixtus tantum [n] docet se addidisse vnum ieiunium ad tria, quæ antea erant.

Nona: Sylvestrum inueniisse puerorum Confirmationem, verùm nihil tale reperitur de Sylvestro: & [o] habentur Pontificum decreta, longè antiquiora Sylvestro, circa ritus quosdam in administratione huius Sacramenti.

Decimo Fælicem 4. instituisse vt infirmi ante obitum vngerentur oleo. Sed Marci [p] sexto

in Apocalyp. 1. v. 11. Quod vides scribe, sed tantum ibi agitur de quibusdam arcanis visionibus, non autem de doctrina Euangelij aut præceptis morũ: de quibus est nostra controuers.

[k] *in decretalibus lib. 3. titulo 41. de celebrat Missar. ca. 6. cum Marthæ.*

[l] *Epist. 1. Repulsis (inquit) opimonibus superstitionum, panis tantùm, & vinum aquâ permixtum in sacrificio offerantur. Non debet enim (vt à patribus accepimus & ipsa ratio docet) in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri.*

[m] *Epist. sua. cognoscite (inquit) à nobis, & à cunctis Episcopis in hac sancta, & Apostol. sede congregatis statutũ esse vt septem hebdomadas plenas ante sanctum Paschа omnes clerici à carne ieiunent.*

[n] *Epist. 1.* [o] *de consecrat. distinct. 4. can. In catechis. ex Hygino Papa, & dist. 5. can. 2. & 3. ex Melchiade.* [p] *Vers. 13.*

Apoſtoli vngebant ægrotos oleo, & Iacobi [q] quinto præcipitur, vt præsbyteri vngant ægrotos oleo.

Vndecimo: Fælicem eundem inſtituiſſe altarium conſecrationem. Sed hoc falſum. Nam conſtat Sylueſtrum hunc ritum inſtituiſſe.

Duodecimo: Syricium, addidiſſe Miſſæ, memoriam, & inuocationem Sanctorum. At [r] Cyrillus atque [s] Baſilius Syricio antiquiores, huius memoriæ in Miſſa, meminerunt.

Decimo tertio, Pelagium memorias mortuorum anniuerſarias Miſſæ adieciſſe. Et hoc mendacium. Nam Tertullian. Pelagio antiquior meminit [t] anniuerſariæ oblationis pro deffunctis, ſatiſque [v] declarat hanc deſcendere, ex Apoſtol. traditione.

Decimo quarto, [x] Ieſuitas velle ſcriptas traditiones eſſe arbitrarias, confictas verò obligare ſub periculo mortis. id colligit, quod Doctores Colonienſes ſcripſerint, illud: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c.* non ſignificare præcepi vobis: ſed docui vos: & proinde ex hoc loco Pauli non poſſe deduci laïcos obligari ad vſum calicis. Sed Ieſuitæ non dicũt traditiones ſcriptas non obligare, ſed obligare diuerſo modo, id eſt pro grauitate, vel leuitate rei præceptæ, confictas autem obligare, nullibi dixerunt. Portò in illis Pauli verbis non præceptum, ſed tantum documentum contineri inde patet, quod hiſtoria narretur, non autem lex conſtituatur. Quis enim, precor eſſet ſenſus? *Ego præcipi vobis, quòd Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur*, &c.

[q] *Verſ. 14. Item Innocent. 1. centum annis Fælice 4. antiquior. vnctionem infirmorum Sacram. Eccleſ. eſſe dicit, epiſt. 1. cap. 8.*

[r] *Hieroſolym. catech. 5. moritur quidem anno 2. Syricij Theodoſ. 8. Chriſti 386. verum cathechef. Scripſit in adoleſcentiâ teſte Hieron. de viris illuſtrib.*

[s] *in liturgia.* [*moritur anno 12. Damaſi Chriſti 378. teſte Baron. 4. Annal.*]

[t] *lib. de Monogam. circa medium.*

[u] *libro de Coronâ militis aliquot poſt initium.*

[x] *libro quem inſcripſit Theolog. Ieſuitarum præcipua capita.*

[y] *1. Corinth. 11. verſ. 23.*

Scripturas ſine traditionibus, nec eſſe ſimpliciter neceſſarias, nec ſufficientes.

CAP. IIII.

NON eſſe ſimpliciter neceſſarias probatur. Ab Adam vſque ad Moſem fuit aliqua Eccleſia Dei in mundo, colebant que homines Deum quibuſdam ritibus, vt ex [a] Geneſi patet. At tunc temporis nulla fuit ſcriptura. tum quia conſenſu omnium Moſes primus eſt ſcriptor ſacer, tum quia non fit mentio in Geneſi doctrinæ ſcriptæ, ſed tantũ [b] traditæ.

Ergo ſicut potuit conſeruari antiqua illa religio ſine ſcripturâ ad duo millia annorum: ita potuit doctrina Chriſti conſeruari ſine ſcriptura ad mille quingentos aut ſexcentos annos. Deinde à Moſe vſque ad Chriſtum per alia duo annorum millia extiterunt quidem ſcripturæ, tamen eæ ſolæ Iudæorum erant: reliquæ autem gentes, inter quas [c] erat apud aliquos vera religio teſte Auguſtino. 2. [d] de pecc. orig. ſola traditio non ſcripta inueniebatur. Imo ipſi Iudæi magis vtebantur huiuſmodi traditione, quam ſcripturâ, vt patet ex [e] multis ſcripturæ locis. Cuius rei cauſa erat, quod vſque ad tempora Eſdræ ſcripturæ non erant redactæ ad librorum formam, ſed diſperſæ in variis chartis, atque negligentiâ ſacerdotum ſæpe [f] ignotæ: propterea erant Iudæis maximè neceſſariæ traditiones.

A Chriſti autem aduentu per annos multos fuiſſe Eccleſiam ſine ſcripturis apud quaſdam gentes, docet [g] Irenæus.

Quod ergo Chryſoſt. [h] ait nobis fuiſſe ſcri-

[a] *vbi introducuntur Adam, Abel, Seth, Enoch, Noë, &c. homines iuſti quare Auguſt. ab 11. Ciuit. deducit Eccleſiam ab origine mundi.*

[b] *Geneſ. 18. v. 19.*

[c] *vt patet ex Iob & amicis eius.*

[d] *cap. 24. 1. de prædeſt. Sanct. 9. to. 7. & 18. Ciu. ca. 47. tom. 5.*

[e] *Exod. 13. ver. 8. Deuter. 32. v. 7. interroga patrẽ tuum, & annuntiabit tibi: maiores tuos, & dicent tibi. Iud. 6. verſ. 13. Vbi ſunt mirabilia quæ narrauerunt patres noſtri Pſal. 43. v. 1 Pſal. 77. v. 7. Eccleſiaſt. 8. v. 11.*

[f] *Vt patet ex. 4. Reg. 22. quo narratur tanquam nouũ inuentum fuiſſe volumen legis in tẽplo.*

[g] *3. cap. 4.*

[h] *Hom. 1. in Math. initio. tom. 2.*

pturas neceſſarias ob corruptionem hominum, intelligendum eſt de neceſſitate tantum ſecundum quid, & ad benè eſſe. Iam verò ſcripturas non eſſe ſufficientes per ſe ſine traditione, probatur.

Primò, vel totus canon ſcripturarum eſt ſufficiens, vel ſinguli libri ſeorſum. Non poſterius. Nam Kemnitius vult vſum traditionum in Eccleſiâ perſeueraſſe vſque ad complementum canonis. Et videmus ſingulos Euangeliſtas non [l] omnia continere. Nec etiam prius. Nam Chryſoſt. [k] docet multos ex veteri Teſtamẽto periiſſe libros, idque facilè conſtat ex primo [l] Paralip. Ex nouo, certum eſt periiſſe epiſtolam [m] Pauli ad Laodicenſes.

Secundo, ſi ſcripturis ſuam voluiſſet Chriſtus coarctare doctrinam certè aliquod huius rei præceptum extaret, quod tamen nullum eſt. Quare ad prædicandum Euangelium viuâ voce, non expectarũt Apoſtoli occaſionem oblatam, aut neceſſitatem: ſed ſponte ſua, & proprio perexerunt inſtituto: At non niſi neceſſitate [n] moti animum ad ſcribendum applicuerunt. Deinde catechiſmum, aut ſimilem debuiſſent conſcribere librum: cum tamen vel hiſtoriam tantum, vel epiſtolas ex occaſione accepta ſcripſerint. Nam ſymbolum quod ſimul compoſuerunt, non [o] ſcriptis, ſed viua voce tradiderunt.

Tertiò, multa ignorari non poſſunt, quæ tamen in ſcripturis non habentur. Nam tempore teſtamenti veteris ſine dubio, fuit aliquod pro mulieribus, circa peccatum originale remediũ,

[l] *Nam Ioannes nihil habet de Annuntiatione Natiũ. Circun, alij vero Euangel. non habẽt illa quæ dixit Chriſtus poſt egreſſum Iudæ traditoris cap. 13. Ioan. & v. 31. & cap. 14 15 16. 17.*

[k] *Hom. 9. in Matt. in illud. Quoniam Nazaræus vocabitur.*

[l] *v. 29. item 2. ver. Paralip. 9 v. 29.*

[m] *Cuius meminit Coloſſ. vltim. v. 16.*

[n] *Mat. vt aliquod memoriale doctrinæ relinqueret, cùm pararet ire ad gentes Lucas, quia viderat multos temerè præſumpſiſſe ea ſcribere quæ non perfectè nouerant, ita Euſeb. 3. cap. 18. in Ruff. 14. Marcus compulſus Romanorum precibus. Euſeb 2 cap. 14. hiſt. in Ruff. 15. Ioan. rogatus ab Aſiæ Epiſcopis propter hæreſim Cherinti, & Ebionitarum, teſte Hiero. lib. de viris illuſtribus in Ioanne.*

[o] *Hieron. epiſt. 61. to. 2. ad Pamm. de erroribus Ioann. Hieroſolym. poſt medium.*

& tamen nihil habetur in ſcripturis de illo. Deinde neceſſe eſt noſſe extare libros aliquos verè diuinos, quod ex ſcriptura intelligi nequit: etiamſi enim dicat libros prophetarum, & Apoſtolorum eſſe diuinos, tamen non prius id credam quam nouerim eammet, quæ teſtatur, eſſe diuinam. vnde quæ ſit illa diuina ſcriptura etiã ſciri debet. At quomodo ex ſcriptura colligemus Euangelia Marci & Lucæ (verbi gratia) eſſe vera. Thomæ verò, & Bartholomæi falſa: cum ratio potius dictet magis credendum libro præferenti titulum Apoſtoli, quam non Apoſtoli. Denique ſcire quoque debemus, eos ipſos libros quos nunc habemus illos eſſe qui à ſacris authoribus fuêre conſcripti, quod neque ex ſcriptura intelligi poteſt. Sed [p] Caluinus reſpondet ſcripturas ſacras à non ſacris diſcerni per ſe, vt lucem à tenebris: verùm non omnibus apparere hanc differentiam, ſed ſolum habentibus ſpiritum. Nam etiam lucem à tenebris non diſcernit cæcus.

[p] 1. *Inſtit.* 7. §. 1. & 2.

At ſi ita eſt, cur ipſe Caluinus qui ſpiritum iactabat, non recipit Sapientiæ librum, quem Apoſtoli & primæ Eccleſiæ fideles, qui certè ſpiritum habebant, vt ſacrum [q] receperunt. Præterea veteres vno docent ore nos aliunde non habere quæ ſit diuina ſcriptura quam ex traditione. Igitur non ex ipſa ſcriptura. Sed inſtat Caluinus fundamentum Eccleſiæ ſunt ſcripturæ Apoſtol. & Prophet. [r] Epheſ. 2. igitur non credimus ſcripturas eſſe diuinas ex traditione Eccleſiæ: quia tunc fundamẽtum ſcripturæ eſſet Eccleſia.

[q] *teſte Auguſt. de prædeſtin. 55. cap. 14. tom. 7.*

[r] *ver. 20.*

Ad antecedens reſpondeo Paulum non dixiſſe ſcripta Apoſt. & Prophet. ſed Apoſtolos, & Prophetas, vt comprehenderet etiam traditiones Apoſtolicas, ad conſequens negatur. [Ad rationem conſequentis, tunc forè alicuius ponderis ſi Eccleſiæ teſtimonium de ſcriptura eſſet

propter ipſam ſcripturam quo in ſe vera vel falſa redderetur, non autem tantum propter nos: Quod tamen falſum eſt.]

[s] *ſupr.*
[t] *ſup. tractans ſecundum genus tradit.*

Brentius [s] ergo, & [t] Kemnitius fatetur hanc vnam, & ſolam traditionem non ſcriptam recipiendam eſſe, ſcilicet quâ docemur qui ſint libri ſacri. Ergo malè affirmant ſolam ſcripturam ſufficere. Deinde ſi potuit vſque nunc hæc traditio conſeruari, quidni & aliæ quædam? Denique illa traditio vel eſt verbum Dei, vel non. Si poſterius, ergo fides noſtra vana eſt, quod teſtimonio diuino minimè nitatur. Si prius, igitur non omne Dei verbum eſt ſcriptum, vt illi clamant. Quarto neceſſe eſt intelligere ſcripturas. At ſæpiſſimè ambiguæ ſunt, & perplexæ: & ſi ſolis ſit agendum ſcripturis, numquam cum proteruis erunt finiendæ controuerſię. Adde credendum eſſe B. Mariam ſemper virginem fuiſſe, & Baptiſmum paruulorum ratum eſſe. De quibus tamen nihil in ſcripturis habetur.

[v] *in aſſert. art. 37.*

Credidit [u] Lutherus Purgatorium: & tamen fatetur ipſe ex ſcripturis probari non poſſe.

[y] *verſ. 2.*

Denique omnes hæretici credunt nullum eſſe Dei verbum, niſi ſcriptum. At hoc nullibi in ſcriptura habetur. Quod enim dicitur Deuter. [x] quarto. *Non addetis ad verbum*, &c. nihil eos iuuat. Non enim dixit ad verbum ſcriptum, ſed ad verbum quod loquor.

Eſſe veras aliquas traditiones demonſtratur ex ſcripturis.

CAP. V.

PRIMVM teſtimonium ſumitur ex Ioannis decimo [a] ſexto. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo.* At dubitari nequit ea [b] dixiſſe Chriſtum poſt Reſurrectionem. Sed de geſtis Domini poſt Reſurrectionē pauca admodum ſcripſerunt Euangeliſtæ. Non eſt autem veriſimile Apoſtolos non tradidiſſe Eccleſiis quæ tunc audierunt à Chriſto. Deinde Ioan. vltimo: [c] *ſunt autem & alia multa quæ fecit* IESVS, *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt, libros*, at libri qui extant vna manus capere poteſt.

Reſpondent eſſe ſcripta omnia neceſſaria, ſed hoc falſum eſſe probatum eſt.

Secundum teſtimonium ex prima [d] Corint. 11. *Laudo vos* (inquit Paulus) *quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea teneatis:* in quibus verbis agere intendit de modo orandi in Eccleſia, qui [e] nullibi ſcriptus inuenitur. Imò ex conſuetudine Eccleſiæ reprimit Paulus contentioſos. Deinde verò pertractans de modo Euchariſtiæ ſumendæ: [f] *Ego enim* (inquit) *accepi à Domino*, &c. & concludit [g] *Cætera cum venero diſponam.* Quid autem diſ-

[a] *Verſ.* 12. πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι.

[b] *Iuxta illud Act.* 1. *verſ.* 3. δι' ἡμερῶν τεσσεράκοντα ὀπτανόμενος αὐτοῖς, καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. *Per dies* 40. *apparens eis, & loquens de regno Dei.*

[c] *Verſ. vlt.* ἔστι δὲ καὶ ἄλλα πολλὰ ὅσα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς, ἅτινα ἐὰν γράφηται καθ' ἕν, οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία.

[d] *Verſ.* 2. ἐπαινῶ ὑμᾶς ὅτι πάντα μου μέμνησθε, καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν, τὰς παραδόσεις,

traditiones, κατέχετε, retinetis. [e] *Quare Chryſoſt. in hunc locum homil. 26. in 1. ad Corinth. Baſil. lib. de Spiritu ſancto cap. 29. & Damaſc. 4. cap. 17. ad finem hunc locum de traditio. non ſcriptis intelligunt.*

[f] *v.* 23. [g] *verſ. vlt.* τὰ λοιπὰ ὡς ἂν ἔλθω, διατάξομαι.

posuerit nullibi scriptum inuenitur, censent verò catholici disposuisse circa ordinationem ministrorum, & sacrificio altaris.

[a] κρατεῖτε τὰς παραδόσεις ἃς ἐδιδάχθητε, edocti estis: εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν. cap. 2. 14.

Tertium secundæ [h] Thessal. *fratres tenete traditiones, quas accepistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Respondent, primò Apostolum ea prius tradidisse sermone, deinde epistola, & ideo non loqui de traditione non scripta simpliciter.

At particula disiunctiua, *siue*, apertè iudicat diuersa esse quæ tradiderat, & quæ scripserat. Deinde si ita esset, deberet epistola vna ad Thessalonicens. continere omnem doctrinam, quam Apostolus illis [i] prædicauerat, id est, totum Euangelium, cum non contineat centesimam partem.

[i] *Vt colligitur ex.* 1. & 2. *cap. ep.* 1. *ad Thessalon.*

Respondent secundo, Apostolum loqui de sermone quē ore prædicauerat, & non scripserat: sed qui vel tunc, vel postea fuit ab Euāgelistis scriptus. At cōtra, Primò, quia ibidē Apostolus dicit se illis prædicasse, quando Antichristus venturus sit, hoc autem nullibi scriptum inuenitur. Secundo non promittit Apostolus se vel alium, ea scripturū quæ ore tradiderat, sed simpliciter præcipit vt non minus obseruent ea quæ dixerat, quam quæ scripserat. Quare PP. [k] Basilius [l] Chrysost. [m] Oecumen. Theophyl. & [n] Damasce. hunc Pauli locum, de traditione explicarunt. Hermannus obiicit alios quinque PP. Hierony. Ambros. Primas. Theod. & Anselmum quos ait, Apostoli locum contrà nos exposuisse.

[k] *supra.*
[l] *in hunc locum.*
[m] *in hunc locum.*
[n] *supra.*
[o] *Habentur to.* 8. *oper. Hier.*
[p] 3. *de peccat. merit. & remiss.* 1. 4. 12.

Sed commentaria in epist. Pauli quæ putat Herman. Hierony. esse, Pelagij sunt, teste Augusti. Nec faciunt dum taxat contra nos. *Quando vult* (inquit) *sua teneri, non vult extranea superaddi, Apostolica autem traditio est, quæ in toto mundo prædicantur Baptismi sacramenta* libenter autem admittimus addenda non esse extranea, id est,

pſeudo-Apoſtolorum commenta.

Quod autem dicit traditionem eſſe Apoſtolicam, Baptiſmi Sacramenta, pro nobis eſt. Ideo enim non dixit Baptiſmi Sacramentum: quia nouerat multa eſſe myſteria circa Baptiſmum, ex ſola traditione Apoſtolicâ. Amb. neque eſt contra nos, neque pro nobis: ſolùm enim ait Apoſtol. hoc loco monere vt perſeueremus in doctrinâ Euangel. Primaſ. primò expoſitionem Pelagij ponit, 2. addit Apoſtolum loqui, non ſolum de Sacramentis Baptiſmi, ſed etiam de iis traditionibus, quæ in toto obſeruantur mundo, & propterea dignoſcuntur vt Apoſtolicæ: quas falſò Hermanus arbitratus eſt tantum eſſe Euangelium quod per vniuerſum orbem ſeruatur, cũ feſta Natalis Domini, Paſchæ, &c. ab omnibus fidelibus vbique obſeruentur: & proinde quæ ad Apoſtolicas traditiones ſunt reuocanda. Anſelmus pro nobis eſt: ſic enim exponit: *Tenete in corde, & operibus traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem noſtrum, cum eſſemus præſentes, ſiue per Epiſtolam, quam vobis miſimus abſentes.* Theodoretus verò: *Habetis* (inquit) *regulam fidei ſermones noſtros, quos prædicauimus vobis, & in Epiſtola ſcripſimus.* Quem locum pro ſe facere ideo contendit *Hermannus*, quòd Theodoret. videatur indicare Apoſtolum eoſdem ſermones ſcripſiſſe, quos antea prædicauerat. Sed verba Theodoret. poſſunt intelligi etiam de diuerſis ſermonibus, hoc modo: *habetis regulam fidei ſermones noſtros*, illos quos prædicauimus & illos quos ſcripſimus vobis. Qui ſenſus cum magis ſit ad mentem Theodoret. tum quòd eſt conformior expoſitioni Chryſoſt. quam vbique ſequi ſolet Theodoret. tum quia falſum eſt Paulum omnia comprehendiſſe in Epiſtola ad Theſſalonic. quæcumque illis prædicauerat: Propterea interpretatio Hermanni vana eſt.

Quartum 1. Timoth. ¶ ô *Timothee depoſi-*

¶ *vlt. verſ. 20.* ὦ Τιμόθεε τὴν παραθήκην φύλαξον.

tum cuſtodi, [r] & ſecundæ, *formam habe ſanorum verborum quæ à me audiſti. Bonum depoſitum cuſtodi per ſpiritum ſanctum qui habitat in nobis.* Item [s] *Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* Hic de ſcriptura non agere inde conſtat, quod non adeò ſollicitè commendaſſet Timotheo depoſitum illud conſeruare in pectore ſuo: cum facilè ſcriptura conſeruetur in thecis, & à librariis. Nec addidiſſet, *Hæc commenda fidelibus, &c.* ſed commenda librariis. Nec dixiſſet, quæ audiſti à me, ſed, quæ ſcripſi tibi. Igitur ſicut explicant [t] Chryſoſt. & Theophyl. loquitur Paulus de theſauro doctrinæ non ſcriptæ, & intelligentia dogmatum diuinorum, quam propagari volebat per traditionem.

Vltimum, [v] *Multa habens* (inquit Ioannes) *ſcribere vobis, nolui per chartam, & atramentum.* Ex his enim intelligimus multa à Ioanne dicta eſſe diſcipulis, & per diſcipulos Eccleſiæ, quæ tamen ſcripta non ſunt.

[r] *Verſ.* 13. κράτου πίστιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας.
Verſ. 14. τὴν καλὴν παραθήκην φύλαξον διὰ πνεύματος ἁγίου τοῦ ἐνοικοῦντος ἐν ἡμῖν.

[s] *cap.* 2. *v.* 2. ἃ ἤκουσας παρ' ἐμοῦ διὰ πολλῶν μαρτύρων, ταῦτα παράθου πιστοῖς ἀνθρώποις, οἵτινες ἱκανοὶ ἔσονται, καὶ ἑτέρους διδάξαι.

[t] *in* 1. *cap.* 2. *ad Timoth. tom.* 4.

[u] 2. *Ioan. epiſt. v.* 12. πολλὰ εἶχον ὑμῖν γράφειν οὐκ ἐβουλήθην διὰ χάρτου καὶ μέλανος, &c. *item* 3. *v.* 13.

Idem oſtenditur teſtimoniis Pontificum, & Conciliorum.

CAP. VI.

EX Pontificibus, Fabianus de chriſmate renouando [a] loquens: *Iſta* (inquit) *à ſanctis Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus accepimus, vobiſque tenenda mandauimus.* At de chriſmate renouando, nihil legimus in ſacris ſcripturis.

Item Innocent. [b] Epiſtola prima, & Leo primus [c] *Apoſtolica* (inquit) *inſtitutio, quadraginta dierum ieiunia impleatur.* Ex Conciliis Nicænum

[a] *epiſt.* 2. *ad Epiſc. Orientis.*

[b] *præſertim cap.* 3.

[c] *Serm.* 6. *de Quadrageſimâ item ſerm.* 2. *de ieiunio Pentecoſtes.*

primum hæreſim Arij damnauit doctrina non ſcripta, teſte [d] Athanaſ. Nicænum verò ſecundum: [e] *Si quis* (inquit) *traditionem Eccleſiæ ſiue ſcripto ſiue conſuetudine valentem non curauerit, Anathema ſit.* Idem reperitur in Concilio octauo, actione octaua.

[d] *apud Theodor. 1. hiſtor. 8. Quapropter* (inquit) *ex non ſcriptis vocibus piè tamen excogitatis condemnati ſunt.*

[e] *act. 7. tom. 4.*

Idem ex Patribus probatur.

CAP. VII.

EX Græcis [a] Ignatius hortabatur omnes Apoſtolicis traditionibus firmiter inhærere, quas cautelę gratiâ ſcriptis reliquerat. Falſum eſt autem non extare huiuſmodi ſcripta Ignatij, vt fingit Hermannus. Docet enim [b] Hierony. Ignatium ſcripſiſſe ad Epheſ. Magneſianos, Trallianos, Rom. Philadelph. Smyrnenſ. & ad Policarp. quæ omnes Epiſt. nunc extant: in quibus inuenitur ieiuniũ quadrageſ. ordines minores, &c. quæ in ſcripturis non habẽtur, & proinde ab Apoſt. didicerat illa. Dionyſ. [c] primo Eccleſiaſt. Hierar. *Primi illi* (inquit) *noſtri Sacerdotalis muneris duces, ſumma illa, & ſuperſubſtantialia partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus ſuis nobis tradiderunt.*

[a] *apud Euſeb. 3. ca. 30. hiſtor. in Ruff. 56.*

[b] *de viris illuſtrib. in Ignatio.*

[c] *aliquot ante fine.*

Reſpondent aduerſarij opera quæ Dionyſ. Areopag. adſcribuntur eius non eſſe. Sed eius nomine citantur in ſextâ, ſeptimâ, & octauâ Synodo generali, à Gregor. [d] primo, & Martino [e] primo, atque [f] Agathone, vnde ſaltem deducitur ante annos mille, horum authorem librorum floruiſſe. Egeſippus [g] Apoſtolicas traditiones quinque libris comprehendit. Polycarpus [h] referebat verba quæ à domino dicta ab Apoſtolis audierat. Quæ Polycarpus trade-

[d] *Hom 34. in Euãgelia ad medium.*

[e] *in Concil. Romano.*

[f] *Epiſt. ad Imper. Conſtantinum.*

[g] *apud Euſeb. 4. hiſtor. 8.*

[h] *apud Euſeb. 5. hiſt. 19. in Ruff. 20.*

bat Ireneus non in charta, ſed in corde ſuo ſcribebat. Quæ ſi de ſcriptis intelligenda eſſent: nihil peculiare de Policarpo, & Irenæo diceretur. Poteſt enim quiſque quæ in Apoſtolis legit dicta à Domino referre, nec auditor vt retineat etiam eget chartâ, cum ea poſſit retinere corde. Ratio ergo peculiaris quare Irenæus illa non ſcribebat, erat, quod omnibus indifferenter non communicarentur, & proinde non ſcribebantur, ſed corde retinenda erant.

Reſpondet Kemnitius hic agi de traditionibus quæ probari poſſunt ex ſcripturis. Quod Polycarpus ea tantum diceret, quæ conſona ſcripturis erant, vt refert Euſeb. libro quinto. Sed aliud eſt aliquid eſſe diſſonum ſcripturæ: aliud poſſe ex ſcriptura probari.

Iuſtinus Apologia [i] ſecunda. Ipſe Irenæus [k] libro tertio.

Reſpondet quidem [l] Kemnit. Irenæum loqui de traditione dogmatum quæ ſcripturis probari poſſunt. Sed Irenæus cap. ſecundo, tertio, & quarto docet, non eſſe aliam viam perueniendi ad veritatem, quam conſulando Eccleſias, in quibus eſt ſucceſſio Epiſcoporum ab Apoſtolis. Igitur ex ſententiâ Irenæi ſcriptura non omnia probat, ſed recurrendum eſt ad traditionem quæ ſcripturâ probari nequeat. [m] Clemens Alexandr. apud [n] Euſebium, ait, ſe compulſum à fratribus vt traditiones quas à veteribus accepiſſet presbyteris, mandare literis. [o] Origenes in 6. ad Roman. Euſeb. primo demonſtr. Athanaſ. [p] lib. de decret. Nicenæ Synodi Baſilius [q] *Dogmata* (inquit) *quæ in Ec-*

[i] *in fine. Poſtridie* (inquit) *Saturni qui dies ſolis eſt cum Apoſtolis diſcipuliſque ſuis apparuiſſet, hæc illis tradidit quæ vobis quoque conſideranda permittimus ſcilicet cœuenire ſingulis Dominicis diebus conſecrare vinum mixtum aqua, &c.*

[k] *cap. 2. Euenit* (inquit) *neque traditionibus conſentire eos. Vbi apertè diſtinguit tradit. à ſcripturis. item cap. 2. & 4. quibus maxime nititur traditionum authoritatem docere.*

[l] *Brentius vult equidem Irenæum loqui de traditione ſcripturæ: ſed ineptè vt patebit legenti ſincerè Iren. ſup.*

[m] *lib. de Paſchate.*

[n] *lib. 6. hiſt. 11.*

[o] *fol. ante librum 6. Eccleſia ab Apoſtolis traditionem accepit etiam paruulis baptiſmum dare.*

[p] *Ecce nos quidem ex Patribus ad Patres per manus traditam fuiſſe hanc doctrinam demonſtrauimus.*

[q] *Lib. de Spiritu ſancto 27. item. 29.*

cleſia ſeruantur, ac prædicantur partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione in myſterio ad nos delata recipimus. Quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit [r] &c. Deinde enumerat plures traditiones non ſcriptas.

Reſpondet Kemnitius Baſil. loqui de quibuſdam ritibus liberis. Igitur malè Kemnitius negauit eſſe veras Apoſtol. traditiones. Deinde multa etiam ad fidem eſſentialia inter tradita numerantur ibidem à Baſilio, vt [s] ſymbolum fidei, & vnctionem [t] olei in Sacramento Confirmationis.

Brentius ait ſententiam Baſilij eſſe ex erroribus eius quod adæquauerit traditiones de ſigno crucis, & aquâ benedictâ, dogmatibus fidei. Sed Brentius intelligere debebat, nihil aliud voluiſſe Baſilium: quam ſicut in ſcripturis ſunt magna, & minora præcepta, quæ non æquè obligant quoad obſeruationem, æquè tamen quoad fidem, & venerationem. Sic inter traditiones eſſe obligantes quoad obſeruationem, vt maiora ſcripturæ præcepta: eſſe obligantes, [u] vt minora: omnes tamen æquè obligare ad fidem, & venerationem non minus quam ipſa ſcriptura obliget.

Hermannus contendit iſta fuiſſe inſerta in libro Baſilij, à quodam nebulone: quod Eraſmus deprehenderit neſcio quam ſtyli diuerſitatem in his capitibus à ſuperioribus. Sed B. Ioannes [u] Damaſcenus antiquior, & Doctior Eraſmo, legit in Baſilio vt nos ipſi legimus. habemus præterea [x] Nazian. Orat. primâ in Iulianum Chryſoſt. in [y] ſecundam Theſſal. *Patet* (inquit) *quod non omnia, per epiſtolam tradiderint Apoſtoli, ſed multa ſine literis. Eadem verò fide digna ſunt tam iſta quam illa.* Idem ait Theophyl. & Oecumen. [z] Cyrillus Hieroſoly. nihil ferè explicat aliud, quam traditiones non ſcriptas, Quibus Epiph.

[r] *qui vel mediocrem ſaltem Eccleſiaſticorum iurium experientiam habeat.*

[s] *quam vocat fidei confeſſionem ad med. cap.*

[t] *aliquot poſt initium.*

[u] *orat. 1. pro imaginib. ad medium.*

[x] *vltra medium. Cæterum* (inquit) *maiorem, atque inſigniorem ob eas Eccleſiæ figuras quas traditione acceptas in hunc vſque diem ſeruamus.*

[y] *cap. 2. orat. 4.*

[z] *in catecheſ. myſtagogicis.*

[a] *Oportet* (inquit) *& traditione vti: non enim omnia à diuinâ scripturâ accipi possunt. Quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderũt.*

[b] *Sup. & 4. de fide 17. ad finem.*

[c] *lib. de coronâ militis aliquot post initium.*

[d] *lib. 2. epist. 3 ad initium.*

hæresi [a] sexagesimâ primâ, & [b] Damascenus consentiunt.

Ex Latinis [c] Tertullianus, *Harum* (inquit) *& similium disciplinarum si legem exposcules scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides obseruatrix.*

Cyprianus [d] *Admonitos nos scio* (inquit) *vt in calice offerendo Dominica traditio seruetur*, &c. *vt calix qui in commemorationem eius offertur, mistus vino offeratur.*

Respondet Kemnitius loqui Cyprianum de traditione non scripta. Sed Euangelistæ non meminerunt aquæ: Brent. vult incogitanter Cyprian. hæc dixisse: quod sibi videatur ratio Cypriani inepta: Cum ideò velit aquam esse vino miscendam, quia vinum significat Christum, aqua populos Ecclesiæ, & dum aqua vino miscetur, Ecclesia iungitur Christo, si non misceretur inciperet Christus esse sine Ecclesia. Sed Brentius aduertere debebat Cyprianum non loqui de reali coniunctione, vel separatione: sed tantum significatiua. Deinde Cyprian. non vult hunc ritum seruari, propter illam rationem præcipuè, sed quia Dominus sic docuit. cui adiungit rationem vt ostendat traditionem rationi conformem esse.

Hilarius, obiicienti Ariano principi: *Nolo verba quæ non scripta sunt, legi.* Respondet: *Hoc tandem rogo, quis Episcopis iubeat? quis Apostolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius, si rectè dici putas, nolo aduersus noua venena nouas medicamentorum comparationes*, &c. quibus verbis duo indicat, scilicet, prædicationem consubstantialitatis Patris, & filij Apostolicæ prædicationis esse, etsi minimè sit expressè scriptum, secundo nomen ὁμοούσιος, esse quidem nouum, sed tamen retinẽdum, licet non scriptum, quia conforme prædicationi Apostolicæ.

Hermannus ita hunc locum exponit: *Hoc rogo quis*

quis Episcopus iubeat, vt aliquid extra scripturam proferant. Sed hic sensus si valeat, igitur Hilarius non vult vt aliquid extra scripturam proferatur. Ergo consentit cum Constantio Ariano, quem tamen dumtaxat impugnat ibidem. Deinde vnde probabit Hilarius ὁμοούσιον quod tamen vocabulum retinendum esse contendit Ambros. [e] de iis qui initiantur mysteriis, explicat ritus qui ab vniuersa Ecclesia seruantur in baptismo, de quibus nihil in sacris scripturis.

Hierony. epist. [f] ad Marcellam, item in Dialogo [g] contra Luciferian.

Augustin. [h] *Illa* (inquit) *quæ non scripta, sed tradita, custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarius Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri, sicut quod Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cœlum, & Aduentus de cælo spiritus sancti anniuersaria solemnitate celebratur.* Brentius respondet, primò huiusmodi traditionem (si quæ sit Apostolica) non nisi liberam esse. Sed contra. Nam Augustin. eam à liberis distinguit: subiungit enim *Alias verò quæ per loca terrarum regionumque variãtur, &c liberas habent obseruationes.* Secundò dicit falsò Augustin. asserere huiusmodi festa esse ex Apostolica traditione, quod Apostolus arguat [i] Galatas de obseruatione dierum, ac temporum, verum respondet Augustin. Apostolum reprehendere tantum eos qui [k] secundum Astrologorum regulas obseruant tempora, aut loqui [l] de festis iudæorum. Item lib. 2. [m] de Bapt. *Quam consuetudinẽ* (inquit) *credo ex Apostolorum traditione venientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Conciliis posterorum, & ta-*

[e] *Cap. 2. 6. & 7. item 1. de Sacram. 1. & 2. sermone vero 25. Non leue* (inquit) *peccatum est fidelibus indictam Quadragesimam à Domino non ieiunare. item ser. 34.*

[f] *54. De erroribus Montani ad Mediti. to. 2. Nos* (inquit) *vnam Quadragesimam ex Apostolicâ traditione tempore nobis congruo ieiunamus.*

[g] *Ante med. to. 2. cum Luciferianus dixisset Multa quæ per traditionem in Ecclesiis obseruantur authoritatem sibi præscriptæ legis vsurparunt. Orthodoxus consentit.*

[h] *ad initium.*

[i] *Galat 4 v. 10.*

[k] *ita respondet ep. 119 cap. 7. ad medium.*

[l] *ita lib. cõtra Adimantum c. 16. vltra med tomo 6. & Chrysost. ac Hieron. to. 6 in hunc locum. Ambros. verò in eundem vtramque expositionem sequitur, sed maxime priorem.*

[m] *cap. 7. ad finem tomo 7.*

men, quia custodiuntur, per vniuersam Ecclesiam non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur, item lib. [n] quarto cap. sexto & vigesimo quarto [o].

Kemnitius contendit in his locis nihil aliud velle Augustinum quam non posse ex scripturis proferri exemplum de rebaptizandis, vel non rebaptizandis Hæreticis. Nihilominus Augustinum putasse, haberi aperta testimonia in scripturis, quibus probetur Hæreticos non esse rebaptizandos. Sed nos præcipuam vim facimus in eo quod locis citatis Augustinus doceat nos multa habere ex Apostol. traditionem: [p] quidquid sit de non rebaptizandis Hæreticis. Quamuis verum sit, & hoc etiam ab Apostolis traditione haberi, nec dumtaxat possunt aduersarij testimonium ex scripturâ proferre.

[n] *Vide infra cap. 9.*

[o] *5. cap. 23. de Baptis. consuetudo illa quæ opponebatur* (inquit) *Cypriano ab eorum Apostolorum, traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa quæ vniuersa tenet Ecclesia & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur: quamquam scripta nō reperiantur.*

[p] *Si lubeat videre fusiùs hac de re legatur Bellar. ibi quo sigillatim refellit multa quæ Kemnitius ex Aug. profert.*

Idem probatur alijs quatuor argumentis.

CAP. VIII.

PRIMVM sumitur ex consensu Hæreticorum in oppugnandis traditionibus. De Valentinianis, & Marcionistis vide [a] Irenæum. de Donatistis [b] August. Arianis [c] Hilarium. Ærianis [d] Epiphanium. Eunomianis [e] Basilium, Nestorio, Eutychete, & Dioscoro Basilium [f] Ancyranum. Apostolicis, [g] Bernardū. Ioanne wiclefo, Thomam [h] waldensem à quibus omnibus Lutherani sunm virus acceperunt.

Secundum, ex omnium consuetudine gentium Iudæos traditiones habuisse docent [i] Origenes [k] & Hilarius, omnes Respublicæ

[a] *3. cap. 2.*

[b] *Passim lib. contra Donatistas in quibus illis frequenter obiicit traditiones vt de Baptis. sup.*

[c] *sup. & August. 1. contr. Maximinum lib. in principio to. 6.*

[d] *Hæres. 73.*

[e] *de Spiritu sancto 17. & 19.*

[f] *in 7. Synod. act. 1.*

[g] *Homil. 66.*

[h] *2. doctr. fidei 19.*

[i] *Homil. 5. in Numer. post initium.*

[k] *in Psalm. 2.*

prophanæ magna ex parte legibus non ſcriptis reguntur. Pericles apud Thucydidem paritur Ius Athenarum in ſcriptum, & non ſcriptum. Ariſtotel. [l] tertio politicorum, partim optimis legibus, partim arbitrio optimi viri, ciuitatem regendam eſſe ſtatuit. [m] Lycurgus Lacædemonijs nullam legem ſcriptam dare voluit: quod placuiſſe Ciceroni, ex primo de legibus apparet. Idem de ſapientibus Gallorum [n] Cæſar docet. Denique ius [o] ciuile, & ius [p] Canonicum eandem tribuunt authoritatem legi ſcriptæ, & conſuetudini non ſcriptæ.

Tertium, quod traditio maximè competat dignitati Eccleſiæ, quæ præſtat omnibus ſectis, cum ſit ſola Chriſti ſponſa, & particeps ſecretorum eius. At ſi omnia eſſent ſcripta, nihil ſibi peculiare dumtaxat vendicaret Eccleſia. Nihil enim minus ſcirent Hæretici, Pagani & Iudæi, quam Eccleſiæ antiſtites, de myſterijs fidei.

[q] Quartum, ex dignitate multorum myſteriorum quæ non decet ſcripturis vulgari: Quare ſeorſim [r] Chriſtus diſcipulis interpretabatur parabolas: [s] Apoſtoluſque dicebat, ſapientiam loquimur inter perfectos.

l *cap.* 11.

m *apud Plutarch. in Lycurgo folio duplici poſt initium & amplius, Leges ſcriptas* (inquit) *nullas Lycurgus tulit: Itē, legū vna fuit, ſcriptis legibus non vti.*

n *6. de bello Gallico, longe ante medium cum agit de diſciplinâ Druidûm.*

o *leg. diuturna, ff. de legibus.*

p *diſtinct. 1. can. Conſuetudo.*

q *hanc rationem attingit Dionyſ. 1. Eccleſ. Hierarch. initio, & fine. & Baſil. lib. 27. de ſpiritu ſancto ante medium.*

r *Lucæ 8.*

s *1. Corinth. 2. verſ. 6.* σοφίαν λαλοῦμεν ἐν τοῖς τελείοις.

Explicantur regulæ quinque quibus in cognitionem verarum traditionum deuenimus.

CAP. IX.

PRIMA Regula. *Quando vniuerſa Eccleſia aliquid tanquam fidei dogma amplectitur, quod non inuenitur in diuinis literis, neceſſe eſt dicere ex Apoſtolorum traditione id haberi.* Cuiuſmodi eſt perpetua B. Mariæ virginitas. Quod enim Eccleſia vt de ſi-

de tenet, certè de fide eſt. Eccleſia enim errare non poteſt. At nihil eſt de fide, niſi quod Deus per Apoſtolos, aut Prophetas reuelauit, vel quod euidenter inde deducitur, & proinde euidenter in illo habetur & traditur. Non enim nouis reuelationibus nunc regitur Eccleſia.

Secunda, *Quando vniuerſa Eccleſia aliquid ſeruat, quod nemo conſtituere potuit, niſi Deus: quod tamen nullibi ſcriptum inuenitur, neceſſe eſt dicere ab ipſo Chriſto & Apoſtolis traditum.* Eadem ratione qua ſuperiori. Eccleſia ſiquidem non ſolùm in credendo, ſed nec in operando errare poteſt. Tale eſt paruulorum Baptiſma.

Tertia, *Quod in Eccleſia vniuerſa, & omnibus retrò ante temporibus ſeruatum eſt: etiamſi illud inſtituere potuerit Eccleſia, merito tamen ab Apoſtolis deſcendere creditur.* Cuiuſmodi eſt ieiunium [a] quadrageſimæ. Hæc regula Auguſt. eſt [b] quarto contra Donatiſtas.

Quarta, *Quando omnes Eccleſiæ DD. vnanimiter docent (ſiue ſeorſim ſcribentes, ſiue in Concilio generali legitimo cõgregati) aliquid ex Apoſt. traditione deſcendere illud credendũ eſt.* Alioquin Eccleſia vniuerſa errare poſſet, quæ ſuos tenetur audire doctores: non eſt autem neceſſe, vt omnes DD. ſeorſim poſitiuè ſcribant, ſed ſufficit vt aliqui magni nominis ſcribant, alijs non contradicentibus, hoc modo ritus in Baptiſmo Apoſtolicam dicimus traditionem, id enim [c] Baſil. & [d] Tertull. aſſerunt nemine reclamante.

Quinta, *Id credendum Apoſtolicam eſſe traditionem, quod pro tali habetur in Eccleſijs in quibus permanſit continuata ſucceſſio ab Apoſtolis, nec interru-*

[a] *de hac Bernard. ſerm. 3. de Quadrag. ante eum Gregor. magnus homil. 16. in Euang. ad mediũ. ante Gregor. Leo ſerm. 12. de Quadrag. ante Leonem Aug. epiſt. 118. cap. 4. & 119. cap. 15. ac ſermonibus de Quadrag. tom. 10. ante eum Hieron. in 3. Ionæ in illud, & Clamauit & dixit adhuc quadrag. tom. 5. Chryſtom. tom 1. homil. 1. in Geneſ. ad finem ante eos, Abroſ. ſermonib. de Quadrag. Cyrill. catech. 1. ante hos Origen. hom. 10 in Leuit. paulo ante finem, ante eum Iren. apud Euſeb. 5. hiſt. 24. ante eum Ignat. epiſt. ad Philippenſ. verſ. finem.*

[b] *Cap. 6. Illa conſuetudo* (inquit) *quam, & tunc homines ſurſum verſus aſpicientes non videbant à poſterioribus inſtitutam rectè ab Apoſtolis traditam creditur. Et cap. 24. Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliorum inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* [c] *de SS^to. 27.* [d] *de corona militis aliquot poſt initiũ.*

pta per aliquem Epiſcoporum qui nouam introduxerit doctrinam Hæc regula [e] Irenæi eſt, & [f] Tertull. Apoſtoli enim tradiderunt ſucceſſoribus ſuis, cum officio Epiſcopatus, etiam religionis doctrinam.

[e] *3. cap. 3.*
[f] *de præſcript. ad medium.*

Soluuntur obiectiones ex ſcripturis.

CAP. X.

PRIMA obiectio ex tribus locis conflatur Deuter. [a] quarto & [b] duodecimo: *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo. Apocaly.* [c] *vltimo. Si quis apposuerit ad hæc, &c.* Galat. primo: [d] *ſed licet nos, aut Angelus de Cælo Euangelizet vobis præterquam quod &c.* vbi non dicitur *contra*, ſed *præter*, non quomodocumque, ſed vt vult Kemnitius præter ſcripturam, iuxta [e] Auguſtinum, *Si quis ſiue de Chriſto* (inquit) *ſiue de eius Eccleſia, &c.* [f] *non dicam ſi nos, ſed quod adiecit Paulus, ſi Angelus de cælo, vobis annunciauerit, præterquam quod in ſcripturis legalibus, & Euangelicis acceptiſtis, Anathema ſit*, quem ſenſum videtur etiam ſequi [g] Baſilius.

Ad primum teſtimonium reſpondeo, non prohiberi quemcumque additionem, ſed tantum quæ ſenſum præceptorum Dei corrumpat: alias perperam egiſſent Prophetæ, & Apoſtoli, qui poſtea tot addiderunt. Reſpondent aduerſarii nihil addidiſſe niſi vel vaticinia quædam de futuris, vel legis explicationes, vnde non ſunt auſi [h] Apoſtoli aliquid decernere in Concilio ſuo, ſine teſtimonio ſcripturæ. Sed cum Prophetæ & nouum Teſtamentum non niſi generaliſſimè contineantur in lege ſiue libris

[a] *Verſ. 2.*
[b] *Verſ. vltimo.*
[c] *Verſ. 18.*
[d] *Verſ. 8.* ἀλλὰ καὶ ἐὰν ὑμεῖς ἢ ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εὐαγγελίζηται ὑμῖν παρ' ὃ εὐηγγελισάμεθα ὑμῖν ἀνάθεμα ἔστω. *Euangelizauimus vobis anathema ſit.*
[e] *3. contr. literas Petiliani. 6. tom. 7.*
[f] *Siue de quacumque alia re quæ pertinet ad fidem, vitamque noſtram, nõ dicam nos, nequaquam comparandi ei qui dixit: Licet ſi nos, ſed omnino quod ſecutus adiecit, &c.*
[g] *in ſumma Moralium ſumma 72. cap. 1.*
[h] *Act. 15.*

Mosis. Hoc modo & nos [i] dicere possumus traditiones esse legis explicationes. Falsum est autem nihil sine scripturâ decreuisse Apostolos: vbi enim quæso in veteri Testamento habetur, Messiæ tempore prohibenda esse suffocata, & sanguinem.

Ad secundum solùm prohiberi additionem huiusmodi libro: alioquin malè feciſſet ipsemet Iqannes qui iuxta [k] Kemnitium scripsit Euangelium post Apocalyp.

Ad tertium, duplex solutio. Prior non dixisse Apostolum, præterquam quod scripsimus, sed *quod Euangelizauimus*. Euangelium autem suum partim scripsit, partim traditione cõmunicasse. Augustin. verò, & Basil. non interpretantur ex professo hunc locum: sed tantum probare intendunt, inde non licere quidquam addere contrarium scripturis: quod certè verum est. Cum enim vniuersaliter prohibeat Paulus additionem ad suum Euangelium: idque partim scriptis, partim traditione contineatur: hinc optimè licet concludere nihil esse addendum contrarium scripturis: sicut & concludi posset nihil esse addendum, aut sentiendum contrarium traditionibus.

Posterior: illud, *Præter*, idem valere ac, Contra, ac proinde tantum prohiberi contraria dogmata. Tum quia Apostolus ipse, multa alia postea docuit. Tum quia ex proposito agit contra docentes seruanda esse legalia, cum ipse docuisset non esse seruanda. Tum quia eadem voce, quæ Græcè est παρὰ vtitur pro, *contra*, Roma. [l] vltimo. Tum quod Ambros. interpretatus sit, [m] *Si contra*. Hierony. [n] *Si aliter*. Chrys. verò Oecumen. & Theophyl. non dixisse Apostolum si contraria, sed si præterquam quod, &c. vt indicaret non solùm eos anathematizari qui apertè contraria sanæ doctrinæ docent, sed etiam qui obliquè. Basil. eo in loco quem pro se citaue-

[i] *Augusti. 1. contra Cresc on. 33. to. 7. eamdem* (inquit) *scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ quam ipsarum scripturarũ commendat authoritas. Vt quoniam Sancta scriptura fallere non potest, quisquis fallit metuit, huius obscuritate Quæstionis, eandem Ecclesiam de illa cõsulat, quam sine vllâ ambiguitate Sãcta scriptura demonstrat.*

[k] *in Exam. p. 202.*

[l] *Vers. 17.* παρακαλῶ ὑμᾶς, σκοπεῖν τοὺς τὰς διχοστασίας καὶ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν ἣν ὑμεῖς ἐμάθετε ποιοῦντας. *Rogo vos vt observetis eos qui dissentiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt.*

[m] *Si aliter: in 1. ad Galat.*

[n] *in 1. ad Gal. to. 6.*

rat Kemnitius, docet ex his [o] Pauli verbis haberi eos recipiendos, qui conſona ſcripturis tradunt, reiiciendos qui aliena. Denique Auguſt. Ipſe exponit, *Contra*, lib. decimo [p] ſeptimo contra Fauſtum.

Secunda obiectio, ſumitur ex Ioan. vigeſimo. [q] *Multa quidem & alia ſigna*, &c. quo in loco docetur ſcripta eſſe quæ ad ſalutem ſufficiunt: vt expoſuerunt [r] Aug. & [s] Cyrill. Item ex ſecunda [t] ad Timoth. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum*, &c. Per illud enim, *Omnis ſcriptura*, totum corpus librorum canonicorum intelligi vult Kemnitius, quia quod ſequitur *vtilis eſt*, &c. nequit vni libro ſacro ſeorſum conuenire, vtilis verò dicitur quia conſtituta eſt, vt medium omnino neceſſarium ad perficiendum hominem Dei, ſicut cibus dicitur vtilis ad alendum hominem: Quatuor autem ſufficiunt ad perficiendum Chriſtianum, primum, vt poſſit doctrinam fidei docere, & hoc ſcriptura habet. Quia *vtilis eſt ad docendum*. Secundò vt poſſit errores contra fidem refellere: & hoc etiam gaudet, *quia vtilis ad arguendum*. Tertio, vt doctrinam morum docere valeat. Id quod præſtat ſcriptura, quia *vtilis ad erudiendum in iuſtitia*. Quarto vt errantes circa mores corrigere poſſit, & hâc in parte etiam ſcriptura ſufficit, quia *vtilis ad corripiendum*. Ex quibus habetur totam ſcripturam ſimul, eſſe medium neceſſarium, & ſufficiens, Chriſtiano homini ad omne opus bonum.

Ad primum reſpondeo, Ioannem loqui tantum de miraculis Chriſti, de quibus ait ſe ſuffi-

[o] *in 1. ad Gal. to. 4.*
[p] *cap. 3. ad initium, tom. 6. & tract. 98. in Ioan. ad finem, tom. 9.*
Non ait (inquit) *pluſquam acceperitis, ſed præterquã quod accepiſtis. Nam ſi illud diceret ſibi ipſi præiudicaret, qui cupiebat venire ad Theſſalon. vt ſupplerent quæ illorum fidei defuerant. Sed qui ſupplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit. Qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in viã, ſed recedit de viã.*
[q] *Verſ. 30. fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc v. 31. Hæc autẽ ſcripta ſunt vt credatis quia Ieſus eſt Chriſtus filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius.* πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα σημεῖα ἐποίησεν ὁ Ἰησοῦς ἐνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ἃ οὐκ ἔστι γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ. *verſ.* 31. ταῦτα δὲ γέγραπται ἵνα πιστεύσητε ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, καὶ ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.
[r] *Tract. 49. in Ioan. initio, & 1. de Conſenſu Euangeliſt. cap. vltimo ad finem tom. 4.*
[s] *12. in Ioan. vltimo.*
[t] *cap. 3. v. 16. & 17.*

[u] *Nec mouere debet quod dicat Kémnit. non inuenire in quocumque libro ſcript. has 4. vtilitates. Nam nulla eſt pars ſcripturæ breuior ſecunda Ioan. & tamen in ea prædicatur Chriſtus verus Dei filius quod eſt dogma fidei, prædicatur dilectio, dogma morũ, declarantur qui ſint Antichriſti, quod pertinet ad hæreticos refellendos, & reprehenduntur qui dicũt hæreticũ Aue, quod ad correctionẽ morum ſpectat.*

[x] *Sic enim ait* χαὶ βλέπετε τὰ ἱερὰ γράμματα οἰδατε, τὰ δυνάμενα σε σοφίσαι εἰς σωτηρίαν διὰ πίστεως τῆς ἐν Χριστῷ Ιησοῦ. *Ab infantia literas noſti (vtique vetus Teſtamẽt. nouum enim nondum erat editũ in infantia Timothei vt etiam aduerſarij admittunt) quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem quæ eſt in*

cienter ſcripſiſſe, ad perſuadendum hominibus Chriſtum Dei filium. *Si* enim abſolutè loqueretur, cum de rebus à ſe ſcriptis tantum agat, ſuperfluæ eſſent omnes aliæ ſcripturæ. Quod autem addit, *hæc autem ſcripta ſunt*, &c. non ſignificat ea ſola ſufficere ad ſalutem, ſed eſſe vnum ex mediis. Ad Cyrill. & Aug. nihil aliud velle quam ſufficienter eſſe ſcripta de factis, & dictis Chriſti, quæ viſa ſunt Apoſtolis congrua vt ſcriberentur, ſufficientia quidem ad ſalutem, non abſolutè, & ſimpliciter ſed pro parte ſuâ.

Ad ſecundum reſponderi poſſet ſcripturam eſſe ſufficientem, non in ſe ſimpliciter, ſed quia quæ expreſſè non continet, oſtendit vnde ſint petenda.

Reſpondeo ſecundò, nullo modo intendere Paulum ſcripturam eſſe ſufficientem: Quicumque enim liber ſcripturæ non ſufficit ex ſententia Kemnitij. Sed quod dicit D. Paulus hîc de omni ſcriptura, eſt intelligendum de [u] quocumque libro: tum quia propoſitio eſt vniuerſalis, vt patet ex termino *Omnis*, ergo eius attributum verificatur de quoque competenti ſingulari membro ſcripturæ, quod ſaltem erit vnus ſacer liber. tum quia ſi tantum de totâ ſcriptura loqueretur, comprehendiſſet Euangelium Ioannis, & Apocalypſ. quæ tamen adhuc non extabat. Tum quia ex hoc principio vniuerſali intendit [x] concludere Teſtamẽtum vetus eſſe vtile ad docendum &c. Igitur iuxta Kemnitium non intendit Paulus ſcripturam eſſe ſufficientem. Deinde nuſquam oſtendent aduerſarij illud, *vtilis*, ſignificare, ſufficiens eſt, quamtumcumque ſignificaret neceſſarium, ſicut ex eo quod cibus eſt neceſſarius ad vitam, non rectè infertur, ſolum ſufficere [Illa autem quatuor ſufficiunt quidem ſimpliciter, ſi accipiatur vnum quodque eorum completè, & non per partes, id eſt, vt quis poſſit docere non qui-

dem vnum, aut alterum de fide articulum: sed quidquid spectat ad fidem: & sic de aliis quod nequit ex sola scriptura haberi] Quare sensus huius loci Pauli non erit alius, quam scripturam, pro sua parte vtilem esse, ad reddendum hominem perfectum in omne bonum opus: non tamen se solâ sufficere.

Tertia obiectio ex [y] his locis sumitur, in quibus traditiones damnantur à Christo, & Apostolis.

Respondeo non reprehendi traditiones quas acceperant Iudæi à Mose, aut Prophetis, sed à quibusdam recentioribus vt docet [z] Irenæus: de quibus [a] Epiphan. & [b] Hierony. Quare Christus aut Apostoli, nusquam vocant eas traditiones Mosis, aut Prophetarum: & apertè dicunt se loqui de pugnantibus contra Scripturas.

Christo Iesu. Et ne Timotheus de hâc re dubitaret subiungit Paulus, omnis scriptura, &c.

[y] *Isaiæ 29. v. 13. Matth. 15. v. 5. & 8. Marc. 7. v. 6. ad Galat. 1. v. 14. Coloss. 2. v. 8. 1. Petr. 1. v. 18.*

[z] *4. cap. 25. & 26.*

[a] *in hæresi Ptolomæi docet traditiones Iudæorum fuisse 4. expositiones librorum sacrorum, primam Mosis, & hanc non reprehendi à Christo. 2. R. Akiba, 3. R. Iuda, 4. filiorum Asamonæi, & has reprehendi.*

[b] *epist. ad Algasiam q 10. aliquot ante finem docet traditiones Iudaicas quas dominus reprehendit initium habuisse à R. Akiba, & Simeone siue Sammai, & Hillel. quas tradition. δωτεώσεις vocant contra quas extat constitutio Iustiniani. Nouell. 146.*

Soluuntur obiectiones ex Patribus.

CAP. II.

PRIMO [a] Irenæum proferunt, *Non enim* (inquit) *per alios dispositionem salutis cognouimus, quam per eos per quos Euangelium peruenit ad nos. Quod quidem tunc præconiauerunt, postea verò per Dei voluntatem in scripturis nobis tradiderunt.*

Respondeo Irenæum non dixisse quidquid prædicauerunt scripsisse, sed tantum Euangelium quod prædicauerant, scripsisse: vt experientia constat, sed multa sunt præterea necessaria quæ non habentur in Euangelio. Deinde etsi dixisset omnia scripsisse quæ prædicarant, intelligendum esset [b] quæ prædicauerant vulgò omnibus, quare cum traditiones non præ-

[a] 3. cap 1.

[b] *In doctrinâ*

Christianâ quædam sunt simpliciter omnibus, & singulis necessaria ad salutem, qualis est notitia articulorũ Symboli Apostol. decem præceptorum, & nonnullorum Sacramentorum. Nam sine hac notitia nemo adultus ad baptismum admittitur. Quædam sunt etiam sine quorum notitiâ explicitè homo [primatus] saluari posset modo promptâ habeat voluntatem ea suscipiendi, & credendi cum sibi fuerint legitimè per Ecclesiam proposita Primi generis Apostolos prædicasse indifferenter omnibus, non item secundi, Hæc Bellarm.

[c] *lib. 3 in epist. ad Rom dua p. post initium & in 1. Hier. aliquot ante mediũ.*

[d] [*posset etiam responderi quamuis admitteremus sensus nostros sine scripturis non habere fidem vt loquitur Origenes: non tamen sequi traditiones non habere fidem nisi ex scripturis: quia traditiones non sunt à nostro proprio sensu.*]

dicauerint omnibus vulgò, sed idoneis eas pro necessitate Ecclesiæ tractandi, non concluditur eas quoque scripsisse.

Secundò, [c] Originem docentem oportere nos de rebus diuinis non loqui ex proprio sensu, sed omnia esse confirmanda scripturis.

Respondeo [d] Originem loqui de obscurissimis quæstionibus, quales vt plurimum non sunt quæ traditionis testimonio confirmantur. Quare ipsemet Origines in Numer. [e] ait plurima seruari in Ecclesia omnino seruanda, de quibus testimonia non extant.

Tertio Constantinum apud Theodoret. *Euangelici, & Apostolici libri* (inquit) *& antiquorum Prophetarum oracula plane instruunt nos, quid de rebus diuinis sentiendum sit. Proinde hostili posita discordia ex verbis diuinitùs inspiratis sumamus quæstionum explicationes.*

Respondeo: Constantinum fuisse magnum Imperatorem: sed non magnum doctorem.

Deinde dicimus, sacram scripturam de naturâ diuinâ planè instruere si rectè intelligatur, non rectè autem intelligitur sine sensu proprio scripturæ, qui ex Ecclesiæ [g] traditione habetur. Quare Arius ex traditione damnatus fuit, cuius damnationi Constantius ipse subscripsit.

Quartò, [h] Athanas. *Sufficiunt* (inquit) *sanctæ ac diuinitus inspiratæ scripturæ ad omnem institutionem veritatis.*

Respondeo, Kemnitium addidisse illud, *omnem*, de suo. Non enim loquitur ibi Athanas.

[e] *Hom. 5. aliquot post initium.* [f] *primo hist. 7.* [g] *apud Theodor. sup. c. 8. ex epist. Athanas. ad Afros.* [h] *Libro contr. gentes sine contra idola initio,* αὐτάρκεις μὲν γὰρ εἰσὶν αἱ ἁγίαι καὶ θεόπνευστοι γραφαὶ, πρὸς τὸ τῆς ἀληθείας ἀπαγγελίαν. εἰσὶ δὲ καὶ πολλοὶ τῶν μακαρίων ἡμῶν διδασκάλων εἰς ταῦτα σπουδάσαντες λόγοι.

de omnibus dogmatibus, ſed tãtum de duobus, ſcilicet, quod idola, non ſint Dij: & quod Chriſtus ſit verus Deus, & homo: quæ duo habere clara in ſcripturis teſtimonia docet Athanaſ. [i] non tamen ſine explicatione *SS.* Patrum.

Quintò Baſilium ſerm. de fidei confeſſione: *Infidelitatis* (inquit) *argumentum fuerit, & ſignum ſuperbiæ certiſſimum, ſi quis eorum quæ ſcripta ſunt aliquid velit reiicere, aut eorum quæ non ſcripta introducere.*

Reſpondeo Baſilium loqui, de illis qui addunt ſcripturis aliquid contrarium: aut ex capite ſuo fingunt traditiones. Nam eodem ſermone ait, ſe vſum contra Hæreticos ſermonibus non ſcriptis, conſentientibus tamen ſcripturis.

Alium locum ex [k] Baſilio producunt, *Non putamus* (inquit) *æquum eſſe, vt quæ apud illos obtinuit conſuetudo, pro lege, & Canone habeatur rectæ doctrinæ. Stemus itaque arbitratu à Deo inſpiratæ ſcripturæ.*

Reſpondeo, non agere Baſil. de traditione in totâ Eccleſiâ receptâ. Sed de particulari conſuetudine, quæſtio enim erat, num in Deo eſſent dicendæ tres Hypoſtaſes, vna natura: alij negabant, alij affirmabant, & vtrique nitebantur ſua conſuetudine. Cum autem ex contrarijs conſuetudinibus nihil certi ſtatui valeat, meritò à conſuetudine ad ſcripturam Baſilius prouocauit.

Sextò Chryſo. [l] *Si quid dicatur* (inquit) *abſque ſcriptura, auditorum cogitatio claudicat, &c.* Sed verbis immediatè præcedentibus dixerat. *Neque enim oportet dicere quidquam ſine teſtibus, ſolâque animi cogitatione*, vnde apparet ſenſum eſſe: ſi quid dicatur ex propriâ inuentione, non adeò facilè perſuaderi, quam ſi id ſcripturâ confirmari poſſet. Alium ex Chryſoſt. [m] locum producunt: *Cum habeamus* (inquit) *omnium exactiſſimam trutinam, gnomonem, & regulam, diuinarum le-*

[i] *Sufficiunt quidem per ſe tum ſacræ & diuinitus inſpiratæ*, &c. *tum* (inquit Athanaſ.) *de eadem re plurimi libri à beatis magiſtris conſcripti. Cæterum quia eas lucubrationes ad manũ non habemus, neceſſe eſt, vt quæ ab illis didicerimus tibi ſcripto proferamus.*

[k] *epiſt.* 80.

[l] *Homil. in Pſal.* 95.

[m] *Homil.* 13. *in* 2. *ad Corinth. Producunt etiam ex homil.* 49. *operis imperfecti in Matthæum quo dicitur tempore hæreſim eſſe recurrendum ad ſcripturas, vt inueniatur veritas: ſed illud opus Chryſoſt. non eſt nam. homil.* 48. *vocat homouſianos hæreticos.*

gum assertionẽ, oro vos omnes, vt relinquatis quid huic, vel illi videatur, & de his à scripturis hæc omnia inquirite.

Respondeo: sensum esse cum habeamus omnium (non simpliciter quidem, sed quæ nunc tractabantur, id est, num paupertas opibus sit præferenda) certam regulam diuinam scripturam, magis illi credendum esse, asserenti paupertatem præferendam esse, quam hominum opinioni carnalium qui contrarium sentiunt. Rursus eundem in vigesimum secundum Math. *Quidquid quæritur* (inquit) *ad salutem, totum iam impletum est in scripturis.*

Respondeo loqui de remediis vitiorum, & nullum esse vitium, ad quod sanandum non inueniatur in scripturis aliquod remedium.

n *hæres. 61.*

Septimo n Epiphan. *Nos vniuscuiusque quæstionis* (inquit) *inuentionem, non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex scripturarum consequentia.*

o *supr. cap. 7.*

Respondeo, non dixisse ex scripturarum consequentiâ solùm, alibi o autem docet non omnia à scripturâ accipi posse.

p *lib. de rectâ fide ad Reginas vt citat Bellarm.*

Octauo p Cyrillum. *Necessarium nobis est* (ait) *diuinas sequi literas, & in nullo ab earum præscripto discedere.* Itẽ q *Ego puto* (inquit) *in hoc biduo duo Testamẽta posse intelligi, in quibus liceat omne verbum, quod ad Deũ pertinet requiri, & discuti, atque ex ipsis omnem rerum scientiã capi. Si quid autem superfuerit, quod nõ scriptura diuina decernat, nullam aliam debere tertiam scripturam ad authoritatem scientiæ suscipi.*

q *Homil. 5 in Leuiticum post medium.*

Ad priorem locum respondeo sensum esse, non licere aliquid proferre, quod sit contra scripturas: hoc est enim non discedere à præscripto scripturarum. Ad posterior. non esse Cyrilli, sed vel Origenis aut cuiusdam alterius, qui passim literam destruit vt mysticos sensus ex suo capite astruat. Deinde non excludit traditiones, sed tantùm tertiam scripturam scilicet humanam.

Nonò Theoph. [r] *Diabolici ſpiritus eſt* (ait) *aliquid extra ſcripturarum ſacrarum authoritatem putare diuinum.* [r] 2. de Paſchali.

Reſpondeo ſenſum eſſe quidquid ſcriptum non continetur in Canone ſacrarum literarum non eſſe diuinum: cuiuſmodi ſunt Apocryphi libri, de quibus hoc loco agit tantùm, quique à nonnullis ſupponebantur pro diuinis.

Decimò Apollinarem apud [s] Euſeb. cum ait ſe longo tempore diſtuliſſe ſcribere contra Montani Hæreſim ne videretur addere Euangelico Dei verbo. [s] 5. hiſtoriæ 15.

Reſpondeo, iſta verba non haberi in omnibus codicibus. Deinde, non dixiſſe Euangelico verbo ſcripto, & proinde ſub verbo Euangelico, intelligi poteſt traditio. Denique ſenſū eſſe, ne videretur docere aliquid nouum, & contra ſcripturam. Nam adeò traditioni fauebat, vt ibidem accuſet Montanū, quod non ſeruauerit doctrinam, quam Eccleſia traditione, & ſucceſſione Epiſcoporum acceperat.

Vndecimo Tertull. [t] *Adoro* (inquit) *ſcripturæ plenitudinē. Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina. Si non eſt ſcriptum, timeat væ illud adiicientibus, vel detrahentibus deſtinatum.* [t] contra Hermogenem.

Reſpondeo nihil aliud velle, quam ſe adorare ſcripturæ plenitudinem quantum ad dogma quod tractabat, ſcilicet Deum creaſſe omnia ex nihilo: & Hermogenem qui addebat ad ſcripturam dogma contrarium, ſcilicet Deum produxiſſe omnia ex præiacente materia, incidere in illam maledictionem.

Duodecimò Cyprian. [u] *Si in Euangelio præcipitur* (inquit) *aut in Apoſtolorum Epiſtolis, & actibus continetur, obſeruetur etiam hæc ſancta traditio.* [u] epiſt. ad Pompeium.

Reſpondeo Cyprianum iſta dixiſſe, cum ſuum vellet tueri errorem de Anabaptiſmate Hæreticorum. Quare [x] Auguſtinus meritò Epiſtolam in qua hic habetur locus, refellit. Etſi autem [x] 5. cont. Donatiſtas 23. & ſequent.

Cyprianus hanc de Baptiſ. traditionem reiecerit, quia putabat contra ſcripturas pugnare: non tamen ſequitur omnes reiecisse alias.

Decimo tertio [y] Hierony. *Sine authoritate ſcripturarum garrulitas non habet fidem.* Item [z] *quod de ſcripturis authoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, qua probatur: & alibi.* [a] *quæ abſque authoritate, & teſtimoniis ſcripturarum, quaſi traditione Apoſtolica ſponte reperiunt, atque confinguut, percutit gladius Dei.* Denique in [b] illud: *Dominus narrabit in ſcripturis populorum*, &c. *Videte* (inquit) *quid dicat, qui fuerunt, non qui ſunt, vt exceptis Apoſtolis, quidquid poſtea dicitur, abſcindatur.*

Reſpondeo ad primum locum, eſſe immediatè addendum quod Kemnitius omiſit, ſcilicet *niſi viderentur peruerſam doctrinam etiam diuinis teſtimoniis roborare.* Et ſenſus eſt garrulitatem quorumdam hominum non inuenire fidem apud vllos, niſi ſuos errores ex ſcripturis confirmare nitantur. At neque traditio eſt garrulitas, neque eget neceſſariò teſtimonio ſcripturę. Ad ſecundum non haberi. *Quod de ſcripturis*, &c. ita vt ſonet propoſitionē vniuerſalē. Sed habetur *Hoc quia de ſcripturis*, &c. id eſt illa hiſtoria quæ ait Zachariam quam Iudæi occiderunt inter templum, & altare fuiſſe Patrem Ioannis Baptiſtę, ideò facilè contemnitur, quia ſolùm probatur ex libro apocrypho, non autem canonico. Ad tertium, agere contra illos qui ſua figmenta pro Apoſtolicis traditionibus exponunt. Ad vltimum, ſolùm reiicere quæ ſunt aliena à doctrinâ Apoſtolorum, id eſt contraria Scripturis.

Decimo quarto [c] Auguſt. *In his* (inquit) *quæ apertè poſita ſunt in ſcriptura inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moreſque viuendi.* Item lib. ſecundo [d] de peccat. merit. & remiſſ. *Vbi de re obſcuriſſima diſputatur, non adiuuantibus diuinarum ſcripturarum certis clariſque documentis, cohibere ſe*

[y] *in 1. epiſtol. ad Titum.*
[z] *in 23. Matth.*
[a] *in 1. Aggæi.*

[b] *Commentar. in Pſal. 86.*

[c] *2. de doctrin. Chriſt. 9.*

[d] *cap. 36.*

debet humana præſumptio, &c. & cap. primo libri de bono viduitatis. *Quid amplius te doceam, quam id quod apud Apoſtolum legimus? Sancta enim ſcriptura noſtræ doctrinæ regulam figit: ne audeamus ſapere pluſquam oportet.* Item [e] *ſed nunc nec ego Nicæno, nec tu debes Ariminenſe, tanquam præiudicaturus proferre Concilium*, &c. & in pſal. quinquageſimum ſeptimum *Auferantur de medio chartæ noſtræ, procedat in medium Codex Dei.* Denique libro de [f] Catechizandis rudibus docet proponendam eſſe Catechumenis ſummam breuem doctrinæ ex ſcripturis, quam ſi & credere dicant, & obſeruare promittant baptizari poſſunt.

e *lib. 3. contra Maximinum. 14.*

f 36.

Reſpondeo ad primum locum, loqui Auguſt. de iis quæ neceſſaria ſunt omnibus explicitè ad ſalutem, cuiuſmodi eſt ſymbolum Apoſtol. & decalogus: non autem de iis quæ & implicitè ab omnibus credi debent, & quæ neceſſaria ſunt, ad ſtatum Eccleſiæ Chriſti, à quibuſdam ſecundum conditionis gradum explicitè ſciri. Ad ſecundum, vel intendunt per illum aduerſarij traditiones eſſe Scripturis confirmandas, vel de rebus obſcuriſſimis non poſſe niſi ſcripturam conſuli, & proinde non poſſe traditionibus conſeruari. Non prius, quia Auguſtin. loquitur de rebus ſecundum ſe dubiis quæque ſecum ſuum non ferunt teſtimonium. At traditiones ſuum ferunt teſtimonium ſcilicet conſenſum totius Eccleſiæ, nec niſi ab hæreticis in dubium vocantur. Poſterius etſi verum eſſet, non tamen traditiones eneruaret. Nam reſpõderi poſſet & ſi quæſtionibus adeò obſcuris non ſeruiant: ſeruire tamen aliis multis quæ tamen propter ſuam dignitatem vulgari non debent. Sed neque eſt neceſſe illud admittere, quis enim negabit per Scripturarum certa, & clara documenta Auguſtinum intellexiſſe Scripturæ veritatem? At ipſe docet primo contra Creſconium Scripturæ veritatem à nobis tenes-

ti, quando facimus, quod vniuersæ Ecclesiæ placet, etiamsi nihil de hac re scriptũ legamus, igitur [g] per traditiones etiam certas, & claras poterunt huiusmodi res obscuræ determinari. Ad tertium ita esse interpretandum. *Quid amplius te doceam,* scilicet de professione viduitatis (de hoc enim dogmate tantum agit) quam id quod &c. [h] *sancta enim scriptura.* &c. *ne audeamus sapere plusquam oportet.* id est dicere aliquid quod non sit ei consonum. Ad quartum videri quidem hoc loco aliquid dici contra Concilia: nihil tamen contra traditiones. Sed neque cõtra Concilia. Quod enim velit Augusti. prætermitti Nicæni Concilij authoritatem, non est quod illam paruipendat, sed tum vt ageret expeditius cum [i] Ariano, tum quòd in quæstionibus quæ tunc versabantur extarent testimonia Scripturæ satis clara, quæ anteponenda erant Conciliis. Ad vltimum loqui August. de iis quæ sufficiunt explicitè ad baptismum suscipiendum (dummodo cætera implicitè credantur) non tamen ad ea omnia quæ requirũtur explicitè in Ecclesia, aliàs præter symbolum, & decalogum omnia superflua essent: similiter responderi potest ad illud ex [k] secundo de peccat. merit. *Credo* (inquit) *quod etiam hinc diuinorum eloquiorum clarissima authoritas esset, si homo illud sine dispendio promissæ salutis ignorare non posset.* Sensus enim est, si esset necessarium omnibus ad salutem scire explicitè originem animæ, credo id Deum per scripturas declarasse. vnde non sequitur debere in scripturis haberi quidquid ab omnibus implicitè quidem non tamen explicitè est necessarium sciri.

[g] *ita vt per scripturarum documenta intelligat etiam Aug. traditionum veritatem.*

[h] *Rom. 12. v. 3.* μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν.

[i] *Qui non admittebat Conciliorum authoritatẽ.*

[k] *cap. vltimo.*

Soluuntur

Soluuntur rationes aduersariorum.

CAP. XII.

PRIMA ratio : impossibile est tandiu conseruari potuisse traditiones: cum plurima semper fuerint impedimenta. Propterea enim tot Lycurgi, & Pithagoræ traditiones perierunt.

Respõdeo facilè conseruari potuisse, & posse. Tum quia Deus huius rei curam gerit : qui sicut Ecclesiam per tot annos contra Tyrannorum & Hæreticorum insectationes, ab Adamo verò vsque ad Mosem traditiones, à Mose verò vsque ad nos scripturas conseruauit, pariter & à Christo vsque hæc tempora traditiones quibus gaudet Ecclesia sua conseruare potuit. Tum quia, quamuis scriptæ non sint in diuinis literis, sunt tamen in monumentis veterũ, & Ecclesiasticis libris. Tum quod vsu, & continua obseruatione custodiuntur, tum etiam quod monumenta quædam externa inueniantur, vt altaria, & templa quæ ad longissimum tempus traditiones testantur. Tum denique quod singulis ætatibus orti sint Hæretici noui, contra quos Deus suscitauit quam plurimos homines doctos, qui vt Hæreticis resisterent diligenter inuestigarunt Ecclesiæ doctrinam, & traditiones antiquas.

Secunda ratio : diuinæ literæ scriptæ sunt vt habeamus regulam & normam fidei, ac morum, sicut docet [a] B. Augustꝰ. Sed Dei perfecta sunt opera. Ergo huiusmodi regula erit perfecta, non erit autem perfecta, nisi sit fidei nostræ adæquata. Igitur quidquid ex scriptura

[a] 19. *Ciuit.* 18. & 11. *in Faustum* 5.

non erit, nec etiam de fide erit.

Respondeo ad maiorem, finem præcipuum scripturæ non esse tradere fidei regulam, sed vt sit commonitorium ad cõseruandam & fouendam fidem prædicatione susceptam: alias deberet tantùm continere quæ ad fidem spectant ex se, quod tamen falsum esse constat ex multis scripturæ historiis, quæ ideo creduntur quia scriptæ sunt. Deinde si scriptura sit regula fidei, tantùm partialem esse. [Ad minorem: si sensus sit nihil Deum producere quod habeat rationem partis falsum est, vt patet. Si nihil facere immediate, cui deficiat aliquid eorum quæ ad eius rationem spectant in suo genere verum est: si nullam producere partem quam cum aliis ad vnius totalis constitutionem non coniungat: transeat. Ad conclusionem: etiam huiusmodi regulam esse perfectam in suo genere partialis regulæ, & coniunctam cum iis quę requiruntur ad totalem & adæquatam fidei nostræ regulam scilicet traditionibus. Et proinde falsum erit scripturam esse adæquatam fidei nostræ regulam.]

Tertia, admissis traditionibus patet porta erroribus multis. Quare [b] Papias ex traditione docuit futurum Christi regnum mille annorum hîc in terris post Resurrectionem. [c] Irenæus ex traditione docuit Christum anno quinquagesimo ætatis aut circiter passum. Clemens [d] Alexandr. anno trigesimo.

Respondeo, hoc etiam incommodum ex scripturis sequi. Porrò in Ecclesia est sufficiens iudicium, & authoritas, quibus verum à falso discernatur. Papias autem non tam traditione quam scriptura suum tuebatur errorem vt Hierony. [e] testatur. Irenæus non solum ex traditione, sed etiam ex scripturâ suam sententiam defendebat. Clemens vero ex solâ scriptura

[b] *Euseb. 3 cap. 33. histor. vers. finem.*
[c] *2. cap. 39. & 40.*
[d] *1 stromat.*
[e] *in 49 Isaiæ & in 19. Math.*
[f] *Ioannis 8. Vers. 57. quinquag. annos nondum habes, &c.*

malè intellecta fuit deceptus.

Obiectio vltima, proprium Hæreticorum est [h] sua occultare dogmata, sicut de Basilidianis [g] & Carpocratianis [h] docet Irenæus.

Respondeo Hæreticos simias esse Catholicorum vt ait Cyprianus. Sed inter nostra, & illorum mysteria hoc interest, quod illorum turpissima [i] sint, nostra verò sanctissima.

[g] *1. cap. 23. in fine.*
[h] *cap. 24. paucis ante finem.*
[i] *vide Epiphan. de Gnosticis & August. de Hæresib. cap. 46.*

PRIMI TOMI

SECVNDA CONTROVERSIA GENERALIS, DE Chriſto Capite Eccleſiæ.

Quinque libris explicata.

INDEX
LIBRORVM, ET
CAPITVM SECVNDÆ
Controuerſiæ.

LIBER PRIMVS.

Qui eſt,

DE CHRISTO, ET EIVS DIVINITATE.

Cap. I. EXplicatur ſententia nouorum Samoſatenorum.

II. Explicatur ſententia nouorum Arianorum.

III. Deum vnum numero eſſe ex ſcripturis & PP. demõſtratur.

IIII. Diuinitas filij Dei aſſeritur: Et prima Claſsis argumentorum ex vtroque teſtamento proponitur.

V. Secunda Claſsis ex veteri Teſtamento.

VI. Tertia Claſsis ex nouo Teſtamento.

VII. Quarta Claſsis ex nominibus veri Dei.

VIII. Quinta Claſsis ex attributis.

IX. Sexta Claſsis ex operibus.

X. Septima Claſsis ex Patribus.

XI. Octaua Claſsis ex Sybillis.

XII. Nona Claſsis ex diuinis teſtimoniis viſionum, & miraculorum.

XIII. Demonſtratur diuinitas Spiritus ſancti.

XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. *Soluuntur argumenta hæreticorum.*
XX. *Soluuntur obiectiones contra diuinitatem Spiritussancti.*

LIBER SECVNDVS,

Qui est,

DE CHRISTO, ET EIVS DISTINCTIONE PERSONALI à Patre, & Spiritu sancto.

Cap. I. *DE distinctione personarum in eâdem essentiâ.*
II. *De vocibus quibus vtimur in hoc mysterio explicando.*
III. *De vocibus essentia & Homousios.*
IIII. *De vocibus Hypostasis, & substantia.*
V. *De cæteris vocibus.*
VI. *Ostenditur distinctio personarum.*
VII. VIII. *Et decem sequentibus diluuntur argumenta contra distinctionem Personarum in eadem essentiâ.*
IX. *An filius Dei sit Autotheos.*
X. *De processione Spiritus sancti à Filio.*
XI. *De Origine huius hæresis, quod Spiritus sanctus non procedat à Filio.*
XII. *Ex scripturis ostenditur Spiritum sanctum à Filio procedere.*
XIII. *Idem probatur ex Conciliis.*
XIIII. *Ex Patribus Latinis.*
XV. *Ex Græcis.*
XVI. *Ex ratione.*
XVII *Soluuntur argumenta Græcorum.*
XVIII. *Demonstratur rectè factam additionem illam in Symbolo, Filioque.*
XIX. *Soluuntur obiectiones Græcorum.*
XX. *Concluditur disputatio diuino testimonio.*

LIBER TERTIVS.

DE INCARNATIONE.

Cap. I. *De erroribus huius temporis circa Incarnationem.*
II. *Explicatur hæresis Eutychetis.*
III. *Refellitur.*
IIII. *Soluuntur argumenta eius.*
V. *Explicatur hæresis Nestorij.*
VI. *Refellitur.*
VII. VIII. *Soluuntur eius argumenta.*
IX. *Proponitur quæstio, an ex vnione hypostaticæ sequatur communicatio realis attributorum diuinorum, ac præcipue immensitatis, siue Vbiquitatis.*
X. *Ex vnione hypostatica non fluxisse communicationem realem Idiomatum respectu naturarum.*
XI. *Refellitur vbiquitas humanitatis Christi quia pugnat cum Scripturis.*
XII. *Refellitur Vbiquitas illa, quia repugnat Symbolo.*
XIII. *Refellitur rursus quia repugnat præsentiæ corporis Christi in Eucharistiâ.*
XIIII. *Refellitur denique testimonijs Patrum.*
XV. *Soluitur argumentum hæreticorum.*
XVI. *Soluuntur aliæ obiectiones ex verbo Dei petitæ.*
XVII. *Soluitur argumentum ex incarnatione ductũ.*
XVIII. *Soluitur argumentum ex PP.*
XIX. *Soluitur petitum ex doctrina scholasticorum.*
XX. *Soluitur ex naturali ratione deductum.*

INDEX

LIBER QVARTVS.

Qui est,

DE CHRISTI ANIMA.

Cap. I. *Proponitur controuersia de scientiâ animæ Christi.*

II. *Probatur veritas ex scripturis.*

III. *Probatur ex Patribus.*

IIII. *Ex rationibus.*

V. *Soluuntur argumenta contraria.*

VI. *Proponitur quæstio de descensu Christi ad Inferos.*

VII. *Quod descendere ad inferos non sit omnino extingui.*

VIII. *Christum non pertulisse pœnas damnatorum.*

IX. *Proponitur alius error de descensu Christi ad Inferos.*

X. *Inferos esse loca subterranea distincta à sepulchris.*

XI. *Animas piorum non fuisse in cœlo ante Christi ascensionem.*

XII. XIII *Christum verè ad inferos descendisse ostenditur ex scripturis.*

XIIII. *Adfertur traditio PP. de descensu Christi ad inferos.*

XV. *Christum propriè ac reipsa ad inferos descendisse.*

XVI. *Soluuntur quædam dubia.*

LIBER QVINTVS.

Qui est,

DE CHRISTO MEDIATORE.

Cap. I. EXplicatur breuiter secundum quam naturam Christus sit Mediator.
II. Refutatur error Stancarij de Mediatore.
III. Refutantur ex scripturis errores Caluinistarum, & Lutheranorum de Mediatore.
IIII. Refelluntur ex PP.
V. Ex rationibus.
VI. Soluuntur argumenta sumpta ex scripturis.
VII. Explicantur testimonia PP. quæ aduersarij adferunt.
VIII. Soluuntur argumenta ex ratione.
IX. Ostenditur Christum sibi aliquid etiam meruisse.
X. Soluuntur argumenta Caluini.

LIBER PRIMVS.

DE CHRISTO CAPITE ECCLESIÆ.

Explicatur ſententia nouorum Samoſatenorum.

CAPVT I.

NOVORVM Samoſatenorum author fuit Michael Seruetus qui innoteſcere cæpit [a] anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo. Anno vero milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto Geneuæ combuſtus eſt. Quem ſequuti ſunt, hæretici qui in Tranſſyluania præcipuè ſedem habent, quorum Principes erant Georgius Blandrata, & Franciſcus [b] Dauid.

Sententia Seruetianorum tria docet. Primò: [c] nullam eſſe in Deo diſtinctionem perſonalem. Secundò: [d] Chriſtum ante incarnationem nihil fuiſſe, niſi in mente Dei per ideam. Tertio:

[a] *teſte Surio in Chronico ab anno* 1500.

[b] *Qui anno* 1580. *cum Chriſtum negaret eſſe inuocandum aut Eccleſiæ curam habere à Principe Tranſſylu. ad perpetuos carceres damnatus paulò poſt in phreneſim incidit & poſt biduum expirauit.*

[c] *ita Seruetus* 5. *Trinitat. p.* 189. *& in reſponſ. ad art.* 1. *ac Miniſtri Tranſſylu.* 2. *cap.* 4. *idem docuere Hermogenes Praxeas, Noetus, Sabellius.*

[d] *Seruet.* 3. *Trinit. p.* 92. *idem Ebion, Cherintus.*

[c] communicatam Chriſto homini diuinitatem, non per generationem æternam, ſed per vnctionem gratiæ & inhabitationem: ac proinde poſſe Chriſtum dici Deum, ſed factum, & temporalem. Omnes autem noui Samolateni in his conueniunt Diſſident autem. Quod alij [f] doceant Ieſum Chriſtum inuocandum non eſſe, ſed ſolum Patrem. [g] Alij autem non ſolum inuocandum eſſe, ſed deberi.

[c] *Blädrata diſput. 6. Albana. idem Neſtorius.*

[f] *Franciſcus Dauid, & multi Hungarici miniſtri.*

[g] *Georgius Blaudrata in theſibus, & miniſtri Poloni, de iudicio in cauſa Francyci Dauidis.*

Explicatur ſententia nouorum Arianorum.

CAP. II.

NOuorum Arianorum author fuit, [a] Valentinus Gentilis natione Italus, qui anno vndecimo à morte Serueti apud Bernā Heluetiorum, capitis dānatus eſt, à Zuinglianis. Quem ſequuti ſunt Matthæus Gribaldus, & Franciſcus Liſmanius. Horum ſententia tria docet. Primò, [b] tres eſſe ſpiritus æternos Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, eſſentiali numero differentes.

Secundò, [c] has tres perſonas non eſſe æquales, ſed Patrem eſſe cæteris longè eminentiorem, ita vt ipſe eſſentiator, alij duo eſſentiati debeant dici.

Tertio, [d] filium Dei non eſſe ex nihilo, neque in tempore genitum, ſed ab æterno, & ex patris ſubſtantia.

[a] *ex Actis publicis Geneuenſium in cauſa Valentini, & ex hiſtoria de ſupplicio eiuſd. conſcripta à Bernenſi paſtore.*

[b] *ita Gentilis Protheſi 20. & 23. idem olim Peratæ apud Theodoret. 1. cap. 18. hæretic. fabular. & Ioannes Philoponus apud Suidam, verbo Ioan. Grammaticus.*

[c] *Gentil. libro Antidotorum antidoto 3. fol. 26. idem Arius docuit.*

[d] *Gentil. Protheſi 11. & 21. idem recentiores Ariani apud Auguſt. 6. Trinit. 1.*

Deum vnum numero esse ex Scripturis, & Patribus probatur.

CAP. III.

EX libris legis Deuter. quarto,[a] *Dominus ipse est Deus & non est alius præter eum*, & trigesimo [b] secundo *videte quod ego sim solus, & non est alius præter me.*

Ex historialibus primo, [c] Regum. *Non est sanctus vt est Dominus, neque enim est alius extra te.*

Ex Psalmis. *Quis* [d] *Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum:* Item. [e] *Tu es Deus solus.*

Ex Prophetis. [f] *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit. Ego* [g] *Dominus, & non est amplius, extra me non est Deus.*

Ex sapientialibus. *Non* [h] *est alius Deus quam tu.*

Ex Euangelio [i] *vnus est Deus, & non est alius præter eum.*

Ex Apostol. [k] *scimus quod nullus est Deus, nisi vnus. Qui* [l] *solus potens Rex Regum, & Dominus Dominantium*

At si plures essent Dij numero, tam falso diceretur. *Non est nisi vnus Deus, non est alius præter vnum*, &c. quam qui nunc diceret non est nisi vnus homo: præter eum, nullus homo est, &c. nonobstante vnitate specifica. deinde qui se dicit vnum Deum, & nullum alium præter se, est quid vnum singulare, igitur id falsò diceret, si plures essent numero Dij. Patres autem omnes sæpè sæpius asserunt esse vnum Deum. Cum autem negant posse dici plures Deos Athanas. in symbolo, Cyrill. [m] nono in Ioannem, August. secundo [n] contra Maximinum, negant

[a] *vers.33.*
[b] *ver.39.*
[c] *C.2.v.2.*
[d] *Psal.17.v.32.*
[e] *Psal.85.v.10.*
[f] *Isaiæ 43.v.10.*
[g] *cap.45.ver.5.*
[h] *Sap.12.v.13.*
[i] *Marci 12.v.32.* εἷς ἐστι θεὸς, καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλος πλὴν αὐτοῦ.
[k] *1. Corinth. 8.v.4.* οἴδαμεν ὅτι οὐδὲις θεὸς ἕτερος εἰμὴ εἷς.
[l] *1. Tim. 6.v.15.* ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάστης ὁ βασιλεὺς τῶν βασιλευόντων καὶ κύριος τῶν κυριευόντων, ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν.
[m] *cap.30.*
[n] *cap.1. Ambr.1.de fide 2. Deus in Deo est, non duo dij.*

etiam inueniri numerum in diuinitate. Nazian. tertiâ de Theologia. Nyſſ. lib. de Trinit. Tolet. Concil. [o] vndecimum &c. vocant Deum ſingularem aut naturam eius indiuiduam. Iuſtinus de Monarch. Nazianz. orat. ad Euagrium. &c. [p] non ſemel negant Deum eſſe vnum ſpecie. Cyrillus [q] vndecimo in Ioannem & Auguſt. ſeptimo [r] Trinitat. ſatis oſtendunt ſe ita ſentire Deum eſſe vnum, vt numero non ſint plures. Adde [s] eos profiteri myſterium Trinitatis ideò ineffabile, quòd tres perſonæ ſint vnus Deus. At ſi eſſent vnus ſpecie tantùm nihil in eo myſterij foret. Adde illos dicere [t] Sabellium ad Iudæos, Arium ad Paganos pertinere, Eccleſiam verò mediam viam tenere. At non teneret ſi plures numero Deos admitteret: ſic enim nihil commune cum Iudæis habebit, & omnino cum Gentilibus conſentiet. Adde denique eoſdem velle, Gentiles potuiſſe naturaliter cognoſcere vnum Deum, ſicut nonnullos Philoſophorum cognouiſſe docent [v] Iuſtinus [x] Athenagor. [y] Tertull. &c. At ſi loquerentur de vnitate ſpecifica, nihil dicerent, quia vulgus Gentilium non inficiebatur vnitatem ſpecificam Dei cum ſuos Deos etiam conſanguineos faceret.

[o] *cap. 1.*

[p] *Auguſt. 1. contra Maximinum circa medium Ambroſ. ſup.*

[q] *cap. 20. in fine.*

[r] *Vltimo.*

[s] *Nazianz. orat. in Heronem. Aug. ſupra.*

[t] *Baſil. orat. contra Sabellium & Arium. Nazianz. de natali Domini.*

[u] *de Monarchiâ.*

[x] *in Apologiâ.*

[y] *in Apologetico cap. 17.*

Denique rationibus probatur. Prima quanto aliquid eſt magis Ens eo eſt magis in ſe vnum: quia vnũ eſt paſſio prima Entis, & proinde Ens, quo nullum aliud perfectius eſſe poteſt, perfectiſſimam vnitatem habebit, illa autem eſt quæ vlterius non eſt diuiſibilis. Sed Deus eſt illud Ens perfectiſſimum: ergò illi conueniet hæc perfectiſſima vnitas. Item Quo aliquid perfectius habet eſſe, eo longius abeſt à non eſſe, & proinde à diuiſione quæ eſt via ad non eſſe, ſed Deus perfectiſſimè habet eſſe, igitur perfectiſſimè abeſt à diuiſione.

Secunda ratio. Quia exiſtentia non eſt ali-

quid abſtrahibile ab inferioribus, aut contrahibile per differentias, aut cõtrahens inſtar differentiæ: Exiſtentia vnius ſingularis nequit alteri diſtincto indiuidualiter conuenire, nec quidem ſpecie. Igitur exiſtentia vnius Dei, non poterit alteri indiuiduo nec quidem ſpecie conuenire. Sed exiſtentia vnius Dei eſt ipſiſſima eſſentia diuina, intrinſecè, id eſt re, & ratione. Ergo ipſa eſſentia diuina nõ poterit alteri quocumque indiuiduo conuenire, ſed vnius Dei tantum erit.

Tertia. Deus eſt altiſſimus. Sed non poſſunt eſſe plures altiſſimi. Nam vel eſſent æquè alti, & ſic nullus ſupra omnes, vel vnus altior cæteris, & ſic ille ſolus Deus verus, quia ſolus altiſſimus. Quare vnum [z] tantum altiſſimum agnoſcit ſcriptura. Igitur nec poſſunt eſſe plures Dij.

[z] *Pſal* 82.v.19. *Eccleſiaſt.*1. v.8.

Quarta. Deus eſt vltimus finis omnium rerum. At nequeunt eſſe plures vltimi fines, vel enim cæteri ad vnum referrentur, & ſic ille ſolus vltimus finis, vel multi, aut nulli referrentur alibi. Et ſic quamuis dici poſſent vtcumque plures vltimi fines quarumdam rerum, non tamen plures, aut vnus omnium.

Quinta. Deus eſt infinitus ſimpliciter in eſſentia ſua, ſed infinitum in aliquâ natura comprehendit quodcumque cui natura illa competere poteſt. Igitur Deus comprehendit illud quodcumque, cui natura diuina conuenire poteſt: & proinde nulli alteri illa competere poterit.

Sexta. Si ſunt plures Dij: vel ſine principio omnes, vel vnus ab alio. Prius, eſt impoſſibile. Quia tunc eſſent multa principia diſparata, & in varias partes diſtraherent mundum: non enim neceſſario conuenirent in vnam, & eandem voluntatem. Si poſterius, vel vnus ab alio per creationem, vel per generationem. Si primum igitur creatura eſt & non Deus: ſi ſecun-

dum vel generans dedit totam suam substantiã numero generato, vel partem: si totam ergo natura diuina nullo modo multiplicatur, & proinde non erunt plures Dij: si partem igitur natura diuina partibilis est.

Denique quicumque est Deus, [a] est quoque mundi, siue omnium gubernator. Sed mundi gubernator est tantum vnus. Debet enim mundus optimo regimine gubernari: [b] optimum autem, est regimen per vnum siue Monarchia si inueniatur Princeps sufficiens Igitur quicumque est Deus, est vnus, & præter illum nullus est alius Deus.

[a] *Sap. 14. v. 3. Tua autem prouidentia pater gubernat omnia.*

[b] *vide infra 1. de Rom. Pontif. 2.*

Diuinitas filij Dei asseritur ex vtroque Testamento.

Cap. IIII.

Hic producenda sunt loca veteris Testamenti quæ de vero & vnico Deo propriissimè intelliguntur. In nouo autem de Christo dicuntur.

Primò Numer. [a] vigesimo primo. *loquutus est populus contra Dominum & Mosem, Cur eduxisti nos ex Aegypto &c. Quamobrem Dominus immisit in populum ignitos serpentes.* Primæ autem [b] Corinth. *Neque tentemus Christum sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt.*

Respondent: sensum esse, Non tentemus nos nostrum Christum. Vel ne tentemus reipsa Christum, sicut illi tentauerunt in figura eundem Christum, quia omnia illis in figura contingebant. Sed Paulus illorum, & nostram tentationem ad eundem Christum refert. Cum au-

[a] *Vers. 5.*

[b] *cap. 10.*

[c] *[Deinde si alium Christum filij Israël tentauerunt cum dicatur ille tentatus dominus, vel erat Deus Pater, vel quidam Christus verè Deus præter Redemptorem: igitur, vel Pater erit Christus, vel erunt duo Christi domini.]*

tem dicũt Iſraelitas tentaſſe in figura Chriſtum, vel volunt huiuſmodi tẽtationem fictitiam, & non realem: vel realem quidem fuiſſe, ſed tentaſſe Chriſtum, qui tantum erat in figura. Si prius quomodo ergo pro ficta, & imaginaria aut ludicrâ tentatione, tam acriter puniti ſunt? Si poſterius quomodo Deus tantum in figura, & nullo modo actu exiſtens potuit illos realiter punire? Nam idem dicitur Dominus immiſiſſe ſerpentes, qui & dicitur tentatus. Quare cum ait Paulus omnia illis contigiſſe in figurâ, non poteſt eſſe ſenſus, nihil realiter contigiſſe filiis Iſrael, aliàs omnes veteris Teſtamenti hiſtoriæ eſſent meræ fabulæ, & imaginationes, ſed quæ realiter & actu illis contingebant, ſimul fuiſſe futurorum ſignificationem.

d *Verſ.* 2.

Secundò: Exodi [d] vigeſimo. *Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Aegypti.* Et

e *Verſ* 12.

Deuter. trigeſimo [e] ſecundo *Dominus ſolus dux eius fuit.* At Apoſtolus Iudas, *Ieſus populum de Aegypto ſaluans, ſecundò eos qui non crediderunt perdidit.*

f *Verſ.* 18. & 19.

Tertiò Pſalmo ſexageſimo [f] ſeptimo. *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium, Dominus in eis in Sinai, in ſancto. Aſcendiſti in altum* &c.

g *Epheſior.* 4. *verſ.* 7. & 8.

Hoc autem Paulus [g] de Chriſto interpretatus eſt *vnicuique*, inquit, *noſtrum data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti, propter quod dixit: Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatẽ.*

h *Diſputatione* 5. *Albana.*

Reſpondet [h] Franciſcus Dauid illa verba Prophetæ, aſcendens in altum, eſſe Prophetiam de Chriſto futuro, non autem hoc dici de Deo Iſraelis. Sed quamuis Dauid de futurâ Chriſti Aſcenſione vaticineretur: tamen ibidem ait eundem Chriſtum olim ad montem Sina deſcendiſſe, & pertranſiiſſe cum populo per deſertum.

i *Verſ* 7.

Quartò. Pſalmo [i] nonageſimo ſexto. *Adorate Deum omnes Angeli eius*, & centeſimo [k] primo.

k *Verſ.* 26.

mo. *Tu domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum*, &c. At vtrumque locum Paulus [l] applicat Chriſto Hebræorum primo, vt probet eum eſſe Angelis maiorem: verùm ad priorem locum [m] reſpondent, Chriſtum eſſe adorandum, quia Deus id iuſſit, non tamen vt Altiſſimum, ſed Altiſſimi filium. Sed nos non argumentamur ex adoratione, ſed ex eo quod Paulus dixit ſcriptum eſſe de Chriſto in pſal. quod conſtat ſcriptum eſſe de Deo Iſrael.

[l] *Hebræor. 1. verſ. 6. & 10.*

[m] *Franciſc. Dauid. diſput. 3. & Blaudrata diſput. 6.*

Ad poſteriorem [n] dicunt verba illa. *Et tu domine initio terram fundaſti*, de ſolo patre etiam apud Paulũ intelligi debere: voluit enim oſtendere Chriſtum eſſe filium veri Dei, & ideo apoſtrophen ad Patrem direxit. Tum quia aliàs Paulus pugnaret cum ſymbolo Apoſtolorum in quo ſolus Pater dicitur Creator cæli, & terræ. Tum quod Chriſto contradiceret, dicenti, [o] *Confiteor tibi Pater Domine cæli, & terræ.* Tum etiam quia Paulus ſecum pugnaret: iam enim dixerat ſæcula eſſe per filium facta, non ergo filius condidit cœlum, ſed per filium pater. Denique, quòd ineptè conferret filium cum Angelis, ſi filius Creator eſſet, à creatura enim ad Creatorem nulla eſt proportio. At Paulum non facere apoſtrophen ad Patrem, ſed tantum citare varia loca de Chriſto, ſatis patet ex illa copulatiua. *Et: Ad filium autem*, (inquit): *Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, & tu Domine Initio terram fundaſti.* Ad primam autem & ſecundam probationem dico, Patrem Chriſti eſſe Creatorem, ſed nõ ſine verbo cum quo eſt vnus Deus, & vnus Creator. Ad tertiam & Chriſtum eſſe Creatorem [p] Ioannis quinto, & eum per quam Deus Pater creat. Deus enim potentiâ ſua, & ſapientia mundum creauit: filius autem [q] eſt *virtus & ſapientia Dei*, & [r] *Brachium Domini.* Ad vltimam, ideo Paulum conferre Chriſtum cum Angelis vt oſtendat nullam eſſe comparatio-

[n] *Franciſc. Dauid. ſup. Miniſtri Tranſyluani 2. cap. vlt.*

[o] *Math. 11. v. 25.* ἐξομολογοῦμαί σοι πάτερ κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς.

[p] *Pater meus operatur & ego operor. v. 17.* ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι.

[q] *1. Corinth. 1. v. 24.* δύναμις καὶ θεοῦ σοφία.

[r] *Iſaiæ 53. v. 3.*

[s] *Vers.9. Audite audientes & nolite intelligere*, &c. *v.* 10. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggranata.*

[t] *Vers.* 40.

[t] *Vers.* 41. Ταῦτα εἶπεν Ἡσαΐας ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐλάλησε περὶ αὐτοῦ.

[t] *ita Basil. disput. 2. Albanâ.*

[u] *Vers.* 13. & 14.

[x] *Luc. 2. v.* 34.

[y] *Vers. 6. ponit testimonium Isaiæ deinde v.* 7. ὑμῖν οὖν τοῖς πιστεύουσι, ἀπειθοῦσι δὲ, λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας. *v.* 8. καὶ λίθος προσκόμματος καὶ πέτρα σκανδάλου.

[z] *v.* 3.

[a] *Math. 3. v. 3. Marc. 1. v. 3. Luc. 3. v. 4. Ioan. 1. v.* 23.

[b] *v.* 22. 23. 24.

[c] *v.* 10. πάντες σταθησόμεθα τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ. *v.* 11. γέγραπται γὰρ ζῶ ἐγὼ λέγει κύριος ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ.

[d] *ita Franc. Dauid. disput. 8. Albanâ.*

nemine putaremus eo quod dixerat fuisse minoratum in Passione paulo minus ab Angelis, esse omnino Angelis minorem.

Quinto Isaiæ sexto *vidi Dominum sedentem super solium*, &c. & infra. [s] *Et dixit Dominus ad me dic populo huic excæca oculos ipsorum, & cor eorum aggrana.* At Ioannes postquam, cap. [t] duodecimo, posuit illa verba Isaiæ, subiungit, *Hæc dixit Isaias quando vidit gloriam eius, & loquutus est de eo*, scilicet, de Christo de quo agit Ioannes, hoc in cap.

Respondent, [t] fuisse illam visionem in figurâ, nam Deus vt in se est nemo vidit vnquam.

Verum etsi Isaias non vidit essentiam Dei, tamen speciem quam vidit, Deum Israël representabat: cumque Ioannes affirmet ea specie demonstratum Christum, sequitur Christum esse Deum Israël.

Sextò Isaiæ [u] octauo. *Dominum exercituum ipsum sanctificate ipse pauor vester, & ipse terror vester: & erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & petram scandali*, &c. At hoc ipsum tribuunt Christo [x] Lucas, [y] Petrus. *Vobis* (inquit) *honor credentibus, non credentibus autem lapis offensionis, & petra scandali.* Et Paulus Roman. nono Vers. 33.

Septimo, Isaiæ [z] quadragesimo. *Vox clamantis in deserto parate viam Domino, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* At hanc vocem fuisse Ioannem Baptistam, qui parauit viam Christo testantur [a] Euangelistæ.

Octauo, Isaiæ [b] quadragesimo quinto. *Ego Deus, & non est alius, in memetipso iuraui, quia mihi curuabitur omne genu.* Rom. autem decimo [c] quarto, *Omnes stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim, viuo ego dicit Dominus quia mihi flectetur omne genu.*

Respondent [d] Christo curuari omne genu, non quod sit ille Deus Altissimus, qui loquutus

eſt Iſaiæ, ſed quia Deus Chriſtum hominem exaltauit, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen. Sed nō ſolùm Paulus ait Chriſto flectendum eſſe genu, ſed id ſcriptum eſſe, citatque locum Iſaiæ de vero Deo Iſraël. Quod autem dicitur Pater dediſſe filio nomen, &c. vel intelligendum eſt iuxta [e] Ambroſium dediſſe per æternam generationem : vel iuxta omnes alios, manifeſtaſſe poſt Reſurrectionem Chriſtum verum eſſe Deum.

[e] *in commentar.*

Nono, [f] *Ego ſum primus, ego nouiſſimus.* Apud Iſaiam Apocaly. autē primo dicitur de Chriſto, *Ego* [g] *ſum α & ω. Ego* [h] *ſum primus & nouiſſimus.*

[f] *Iſaiæ 44. v. 6.*

[g] *v. 8. ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ Ω.*

[h] *v. 17. ἐγώ εἰμι ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος.*

Reſpondent [i] non eodem modo accepi illa verba apud Iſaiam, & apud Ioannem : in illo enim dicuntur de Deo, in iſto tantum de Chriſto homine. Sequitur enim *& viuens, & fui mortuus.* Dicitur autem Chriſtus primus quia exaltatus ſuper omnia, nouiſſimus quia eſt complementum operum Dei. Sed etiamſi de quo loquitur Ioannes ſit reuera homo, tamen contendimus ſecundum formam Dei eſſe etiam verùm Deum ab æterno, quia illi ea tribuit Ioan. quæ Iſaias vero Deo, nec minus dicitur apud Ioan primus, & nouiſſimus ſimpliciter, quam apud Iſaiam. At ſi eſſet tantum primus inter creaturas, & complementum operum Dei, non eſſet ſimpliciter primus, & vltimus.

[i] *Franciſc. Dauid ſup. & diſput. 3.*

Decimo Malach. [k] tertio, *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* At Chriſtus Math. [l] vndecimo ait hunc Angelum fuiſſe Ioannem Baptiſtàm, qui præparauit viam ante faciem Chriſti.

[k] *Verſ. 1.*

[l] *Verſ. 10.*

Ad omnia hæc teſtimonia [m] reſpondent generaliter poſſe de Chriſto exponi quæ de Deo dicuntur, quia Deus Chriſto deitatem communicauit. At ſi vtipſi volūt Chriſtus ante Mariam non fuit, quomodo verè, & realiter

[m] *Tranſyl. lib. 2. cap. 20.*

potuerunt illi competere in veteri teſtamento, quæ de ipſo vt vero Deo Iſrael Prophetæ teſtantur? Deinde quomodo Deus ſuam communicauit deitatem Chriſto? certè iuxta illos non gignendo illum, igitur per vnctionem & inhabitationem. At Angelis hoc modo Deus etiam ſeipſum communicat, ergo poſſent quoque de illis rectè explicari, quæ dicuntur de vero Deo, in ſcripturis. Adde inhabitationem Dei in Chriſto non poſſe facere Chriſtū Deum: aliàs ſimili ratione Palatium regium rectè Rex dici poſſet.

Probatur ex veteri Teſtamento.

CAP. V.

PRIMVS locus ex Pſal. ſecundo (quē de Chriſto & Rabbini & ante eos Apoſtoli intellexerunt) ſumitur, ſcilicet: [a] *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* [b] *Et nunc reges intelligite, &c.* [c] *Apprehendite diſciplinam*, ſiue vt habet Hebræus, *Oſculamini filium*, videlicet, in ſignum ſubiectionis. *Ne quando iraſcatur*, quis niſi filius vocem enim Dominus ſeptuaginta addiderunt, quatenus intelligeremus ipſum filium eſſe, Dominum, [d] *Cum exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui ſperant in eo.* Ex quibus habemus Meſſiam eſſe filium Dei adorandum ab omnibus regibus, & quibus iraſcitur fore perituros, qui in illo confidunt, fore verò beatos. At ſolus verus Deus habet imperium vitæ & mortis, ac ſcripturæ [e] paſſim docent in ſolo Deo confidendum eſſe, igitur Chriſtus eſt verus Deus.

Secundus Iſaiæ quadrageſimo octauo. [f] *Ego*

[a] *Verſ.* 7.
[b] *Verſ.* 10.
[c] *v.* 12. נַשְּׁקוּ בַר *Naſcſceku bar.*
[d] *V.* 13.
[e] *Hierem.* 17. *v.* 5. *cum* 7.
[f] *v.* 12. 13. 16.

ipſe & ego primus, & ego nouiſſimus: manus quoque mea fundauit terram, &c. *Non à principio in abſcondito locutus ſum: ex tempore antequam fierent ibi eram. & nunc dominus meus miſit me & ſpiritus eius.* Qui mittitur hîc, nequit eſſe niſi Filius: quia ipſemet teſtatur [g] ſe miſſum à Patre, & à [h] Spiritu ſancto. Sed qui ſe miſſum dicit, ſe quoque primum, & nouiſſimum ac mũdi creatorem aſſerit, quod ſolius Dei veri proprium eſt. Igitur filius Dei eſt verus Deus.

Reſpondet [i] Franciſcus Dauid, illa verba: *E nunc dominus Deus miſit me*: dicta eſſe à Prophetâ de ſeipſo: quam explicationem à Vatablo, Vatablus autem à Rabbinis accepit.

Primò, quia ſi de Chriſto hic intelligeretur locus, Chriſtus ante incarnationem extitiſſet. At quiſquis aſſerit Chriſtum extra, & ante carnem fuiſſe, hic Antichriſtus à [k] Ioanne vocatur. Ergo, &c.

Secundò, Paulus Hebræor. 1. ait, Deum nouiſſimè in Filio locutum. Sed qui loquitur in illo Iſaiæ loco, ſe a principio locutum, exprimit.

Tertiò, illud: *Ibi eram*: Solet à Catholicis explicari, *in monte Syna eram.* At [l] Galat. 3. dicitur lex data in monte Syna per Angelos. Igitur non per Chriſtum.

Contra. loqui ad litteram Iſaiam de Chriſto patet. 1. ex conſenſu PP. [m] 2. ex ipſo textu: ſiue vt [n] nos legimus, ſiue vt Hebræi *A tempore eſſendi hoc, ibi ego, & nunc Dominus Deus miſit me*, id eſt, [o] *cum fieret, ibi eram*: ſicut: vt verterunt Septuaginta, ἀπὸ τοῦ γενέσθαι, ἐκεῖ ἤμην, vel enim ſenſus eſt: *antequam*, vel, *cum fieret cœlum & terra, ego ibi eram*: vel, *ante aut cum eſt lex data in Syna*: quorum certè neutrum conuenire poteſt Prophetæ: vel: *cum fieret hæc Prophetia ibi aderam* At hæc interpretatio ridicula eſt: quis enim

[g] *v.* 18.
[h] *Luc.* 4. *v.* 18.
[i] *diſput.* 5. *Albana.*
[k] 1. *Ioan.* 4. *v.* 3.
[l] *Hebræor.* 1. *v.* 19.
[m] *Origen.* 1. *contra Celſum vltra medium. Euſeb.* 5. *demonſt.* 6. *Athan. ſerm. de Sanctiſſ. Deipar. vltra medium. Chryſoſt. de ſancto & adorando Spiritu, tom.* 3. &c.
[n] *ſupra.*
[o] מְעֵת הֱיוֹתָהּ שָׁם אָנִי *Megheth heiothaah Schamani. Et nunc Dominus Deus miſit me.* וְעַתָּה אֲדֹנָי יְהוִה שְׁלָחָנִי *vegata Adonai Iehoua ſchelachani.*

non est vbi loquitur? vel: *ante, aut cum est euersa Babylon à Cyro*: Siquidem hac dere, paulo antè loquebatur Isaias. Sed quomodo id potuisset Isaias dicere: cum ducentis annis post mortem Isaiæ euersa sit Babylon à Cyro.

Restat ergo, Prophetam ex improuiso mutare personam, & cum dixisset in persona Dei: *Antequam fieret, ibi eram.* Subiungat in persona sua. *Et nunc misit me Dominus.* Sed obstat copulatiua, Et, quæ habetur in textu Græco, Hebræo, & Latino. Cogit enim illa copulatiua vt de vno, & eodem intelligamus omnia. Alioquin si liceret, sine causa fingere mutationes personarum, nihil vnquam certi, ex diuinis posset colligi litteris.

Ad primam Dauidis probationem, negatur Minor: Tantum enim Ioannes ait, Antichristum esse, quisquis soluit IESVM, id est, *qui negat Filium Dei, esse factum verè filium hominis*: hoc est enim diuidere Verbum æternum à carne: sicut & faciunt ipsi Transsyluani.

Ad Secundæ Maiorem, Nihil aliud intendere Paulum, quam vltimo tempore locutum fuisse Deum corporali ore, & voce per incarnatum filium, qui simul cum Patre loquebatur olim per os Prophetarum.

Ad tertij Minorem, legem fuisse datam in Syna à Patre, Filio, & Spiritu sancto, sed ministerio Angelorum,

P *v.* 4. 5. 6. Tertius, P Isaiæ trigesimo quinto, *Deus ipse veniet & saluabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum* &c. Hæc intelligi de Christo patet: 1. quia Christus ipse 9 respondit discipulis Ioannis: *Euntes nunciate Ioanni* &c. *Cæci vident, surdi audiunt.* &c. 2. quia nusquam Deus per vllum Prophetarum hæc signa edidit: 3. Quia Isaias de tempore futuro loquitur. At omnes Prophetæ qui

9 *Math.* 11. *v.* 4. & 5.

fecerunt miracula fuerunt ante Iſaiam. Quando vero poſt Iſaiam Deus ipſe venerit, & hæc ſigna ederit qui negabit Chriſtum Deum, nuſquam aſſignare poterit. nomine enim Dei non intelligi niſi verum Deum hinc liquet quod abſolute ponatur, prophetæ vero nuſquam appellant falſum aut metaphoricum Deum, abſolutè Deum. Tum denique quod [r] PP. ita exponunt.

Quartus. Iſaiæ quinquageſimo [s] ſecundo, *Dicit Dominus iugiter tota die nomen meum blaſphematur*, ibi loqui verum Deum, certum eſt, nam vtitur nomine ineffabili, nominat ſe Deũ Iſrael, & vocat Iudæos populum ſuum, ac ſe eſſe qui per prophetas loquebatur. Hunc autem eſſe ipſum Chriſtum patet: quia immediatè ſubiungit. *Propter hoc ſciet populus nomen meum in illa die, quia ego ipſe qui loquebar Ecce adſum.* Quando enim qui loquebatur per prophetas adfuit præſens vt per ſe loqueretur, niſi cum natus eſt Chriſtus? Quare [t] Tertull. Euſeb. [u] Ambroſ. [x] Hierony. [y] & Cyrill. hunc locum exponunt de Chriſto.

Quintus. [z] *Hæc dicit Dominus: Labor Aegypti, & negotiatio Aethiopiæ, &c. te adorabunt, teque deprecabuntur, tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus, verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſaluator.* Hæc dici nequeunt de Patre, cum ipſe pater ſit qui dicit de alia perſonâ, *Te adorabunt*, &c. Neque de Cyri perſona, de quo ſuperius agitur. Igitur vel de perſona Cyri vt gerentis figuram Chriſti, vel de ipſo Chriſto ſimpliciter.

Sextus. [a] *Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum* &c. *Poſt* [b] *hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* At quando Deus conuerſatus cum hominibus, & in terris viſus, niſi quando Chriſtus apparuit. Ita expoſuêre hunc locum [c] PP.

[r] *Iren. 3. cap. 22. ante finem. Cypr. 2. contr. Iudæos 7. Euſeb. 6. demonſtr. 21. Hieron. & Cyrill. in hunc locum Iſaiæ. Auguſt. de quinque hæreſ. cap. 6. &c.*

[s] *v. 5.*

[t] *4. in Marc. ante medium.*

[u] *6. demonſtr. 24.*

[x] *2. de fide. 3.*

[y] *in hunc locum.*

[z] *Iſaiæ 45. v. 14. & 15.*

[a] *Baruch. 3. v. 36.*

[b] *v. 38.*

[c] *Cyprian. 2. contr. Iudæ cap. 5. Euſeb. 6. demonſtr. 19 Ambr. 1. de fid. 2. Hilar. 5. Trinit. in fine Naz. 4. de Theolog. Baſil. 4. in Eunomium non procul a fine, &c.*

[d] *Zachar.2.v.8.9. 10.11.*

Septimus [d] Hæc dicit Dominus exercituum, *Post gloriam misit me ad gentes &c. & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me, lauda, & lætare filia Syon, quia ego ecce venio, & habitabo in medio tui dicit Dominus, &c. & scies quia Dominus exercituum misit me.* Ibi enim Dominus exercituum dicitur missus à Domino exercituum, nullus autem vocatur Dominus exercituum in scriptura, nisi verus Deus.

disput.8.

[e] *disput.8.*

Respondet [e] Franciscus Dauid, non esse id ad propositum, quod sit vaticinium de futuro, & proinde hinc non sequi Christum fuisse ante incarnationem. Deinde negat scriptum esse *Iehoua*, misit me *Iehoua*. Sed ipsemet non respondet ad propositum. Non enim vim facimus in præterito, aut futuro. Sed quòd qui loquitur dicat se Dominum exercituum missum à Domino exercituum. Etsi autem non sit scriptum, *Iehoua, misit me Iehoua* his verbis simul positis, scriptum tamen est iisdem, licet, quibusdam interpositis, quæ sensum non mutant.

[f] *Zach.3.v.1.& 2.*

Octauus. [f] *Ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini, & diabolus stabat à dextris eius vt aduersaretur ei, & dixit Dominus* יְהוָה *ad Diabolum increpet te Dominus* יְהוָה *satan, Dominus qui elegit Hierusalem.* Ex quibus sequitur Dominum Iehoua non esse vnam personam sed plures. Alteram autem harum esse Christum docent [g] Euseb. [h] Hierony. & Rupertus: Theodo. autem rationem reddit: quòd scilicet Satan aduersaretur Iesu filio Iosedech gerenti figuram Christi: vnde cum non posset ille Iesus per se resistere Satanæ, filius Dei qui & ipse Iesus increpuit pro illo Satanam. Dicet aliquis Angelum coram quo stabat Iesus esse illum Dominum qui dicit increpet te. Nam hæc vox tribuitur Michaeli Angelo [i] apud Iudam. Et Angeli frequenter dicuntur Domini in scriptura, quod

[g] *5. demonstr.27.*

[h] *in hunc locum.*

[i] *ver.9.*

gerant personam Dei: Sed contra, non dicitur. Angelus יהוה aut saltem nisi vt Dominum Deum repræsentans. igitur si hîc loquitur, aliã personam representat quam quę sit increpatura Satanam alias dixisset *Increpo te*, vnde semper manet duas esse personas quibus proprie conuenit nomen יהוה. Iudas autem non loquitur de hac increpatione, sed de alia quę facta est ab Angelo contendente cum Diabolo pro Moysi corpore.

Nonus, [k] *Effundam super Domum Dauid, & super habitatores &c. & aspicient ad me quem confixerunt.* Quod impletum fuisse quando Christus crucifixus, & lanceâ perforatus fuit testatur [l] Ioannes. Qui loquitur autem verum esse Deum, satis inde constat. quod solius Dei sit effundere spiritum gratiæ.

[k] *Zach.12.v.10.*

[l] *cap.19.v.37.*

Probatur idem ex Testamento nouo.

CAP. VI.

PRIMO, in Testamento nouo dicitur Christus [a] filius Dei vi, [b] vnigenitus, [c] Proprius, [d] verus, [e] naturalis, & [f] accusatus à Iudæis, quod se prædicasset filium Dei, certè non vtique adoptiuum aut metaphoricum: nam & hoc modo Iudæi [g] se filios Dei esse dicebant, tamen hanc accusationem tanquam veram admisit, & in eâ confessione mori voluit. At hæc omnia nequeunt competere nisi filio ex substantia Patris æterni genito: non dedit autem ei Pater partẽ substantiæ: ergo totam: & proinde erit vnus numero Deus cum Patre filius.

Respondent [h] Christum esse filium verum, & proprium Dei, quia de spiritusancto conce-

[a] *Matth 16.v.16.*
[b] *Ioan.3.v.16.*
[c] *Rom.8.v 32.*
[d] *1. Ioan.5.v.20.*
[e] *Hebr. 1.*
[f] *Ioan. 19.v.7.*
[g] *Ioan. 8.v.41.*

[h] *Ministri Transf. 2.c.7. & Blandrata disp.6. Albanâ.*

ptus fuit, Lucæ [l] primo *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideóque quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* Sed Adam quoque, Eua, & Angeli sunt immediatè opera Dei, quomodo ergo diceretur hâc ratione Christus filius vnigenitus? Deinde hoc modo dici posset filius spiritus sancti, quod tamen est absurdum. Denique hoc non est esse naturalem, & verum filium, non enim Deus ex substantia genuit Christum in vtero virginis. Ad locum ex Luca [k] dicimus per virtutem Altissimi, verbum intelligi diuinum, quod in vtero virginis carnem assumpsit, ac ideo filius Mariæ filius Altissimi dicitur. Quod verò sit Christus conceptus de spiritu sancto signum, non causa est cur dicatur filius Dei. Decuit enim vt si filius Dei carnem assumere vellet non nisi de spiritu sancto ex virgine conciperetur.

Secundò, Lucæ [l] primò, *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet, ante illum* (scilicet, *Dominum Deum*) *in spiritu, & virtute Heliæ.* At ante quem præcessit Ioannes Baptista in spiritu, & virtute Heliæ, nisi ante Christum?

Tertiò. [m] *Magis quærebant eum Iudæi interficere: quia non solum soluebat sabbathum, sed etiam patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* verè autem se æqualem prædicasse Deo, & proinde verè Deum esse inde constat, quod alioquin Christus monuisset Iudæos ne id putarêt. at non solùm non correxit dumtaxat opinionem Iudæorum, sed etiam confirmauit dicens se eadem operari, quæ pater operatur. Euangelistæ quoque admonuissent, ne in tanta re falleremur.

Quartò. [n] *Ego, & Pater vnum sumus.* Hoc testimonio vtuntur omnes PP contra Arianos quod intelligendum esse de vnitate essentiæ,

[l] *vers.* 25. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι, διὸ καὶ τὸ γενόμενον ἐκ σοῦ ἅγιον κληθήσεται υἱὸς θεοῦ.

[k] *cum Ambros. ser.* 5. *in Psal.* 118. *Gregor.* 18. *Moral.* 12.

[l] *v.* 16. πολλοὺς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἐπιστρέψει ἐπὶ κύριον τὸν θεὸν αὐτῶν. *vers.* 17. καὶ αὐτὸς προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου.

[m] *Ioan.* 5. *vers.* 18. οἱ Ἰουδαῖοι ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, ὅτι οὐ μόνον ἔλυε τὸ σάββατον, ἀλλὰ καὶ πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν θεὸν ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ θεῷ.

[n] *Ioan.* 10.

Probatur, Primò, quia vt demonſtret Chriſtus ſuas non perituras oues, ſic argumentatur: [o] *Nemo poteſt rapere oues de manibus Patris mei, quia ipſe maior omnibus eſt*: [p] *Ergo nec de manibus meis. Quia ego & pater vnum ſumus.* Quæ ratio nihil concluderet, niſi Chriſtus quoque maior omnibus eſſet. Diceret enim aliquis, *nemo equidem poteſt de manu Patris tui rapere, quia maior omnibus, verum de manu tua, quidni? tu enim non es maior omnibus.*

Secundò, quia [q] *audito hoc verbo: Iudæi ſuſtulerunt lapides, vt iacerent in eum.* Ergo intellexerunt per illud, vnum ſumus, Chriſtum ſe verè Deum vnum cum patre prædicare, At eorum ſententiam non correxit Chriſtus, igitur rectè ſentiebant.

Tertiò, Chriſtus ipſe expoſuit quid ſit, *Ego, & Pater vnum ſumus*: cum dixit, [r] *Vos dicitis blaſphemas, quia dixi filius Dei ſum*: Ergo idem eſt: *Ego, & Pater vnum ſumus*: &: *Filius Dei ſum.*

Contra nihilominus [s] Tranſyluani contendunt hunc locum intelligi tantum de voluntatis concordiâ. Primò, authoritate Eraſmi, & Caluini. Secundò, quia Chriſtus Patrem Ioã. 17. precatur vt [t] Apoſtoli ſint vnum, *ſicut* (inquit) *& nos vnum ſumus*: At Apoſtoli non erant vnum natura numero. Tertio quia [v] Chriſtus videtur corrigere ſententiam Iudæorum, ac declarere ſe eſſe Deum, per gratiam tantum, cum ait: [x] *Si ergo eos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, quem Pater*, &c.

Ad primum Reſpondeo, Caluinum hæreticum fuiſſe, Eraſmum Semi-chriſtianum. Ad ſecundum, 1. [y] non velle Chriſtum Apoſtolos ita eſſe vnum omninò, vt ſunt diuinæ perſonę: ſed tantum, vt per concordiam voluntatis imitentur diuinarum perſonarum vnitatem. 2. Etſi, quòd Pater, & Filius vnum dicantur, non ſequatur abſolutè eos vnius eſſentię eſſe:

[o] *verſ. 29.* ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι μείζων πάντων, ἐστὶ καὶ οὐδεὶς δύναται ἁρπάζειν (τὰ πρόβατα) ἐκ τῆς χειρὸς τοῦ πατρός μου.

[p] ἐγὼ ἁρπάσει τις αὐτὰ ἐκ τῆς χειρός μου· *v.* 28. ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν. *v.* 30

[q] *v.* 31. ἐβάστασαν οὖν πάλιν λίθους οἱ Ἰουδαῖοι ἵνα λιθάσωσιν αὐτόν.

[r] *ver.* 36 ὑμεῖς λέγετε ὅτι βλασφημεῖς ὅτι εἶπον υἱὸς τοῦ θεοῦ εἰμι.

[s] 2. *cap.* 9. *& Fracisc. Dauid diſput.* 2. *Albanâ.*

[t] *Ioan.* 17. *verſ.* 21. πάντες ἓν ὦσι. καθὼς σὺ πάτερ ἐν ἐμοὶ κἀγὼ ἐν σοί, &c. *v.* 22. ἵνα ὦσιν ἓν καθὼς ἡμεῖς ἓν ἐσμεν.

[u] *Tranſ. ſup. cap.* 7.

[x] *cap.* 10. *v.* 35. εἰ ἐκείνους εἶπε θεοὺς, πρὸς οὓς ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἐγένετο.

[y] *ita Chryſoſt. homil.* 1. *in Ioan. & Cy.* 11. *in Ioannem* 20. *in fine.*

tamen rectè sequitur, si assumatur id, propter quod hanc sententiam protulerit Christus.

Ad tertium, dupliciter Christum respondisse Iudæis: Primò, etiamsi essem primus homo, non tamen propter ea blasphemaui dicens, me filium esse Dei: cum multo minores me, dicantur Dij in scripturis. Secundò iam calumnia repulsa, ex operibus se verum Deum probando, cum ait: *Si non facio opera &c.*

[z] *Ioan.14. vers.1.* πιστεύετε εἰς τὸν θεὸν, καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε.

Quintum testimonium, [z] *Creditis in Deum & in me credite.* At si Christus non est Deus verus, quomodo sibi arrogaret fidem, quæ in verum Deum est: particula autem, *Et*, non significat esse alterum Deum à Patre, sed addita est, propter naturam humanam: vt sensus sit, *Si in Deum creditis, debetis etiam in me, quem hic videtis hominem credere, quia sum etiam ille Deus in quem creditis.* Ibid. [a] *Si cognouissetis me, & Patrem vtique cognouissetis.* [b] *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.* At quomodo ex Christo cognito, & viso cognoscitur, & videtur simul Pater, nisi Christus eandem numero naturam cum Patre habeat?

[a] *v. 7.* εἰ ἐγνώκειτε με, καὶ τὸν πατέρα μου ἐγνώκειτε ἄν.
[b] *ver.9.* φίλιππε ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα.

Respondet [c] Franciscus Dauid, Christum hominem, fuisse imaginem Dei, in qua Deus videbatur. Contra, Christus ratione humanitatis, non erat perfecta, & expressa imago patris, qua posset Pater intuitiuè cognosci. Nulla enim [d] enim res creata potest perfectè Deum repræsentare.

[c] *disput. 2. Alb.*

[d] *Isaiæ 40. v. 18.*

Sextò [e] *Respondit, Thomas & dixit ei*, cui ei, nisi Christo, cum quo loquebatur? *Dominus meus & Deus meus.* Quis Deus, nisi ille vnus, & summus, quem solum Israëlitæ agnoscebant? Thomas enim erat Israëlita.

[e] *Ioan. 20. v. 28.* ἀπεκρίθη θωμᾶς καὶ εἶπεν αὐτῷ ὁ κύριος μου καὶ ὁ θεός μου.

Neſtoriani [f] volebant illa verba: *Dominus meus, & Deus meus*: referri ad Patrem per exclamationem Thomæ admirantis. Sed hoc eſt manifeſte contra ipſum textum. Deinde in Græco non eſt ὦ ſignum exclamantis ſed articulus ὁ Denique volebat confiteri Thomas quod antea non ſatis crediderat. At Patrem eſſe Deum ſemper crediderat.

[f] *vt cognoſci poteſt ex V. Synod. c. 12.*

Septimo, [g] *Ex quibus Chriſtus eſt ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula*, vnde deducunt Patres Chriſtum eſſe verum Deum.

[g] *Rom. 9. v. 5.* ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα· ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας.

Eraſmus, [h] ait primò vocabulum, Deus, fortè non eſſe de textu quòd Cypr. [i] & Hilar. [k] locum citent, ſine illa voce. Sed Cypria Aldi, & Morelij habent vocem, Deus, nec deeſſe poteſt, nam ibi vult probare Cypria. Chriſtum vocari Deum, ac producit loca ſcripturæ in quibus vocatur Deus: Hilarius in pſal. non citat locum integrum: nam omittit etiam illa, ſecundum carnem: in lib. [l] tamen Trinit. citat cum voce, Deus, denique ablato, Deus, adhuc remanet ex his Chriſtum eſſe Deum, quis eſt enim ſuper omnia benedictus, niſi ſolus verus Deus? Secundo Eraſmus ait, poſt voces, *Ex quibus Chriſtus ſecundum carnem*, poſſe poni punctum: quo modo dicit ſe legiſſe in Chryſoſt. Græco: ac deinceps quæ ſequuntur referri ad Patrem. Sed in Chryſoſt. Græco non inueni niſi virgulam, qualis eſt in omnibus codicibus Græcis, & Latinis Epiſt. ad Romanos. Deinde non obſtante illo puncto Chryſoſt. refert hæc verba, *Qui eſt ſuper omnia Deus*, ad Chriſtum, idemque faciunt [m] omnes authores. Denique num propter vnum punctulum quod irrepere potuit vitio ſcriptoris, cõrrigendi ſunt omnes codices Græci, & Latini. Tertio ait, non eſſe ſcriptum ὅς ὤν, ſed ὁ ὤν. At quis ignorat articulum præpoſitiuum adiunctum participio vim [n] relatiui

[h] *Annotat. in hunc locum.*

[i] *2. contra Iudæos. 6.*

[k] *in Pſal. 122.*

[l] *4. & 8.*

[m] *nec vnum pro ſe citat Eraſmus.*

[n] *vt Math. 6. v. 9.* πάτερ ἡμῶν ὁ ὢν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *non* ὅς ὢν ἐν τοῖς, &c.

habere, ac poni pro Poſtpoſitiuo, ſiue Subiunctiuo?

Octauo, [o] *Si nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præterquod euangelizauimus vobis anathema ſit.* Quare? Quia. *Notum* [p] *vobis facio Euangelium quod eſt Euangelizatum à me, quia non eſt ſecundum hominem. Neque enim ego ab homine accepi illud neque didici, ſed per reuelationem* IESV *Chriſti.* quæ ratio nihil concludit, niſi intelligas cum dixit, *Per reuelationem* IESV *Chriſti*, qui eſt ſuper homines & Angelos, ac proinde Deus. Si enim dicas Angelis æqualem, reſpondere poſſet aliquis, quare magis credam tuo Euangelio quam Angelo æqualis perfectionis Chriſto qui tibi Euangelium illud reuelauit?

Nono. *Qui* [q] *cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.*

Per formam, intelligi eſſentiam diuinam: illud autem, *Non rapinam*, &c. idem eſſe ac ſi dixiſſet, non putauit rapinæ attribuendum eſſe quod ſit æqualis Dei, ſcilicet, quia hoc ex natura ſua habet: communiter veteres, & recentiores docent: vnde manifeſtò cõſtat Chriſtum eſſe verum Deum.

Nihilominus Franciſcus Dauid per formam intelligi contendit ipſam ſpeciem exteriorem, & viſibilem Chriſti in qua Deus inuiſibilis cernebatur. [r] Poſſe enim talem formam eſſe Dei, patet ex illo Deuter. *Vocem verborum audiſtis, formam autem.* Sed hic Dauid nullum habet pro ſe, nec quidem Eraſmum. Deinde non dixit Paulus, *Qui cum forma, ſed cum in forma Dei*, &c. Ad illud Deuter. reſpondeo in Græco non eſſe μορφὴ ſed ὁμοίωμα, in Hebræo [s] תמונה Eraſmus per formã intelligit opera Chriſti externa: quibus planè ſe Deum eſſe oſtendebat. Primò, quia opponitur forma Dei, formæ ſerui quam ſuſcepiſſe dicitur Chriſtus, Chriſtus autem non

[o] *ad Galat. 7. v. 8. Vide Gracum lib. 4. de verbo Dei, cap. 10.*

[p] γνωρίζω δὲ ὑμῖν ἀδελφοί, τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ ὅτι οὐκ ἔστι κατ' ἄνθρωπον. *v.* 11. οὐδὲ γὰρ ἐγὼ παρὰ ἀνθρώπου παρέλαβον αὐτὸ οὔτε ἐδιδάχθην, ἀλλὰ δι' ἀποκαλύψεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. *v.* 12.

[q] *v.* 6. ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. *v.* 7. ἀλλὰ ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβών, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος.

[r] 4. *v.* 12.

[s] *Themunah.*

ſuſcepit ſubſtantialiter formam ſerui, ſed tantum exteriori ſpecie quod ſe humiliauerit ligari, ac flagellari paſſus. Secundo quiaſic exponit Ambroſius commentar. in hunc locum.

Sed vox μορφὴ quæ in Græco habetur, nuſquã in ſcriptura accipitur, pro exteriore forma. Imo nec apud alios ſcriptores Græcos iuxta [t] Chryſoſt. Ariſtoteles equidem aliquando hanc vocem vſurpat pro forma accidentali inhærente, ſæpius pro ſubſtantiali, nuſquam pro actione exteriori. Deinde, ſi eſſe in forma Dei eſt facere opera diuina ideſt miracula. Ergo Apoſtoli dici poſſunt fuiſſe in forma Dei.

[t] *in hunc locum.*

Denique forma Dei opponitur formæ ſerui, At forma ſerui in Chriſto, eſt natura humana, non opus aliquod externum. Nam explicans Paulus quid ſit formam ſerui accipere ſubiungit *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu* (id eſt figura: in Græco enim eſt σχήματι) *inuentus vt homo.*

Ad primum Eraſmi dicimus Chriſtum ratione humanæ naturæ rectè dici ſeruum. Quare illud Iſaiæ, [v] *Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum.* [x] Matthæus exponit de Chriſto, & in Hebræo eſt עַבְדִּי [y] quod propriè ſeruum ſignificat.

[v] *42. verſ. 1.*
[x] *12. v. 18.*
[y] *Gafdi vel gaudi.*

Ad ſecundum, non eſſe certum cuius ſint huiuſmodi commentari: veriſimilius autem, non eſſe Ambroſij, nam epiſt. quadrag. ſept. *Quid eſt* (inquit) *in forma Dei? in natura Dei*: ſimiliter exponit, ſecundo [z] de fide.

[z] *cap. 4.*

Iam verò illa. *Non rapinam arbitratus eſt* &c. ait Franciſ. Dauid ideo vera eſſe, quia Deus euexit Chriſtum ad ſuam æqualitatem. Sed id eſt contra ſcripturam. *Ego* [a] *Dominus gloriam meam alteri non dabo* Nec refert Franciſ Dauid. reſtringere ad æqualitatem omnipotentiæ, quam ait fuiſſe communicatam Chriſto. Nam vel Chriſtus eam habet intrinſecè, ita vt verè ſit omnipotens & tunc erit omnino eſſentialiter Deus,

[a] *Iſaiæ 42. v. 8.*

quia omnipot. & essentia idem sunt in Deo vel tantùm extrinsecè, quia scilicet habet in se inhabitantem omnipotentem. At hoc modo iusti essent etiam æquales Deo. Transylu. ergo volunt sensum esse. *Non rapinam arbitratus est: nimirum faciendam*, vt esset æqualis Deo.

Primo quia particula aduersatiua, *Sed*, id ostendere videtur, si enim legamus, *Christus merito secensuit patri æqualem, sed semetipsum exinaniuit*, nullus erit sensus. Si autem, *Christus non putauit rapiendam æqualitatem, sed è contrario semetipsum exinaniuit*: optimus erit sensus.

[b] *lib. de Trinit.*

Secundo, quia [b] Tertull. *Quamuis* (inquit) *se ex Deo patre Deum esse meminisset, numquam se Deo Patri aut comparauit, aut contulit*: verùm cum forma Dei significet essentiam Dei, non poterat negare Paulus Christum esse Deo æqualem. Quare.

Ad primum respondeo: particulam, *Sed*, Græcè ἀλλὰ aliquando habere vim correctionis, vt hoc modo accepit illam Chrysost. cum Theodoret. & tunc sensum esse. *Cum Christus esset in formâ Dei adeò non putauit rapinam se æquare Deo, vt potius non dubitauerit eam dissimulare, & in formâ serui apparere.* Aliquando est aduersatiua, & æquiualet particulæ, *tamen*: vt eam accepit [c] Augustus. Et tunc esse sensum, licet esset æqualis Deo, non tamen horruit formam serui.

[c] 2. *contr. Maximinum* 5.

[d] 1. *Ioan.* 5. *vers.* 7. τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ· ὁ πατὴρ, καὶ ὁ λόγος καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα καὶ οἱ τρεῖς ἓν εἰσιν. *Arias Montanus ex editione officinæ Commelinianæ anni* 1599. *habet* καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσιν.

[e] *v.* 8. καὶ τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐπὶ τῆς γῆς· τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα.

Ad secundum, hunc locum haberi libro de Trinit. qui potius Nouatiani hæretici, quam Tertulliani est. Deinde: non propter aliquam naturæ differentiam dixit filium non se comparasse Patri, sed solùm propter originis authoritatem. Nam ibidem clarè asserit filium fuisse in forma Dei, quia in naturâ Dei.

Decimum testimonium, *Tres* [d] *sunt qui testimonium dant in cælo Pater, verbum, & Spiritus sanctus*, [e] *& hi tres vnum sunt, &, tres sunt qui testimonium dant in terra Spiritus, aqua, & sanguis.*

Respondet

Reſpondet Blandrata [f] à nullo authore legi illa, *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo*, excepto Hieronymo. Sed [g] Higinus, Cyprian. [h] Idacius, [i] Athanaſ. [k] Fulgent. [l] & Eugent. [m] Carthagin. ita legerunt.

Deinde ait dici etiam Spiritum, aquam, & ſanguinem vnum eſſe: quæ certè nec numero, nec ſpecie ſunt idem. Sed illud, *Et hi tres vnum ſunt*, cum agitur de ſpiritu, aqua, & ſanguine, non habetur in multis Latinis codicibus. Græci codices habent quidem καὶ οἱ τρεῖς εἰσὶ τὸ ἓν εἰσιν. *Et hi tres in vnum ſunt*, vbi tantũ denotatur vnitas teſtimonij. At cum agitur de Patre, Filio & Spirituſancto abſolutè habent καὶ ὅτι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι: *Et hi tres vnum ſunt.*

Vndecimo, *vt ſimus in vero filio eius, hic eſt verus Deus, & vita æterna.* At vnus eſt tantum verus Deus. Quare Tranſyluani [o] dicunt eſſe proprium nomen Patris, verus Deus.

Reſpondet Seruetus Chriſtum eſſe verum Deum, ſed temporalem, quia accepit à Deo veram diuinitatem. Apocaly. quinto, [q] *Dignus eſt agnus accipere virtutem, & diuinitatem.* Sed non poteſt aliquid dici temporaliter Deus verus, niſi verus Deus vniatur hypoſtaticè creaturæ, vnio autem hypoſtica fit immediate in perſonâ. Quare ſequetur vel Patrem eſſe Chriſtum, vel Chriſtum eſſe aliam perſonam diuinam à perſona Patris, cumque illa perſona ſit verus Deus ab æterno, Chriſtum quoque eſſe Deum ab æterno. Ad illud autem Apocaly. reſpondeo in Græco eſſe τὸν πλοῦτον, *Diuinitas*, vt legit Primaſius. Deinde per acceptã diuinitatẽ poſſum[p] rectè intelligere manifeſtationem diuinitatis.

[r] Eraſmus vult ita legendum, *vt ſimus in vero filio eius: hic*, nimirum Pater huius filij: *eſt verus Deus.* Sed debebat vnum ſaltem authorem pro ſeipſo afferre. Cur autem demonſtratiuum, hic, non demonſtrabit potius proximam perſonam

[f] *diſput. 2. Albana.*

[g] *epiſt. 1.*

[h] *libro de vnitate Eccleſiæ.*

[i] *lib. aduerſ. Varimadum.*

[k] *lib. 1. ad Theophili de vnita. deitat te Trinit. vltra medium.*

[l] *lib. contra obiectiones Arianor. prope extremo.*

[m] *in expoſitione fidei Catholicæ.*

[n] *1. Ioan. 5. v. 20.* καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ. οὗτός ἐστιν, ὁ ἀληθινὸς Θεὸς, καὶ ζωὴ αἰώνιος.

[o] *lib. 2. cap. 5.*

[p] *1. de Trinit. Tranſyl. & noui Samoſateni 2. cap. 4. 4. & 7.*

[q] *v. 12.* ἄξιόν ἐστιν τὸ ἀρνίον τὸ ἐσφαγιασμένον, λαβεῖν τὴν δύναμιν, καὶ πλοῦτον, καὶ σοφίαν, καὶ ἰσχὺν καὶ τιμὴν, καὶ δόξαν καὶ εὐλογίαν.

[r] *annot. in hunc*

quam remotam: præsertim cum in Græco textu
præcedat nomen Iesu Christi. Quare [s] Patres
illa verba de filio exponunt.

[s] *Hilar. 6. Trinit. vltra medium postquam citauerat hùc locum addit post 17 lineas: Et cum hic verus Dei filius nobis sit, & vita æterna. Hieron. in 65. Isaiæ, Augustin. 1. Trinit. 6. Cyril 12. Thesauri 13.*

[t] Eunomiani admittebant quidem Patrem
esse verum Deum, similiter & filium, sed æquiuocè sicut canis cælestis & terrestris, quorum,
vterque tamen propriè & verè est canis. Sed si
loquerentur de perfecta æquiuocatione, quâ
duobus æquè & propriè conuenit aliquod nomen independenter, non maior aut magis quâcumque ratione esset Pater Deus, quam filius.
Si verò de æquiuocatione per Analogiam quâ
aliquid proprie talè, aliud verò, per respectum
tantum ad aliud, dicitur tale: tunc vel pater, vel
filius non erit verè Deus: sicut nec homo pictus homo verus, nec canis cælestis, verus
canis.

[t] *vt apud Nazianz. 3. de Theolog.*

Duodecimo: [u] *In principio erat verbum: & verbum erat apud Deum: non quomodocumque*, sed sicut actio immanens, & terminus eius intrinsecus, sunt in eo cuius esse dicuntur, siue vt
intellectio, ac verbum mentis, sunt in intelligente. At quod est ita in Deo non potest alterius esse substantiæ à Deo, quia in Deo nullum
est accidens: atque consequenter verè Deus
erit. Sed Christus est ipsum Dei verbum, quia
[x] *Verbum caro factum est.* Igitur Christus verus
erit Deus.

[u] *Ioan. 1. v 1.* Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν.

[x] *Ioan. 1. v 14.* καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο.

Item: [y] *Et Deus erat verbum.* Si verbum erat
Deus, quis Deus nisi qui absolutè dicitur, *Deus*?
hic autem est vnus tantum, & verus Deus.
[Deinde quid certi dixisset Ioannes de excellentia Christi si intellexisset Verbum esse tantum participatiuè Deum, cum nihil sit quod restringat vocem Deus ad hunc sensum. Quare
nobis præbuisset tantum occasionem errandi,
non intelligendi.]

[y] καὶ ὁ θεὸς ἦν ὁ λόγος.

Denique, [z] *Omnia per ipsum facta sunt*, at per
quem omnia sunt facta, est verus omnimodè

[z] πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο.

Deus: tum quia omnipotens esse debet, tum quia non est ipse de factibilibus & creatis. Sed præter creaturas quidquid est, Deus est.

Ad primi minorem respondent Christum esse Dei verbum, quia verba Dei nobis nunciauit, verbum autem illud tantum esse, ac fuisse, carnem, cum in textu Græco sit ὁ λόγος σαρξ ἐγένετο. verbum caro erat. Hanc enim esse significationem vocis ἐγένετο patet ex Lucæ primo, [a] & [b] vltimo.

Sed etiamsi vox ἐγένετο significet aliquando *fuit*, vel *erat*. Tamen alias significat etiam factum est, factus est, & similia, vt ipso eodem cap. primo [c] Ioannis, *mundus per ipsum factus erat*, ὁ κοσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο in isto autem loco, de quo est controuersia non significare erat vel fuit, sicut Transyluani volunt probatur.

Primo. Omnia per verbum facta sunt & proinde verbum ante omnia, quæ antequam facta nihil erant actu. Sed caro est vna de factis, nisi dicas intrinsecè diuinam essentiam esse, aut aliquid esse præter Deum, atque creaturas. Ergo caro per verbum est facta quæ antea non erat, verbum vero erat. Sed verbum secundum aduersarios est, fuit, & erat semper caro. Ergo verbum caro, id est qui tantum est caro, seipsum creauit. Et extitit, antequam extitit, caro fuit, & simul non fuit, quæ sunt manifestè contradictoria.

Secundo, loquendo de mutabilibus solemus per verbum, fuit, vel, erat, significare hoc reuera fuisse, sed amplius non esse: sicut patet ex locus citatis ab aduersatiis, *Fuit homo missus à Deo.* Lucæ primo. Iam enim obierat Ioannes, & missio hæc iam expleta fuerat, & Lucæ vltimò, *Qui fuit vir Propheta*: Etsi enim Christus reuera tunc esset, tamen arbitrabantur isti discipuli amplius non esse. Caro autem est vna per se de mutabilibus. Igitur Ioannes, dicens verbum

[a] *v. 5. ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρῴδου. fuit in diebus Herodis.*

[b] *19. ὃς ἐγένετο ἀνὴρ προφήτης. Qui fuit vir propheta.*

[c] *v. 10. Ioan. 2. v. 1. γάμος ἐγένετο.*

caro fuit, vel erat, idem ac si dixisset, fuit quidē sed amplius non est, quod tamen falsum est.

Tertiò, PP. Græci Chrysost. Cyrill. Theophyl. & Eutym. benè norant potestatem Græci vocabuli ἐγένετο, & tamen omnes exponunt, *factum est*: quomodo etiam habet versio Erasmi, & quæ in Bibliis Vatabli extat.

[d] *Francis. Dauid disput. 9. Albana. & ministri Transyl. 2. cap. 11.*

Ad secundum [d] respondent Christum merito vocari Deum, sed non eundem cum Patre. Nam si vox, Deus, acciperetur pro vno & eodem, cum in priori loco accipiatur pro patre, scilicet quando dicitur, *verbum erat apud Deum*, si in posteriori pro filio, sequeretur patrem esse filium.

Respondeo, si Christus meritò vocatur Deus, vel quia verus Deus, vel quia participatiue: si prius ergo vnus omnino Deus cum patre, vel erunt plures veri Dij. Si posterius. Ergo præter Deum, & factibilia id est creaturas datur aliquod medium quod neque verè Deus est neque factibile, quia per verbum ipsum omnia facta sunt.

Ad probationem dico, vocem (*Deus*) accipi quidem pro vno & eodem Deo, sed pro distinctis personis, siue vt est distinctæ personæ: in priori loco pro persona patris, in posteriori pro persona filij: siue in illa enuntiatione, *Deus erat verbum*: facias, *Deus*, subiectum, siue prædicatum: subiectum, vt sensus sit *Ille Deus*, apud quē, in quantum est persona patris, *erat verbum*, erat etiam alio respectu alia persona quæ est verbum: quod nihil aliud est quam non solùm esse personam patris sed etiam filij eo quod Deus sit plures & omnes diuinæ personæ. Prædicatum vt sensus sit. *Verbum erat Deus*, id est, verbum erat in personâ sua ille verus Deus vnus qui est etiam verus Deus in persona patris.

Ad tertium dicunt reparationem factam à Christo solere appellari in scripturis creatio-

nem, [c] secundæ Corinth. & primo [f] Ephes. Atque in hunc sensum dicit à Ioanne. Omnia facta fuisse, per verbum, id est reparata: Primò, quia Christus nondum erat natus quãdo creatus mundus. Secundò: quia scripturæ passim tribuunt Patri opus creationis. Tertiò: quia non simpliciter ait Ioannes, sine verbo factum esse nihil, sed tantùm, quod factum est, id est quod pertinebat ad officium ipsius, & per ipsum facta sunt. Sed ista explicatio adeo noua est, vt nulli veterum in mentem venerit. Deinde non debẽt scripturæ ad libitum metaphoricè exponi, sed tantum cum id ratio postulat: aliàs etiam dici posset Moses in principio Genes. non agere de verâ creatione, sed tantum mundi reparatione. Quare in locis allatis semper est aperta mentio renouationis. Ioannes autem simpliciter ait, *Omnia per ipsum facta sunt*, &c. Denique hunc locum satis explicat paulò infra ipsemet Ioannes cum ait, *In mundo erat & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit*. Si mũdus, quem fecit Christus eum non cognouit, quomodo faciendo, tantùm reparauit, cum reparatio de quâ est quæstio, fiat per fidem, & cognitionem in Christum. Respondent quidem mundum id est homines inter quos versabatur Christus, primò illum non cognouisse, postea verò scilicet cum mundus per ipsum factus est, id est quando huiusmodi homines illustrauit, & fecit nouas creaturas, eum cognouisse. Sed hoc est immutare ordinem verborum, nõ enim Ioannes ait primò, mundum non cognouisse verbum, deinde mundum fuisse factum per ipsum: sed è contra. Præterea: mundus in Scripturis aut significat [g] substantiam cæli & terræ, aut homines [h] impios dilectores mundi: si priori modo hîc intelligatur: ergo Christus erit conditor cæli, & terræ. Si posteriori: Igitur per Christũ impij facti sunt, quod est blasphemia.

[c] *6.ver.17.*
[f] *v.10. & cap.2. vers.10.*
[g] *Eccl.3.v.11.*
[h] *Ioan.12.v.31. & cap.17.v.9.*

Ad primam aduersar. rationem respondeo petere principium, vt patet, assumūt enim quod probare deberent, scilicet Christum non esse natum ab æterno, ex Deo patre.

Ad secundam, non soli Patri, sed etiam filio creationem tribui. Ad tertiam. Iuxta illum aduersariorum sensum, esset in verbis Ioan. ridicula restrictio: quasi diceretur. Omnia per ipsum facta sunt, quæ per ipsum facta sunt. deinde si legamus cum Augustin. *Sine ipso factum est nihil.* ibi punctum. deinde: *Quod factum est in ipso vita erat*: ruit tota ratio aduersarior.

[i] *vers.* 16. ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, τὰ ὁρατὰ, καὶ τὰ ἀόρατα, εἴτε θρόνοι εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι. τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται. v. 17. καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε.

[k] *Transyl. 1. cap. 12. Francisc. Dauid disput. 7 Alban.*

[l] *in Genes. p. 39.*

Decimus tertius locus Coloss. [i] primo. *In ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant.*

Respondent [k] vocari creationem, reparationem spiritualem, quæ facta est per Christum. Primò, quia ita expositit [l] Procopius. Secundò, quia non dixit Paulus cœlum, & terrā creata per Christum, sed quæ sunt in eis scilicet Angelos, & homines, quos creasse dicitur, quia pacificauit inter se.

At contra. Omnes interpretes intelligunt hunc locum de primâ creatione, vno excepto Procopio meliore Rhetore quam Theologo: sed qui acerrimè inuehit in eos qui negant tres personas esse eiusdem essentiæ. Quique cùm in eodem loco dicat, *Christus humanā carnē induit, vt hominem quem creauerat, restitueret, & sanaret* certè cùm paulò post ait Christum omnia creasse secundum Apostolum, id est, instauraſſe: nihil aliud intendit, quam instauraſſe, quod antea creauerat. Deinde: dixerat Paulus Christum esse primogenitum omnis creaturæ, id est, prius à Patre genitum, quam vlla creatura fieret: quod vt probet subiungit, *In*

ipſo enim condita ſunt, &c. Quæ ratio nihil concluderet, ſi per creare, inſtaurare intellexiſſet, non enim ſequitur inſtauravit creaturas, ergo ante ipſas fuit. Præterea poſtquam dixerat Paulus omnia per Chriſtum condita,[m] agit de reparatione, vel ergo ineptè repetit, vel priùs loquitur de verâ creatione. Denique dicitur Angelos creaſſe: ſed illi non fuerunt renouati, quia nuſquam inueterati per peccatum, quod autem habetur Epheſ.[n] primo, Deum inſtaurare omnia in Chriſto quæ in cælis, & in terra, intelligendum eſt iuxta Græcum ἀνακεφαλαιώσασθαι recapitulare, & in ſummam redigere, quod Deus ſub vno capite Chriſto Angelos, & homines vnierit. Si tamen verbum inſtaurare placeat, intelligendum erit, non de Angelis, ſed de Angelorum numero, per caſum dæmonum imminuto. Condere autem & creare non poteſt ſignificare ſimpliciter pacificare, vt aduerſarij volunt, nec vllum exemplum ſcripturæ proferre poſſunt. Igitur ſimpliciter ſignificat Chriſtum reuera creaſſe Angelos. Cum autem dicitur, *omnia per ipſum*: cœlum, & terra comprehenduntur.

Decimo quarto Hebræor.[o] primo. *Per quem fecit & ſecula.*[p] *Et tu Domine initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli.*

Reſpondent,[q] per ſæcula intelligi noua ſæcula, id eſt, reparationem generis humani. Sed cap. vndecimo[r] explicans quid ſit facere ſæcula, *fide* (inquit) *intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, &c.* quæ niſi de prima creatione cœlorum intelligi poſſunt.

m *v.18.20.21.22.*

n *v.10.*

o *v.2. δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν.*

p *v.10. καί· σὺ κατ' ἀρχὰς, κύριε, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας, καὶ ἔργα τῶν χειρῶν σού εἰσιν οἱ οὐρανοί.*

q *Tranſyl. 2. cap. vlt. Franciſc. Dauid diſput. 3.*

r *v. 3. πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ.*

Idem probatur ex nominibus veri Dei.

CAP. VII.

PRIMVM nomen eſt, *Deus*, abſolutè poſitus iuxta [a] Irenæum. Hoc autem abſolutè tribuitur Chriſto Iſaiæ [b] nono, Ioannis [c] vigeſimo. Actor. [d] item vigeſ. &c.

Secundum eſt nomen παραγεάμματον, abſolutè poſitum, ſcilicet יְהוָה. Exodi decimo-quinto. [e] At Iſaiæ quadrageſ. [f] *Vox clamantis in deſerto parate viam Domino.* In Hebræo יהוה. cui autem Domino viam parauit Ioannes, niſi Chriſto? Deinde יהוה propriè ſignificat, Qui eſt: ſiue, Qui erit ſimpliciter, deducitur enim ex illo [g] Exodi אהיה אשר אהיה *Ehieh aſcher ehieh ero qui ero*, ſiue vt vertit noſter interpres, *ſum, qui ſum.* At de Chriſto [h] dicitur ſimpliciter, *Qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Et de ſeipſo [i] ait, *Amen dico vobis priuſquam fiat, vt cum factum fuerit credatis quia ego ſum.* Denique hoc nomen ſemper verterunt ſeptuagint. per κύριος cui reſpondet in verſione Hieronym. vox *Dominus.* At paſſim Euangeliſtæ vocant Chriſtum abſolutè dominum.

Tertium eſt, *Altiſſimus*: Pſalmo octuageſimo ſecundo,[k] ita vt Tranſyluani velint eſſe nomen quo diſtinguitur pater. At tribuitur Chriſto à Dauide iuxta D. Auguſt. & Hierony. interpretationem pſal. [l] octuageſimo ſexto *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Item Lucæ [m] primo. *Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis*, cuius Altiſſimi niſi eius Domini ante cuius faciem præibat? Denique quod eſt ſuper omnia, habetque nomen ſuper omne nomen, illi

[a] 3. cap. 6.

[b] verſ. 6.
[c] verſ. 28.
[d] verſ. 28. & 1. Ioan. 3. ver. 16.
[e] v. 3. שמו יהוה *ſchemo Adonai quod vertit noſter interpres, omnipotens nomen eius.*
[f] verſ. 3.
[g] Exod. 3. v. 14.

[h] Apoc. 11. verſ. 17. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος.
[i] Ioan. 13. verſ. 19. ἀπ' ἄρτι λέγω ὑμῖν πρὸ τοῦ γενέσθαι, ἵνα ὅταν γένηται πιστεύσητε ὅτι ἐγώ εἰμι.

[k] verſ. vlt.

[l] verſ. 5.

[m] v. 76. σὺ παιδίον προφήτης ὑψίστου κληθήσῃ.

maximè conuenit nomẽ Altiſſimi. At Chriſtus eſt ſuper [n] omnia, habetque [o] nomen ſuper omne nomen. Inuiſibilis, non niſi ferè tribuitur Deo in [p] ſcripturis : quare ſoli Patri hoc nomen [q] Tranſyl. tribuunt. At Filius ſimpliciter, *Inuiſibilis*, dicitur. [r] *Nemo nouit filium* (inquit ipſemet) *niſi Pater, &c.*

Quartum. *Deus* [s] *ſiue Rex gloriæ.* Actor. ſeptimo. De Filio autem primæ Corinth. [t] ſecundo & pſal. vigeſimo [v] tertio.

Quintum. *Rex Regum, & Dominus Dominantium* primæ ad Timoth. [x] De Filio autem, [y] *Agnus vincet illos, quoniam Rex Regum eſt, & Dominus dominantium.*

Denique [z] Tranſyl. tribuunt ſoli Patri quod ſit, *Vnus, verus, ſolus, magnus, & Pater omnium.* De Filio, *Nobis eſt vnus Dominus Ieſus* primæ [a] Corinth. *Hic eſt verus Deus*, primæ Ioan. 5. *Solum dominatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negantes.* [b] in Epiſt. Iudæ. *Expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.* ad Titum. [c] ſecundo. *Paruulus* [d] *natus eſt nobis*, &c. *& vocabitur admirabilis, &c. Pater futuri ſæculi.* Igitur Chriſtus eſt Pater omnium noſtrum.

Ad locum ex Iudâ, & ad Titum reſpondent illa, *ſolum dominatorem.* Item. *Magni Dei*, ad ſolum Patrem referri, cætera vero ad Filium. Sed obſtat ratio linguæ Græcæ, vnus enim articulus eſt deſeruiens duobus nominibus & proinde vnam, & eandem perſonam importantibus [e] Τὸν μόνον δεσπότην θεὸν, καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν ἀρνούμενοι. Item, προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Deinde non expectamus aduentum Patris, ſed aduentum Filij.

[n] *Rom. 9.*
[o] *Philip. 2. v. 9.*
[p] *Timoth. 1. v. 17.*
[q] *2. cap. 5.*
[r] *Matth. 11. v. 27.*
[s] *v. 2.*
[t] *verſ. 8.*
[v] *v. 7. & 9.*
[x] *6. verſ. 15.*
[y] *Apocalyp. 17. v. 14.* τὸ ἀρνίον νικήσει αὐτοὺς ὅτι κύριος κυρίων ἐστὶ, καὶ βασιλεὺς βασιλέων
[z] *ſup.*
[a] *8. v. 6.* εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστός.
[b] *verſ. 4.*
[c] *verſ. 13.*
[d] *Iſaiæ 9. v. 6.*
[e] *Alij legunt* τὸν μόνον θεὸν, καὶ δεσπότην τὸν κύριον ἡμῶν, *&c ſolum Deum, & herum ſiue Dominatorem Dominũ Ieſum, & c. Sed quamuis ſit duplex articulus, tamen poſterior ſine dubio iungit ſaltem voces,* δεσπότην κύριον *cum voce* Ἰησοῦν. *cui ſubiungendam eſſe* μόνον *patet ex eo quod vocet eum dominum per energiam, id eſt,* δεσπότην *dominum dominatorẽ ſiue herũ dominum.*

Ex attributis Dei. CAP. VIII.

PRIMVM, *Aeternitas*, primæ ad Timoth. [a] De Filio autem. *Ab æterno* [b] *ordinata sum.* Hic sapientia loquitur, non essentialis Dei, quia hæc non gignitur illa autem. *Ante omnes colles* (inquit) *ego parturiebar.* Neque etiam creata, quia quæ loquitur se à creaturis distinguit. Ergo est Sapientia Dei genita scilicet filius. Item. [c] *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es, &c Ex te mihi egredietur Dux, &c. & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Quem locum etiam [d] Scribæ intellexerunt de Christo.

[a] *6.v.16 & Genes. 21.v. 33*

[b] *Prouerb.8.v.23.*

[c] *Mich.5.v.2.*

[d] *Math 2.v.5. & 6.*

Respondent [e] per dies æternitatis vocari illos sex dies creationis mundi, propter continuam successionem: tunc autem dici Christum egressum quia tunc facta est promissio de Christo ad Adam. Sed non solùm veteres hunc locum intelligunt de æternâ Christi generatione, sed etiam Vatablus. Deinde nulla est ratio, vel authoritas, quare hi sex dies vocentur dies æternitatis: [vel enim quia continuò in eis operatus est Deus, & sic dies redemptionis nostræ possent etiam vocari dies æternitatis, in quibus tota Trinitas speciali quandam ratione, tam æque benè operata est continuò, quàm in creatione mundi: imò continuò operatur in vniuerso, disponendo mouendo, & dirigendo omnia. Vel quia huiusmodi dies non interruptam successionem habent: & sic omnes dies quicumque dici possent æternitatis dies] Denique in illis. *Ex te egredietur dux* significatur vera natiuitas, non autem promissio aliqua. Igitur & in illis. *Et egressus eius ab initio à diebus, &c.* Item solet scriptura describere

[e] *ita Francisc. Dauid. disput.3.*

æternitatem per illud, [f] *antequam mundus fieret.* At Christus [g] *Clarifica* (inquit) *me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui priusquã mũdus esset apud te.* Item. [h] *IESVS Christus heri, & hodie, & in sæcula.*

Secundum *attributum* [i] *Immensitas.* De filio. *Nemo* [k] *ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. Filius hominis qui est in cælo.* At secundum corpus nondum erat in cælo, quia nondum ascenderat in cœlum, ergo per naturam, quâ esset vbique.

Tertium, [l] *Omnipotentia.* De filio. [m] *Ego sum α, & ω, principium, & finis Dicit Dominus Deus qui erat, qui est, & qui venturus est omnipotens.*

Sed obiiciunt Primò. [n] *Non potest filius à se facere quidquam, nisi quod videret patrem facientem.* Respondeo cum [o] Nazianz. his verbis solùm significari potentiam filij esse à Patre, & eandem cum potentiâ Patris. Non enim dictum est, non potest filius facere quidquam nisi pater iubeat, aut iuuet: sed nisi viderit, patrem facientem. Idcirco subiungit continuò: [p] *quæcumque pater facit, hæc & filius similiter facit.*

Secundò. [q] *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Inde enim videtur sequi Christum ex dono gratiæ, & proinde non ab æterno omnipotentiam accepisse.

Respondeo, eâ dici de Christo ratione humanitatis, quâ summam potentiam dono gratiæ accepit à Deo vel Christum hominem accepisse quidem omnipotentiam ex tempore, sed dono gratiæ increatæ quando scilicet, mediante hypostatâ vnione, ex personâ diuinâ, & humanitate constitutus est homo, & hic Homo simul Deus omnipotens.

Quartum [r] *Sapientia.* Hæc autem adeò frequenter tribuitur filio, vt à Theologis dicatur

[f] *siue ante mundi constitutionem Ephes. 1. v. 4 Item Ioan. 7. v. 24.*

[g] *Ioan. 17. vers. 5.* δόξασόν με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῷ, τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρὰ σοί.

[h] *Hebr. 13. v. 8.* Ιησοῦς Χριστὸς χθὲς, καὶ σήμερον, ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

[i] *Hier. 23. v. 24.*

[k] *Ioan. 3. v. 13. vide Græcum infra lib. 3. de Christo cap. 3.*

[l] *1. Timoth. 6. vers. 15.*

[m] *Apocaly. 1. vers. 8.* Ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, λέγει ὁ κύριος ὁ θεὸς ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος ὁ παντοκράτωρ.

[n] *Ioan. 5. v. 19.* οὐ δύναται ὁ υἱὸς ποιεῖν ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδέν, ἐὰν μή τι βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα.

[o] *orat. 4. de Theolog. & Ambros. 4. de fid. 3.*

[p] ἃ ἂν ἐκεῖνος ποιῇ, ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ. [q] *Math. vlt. v. 18.* ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. [r] *Psal. 146. v. 5.*

appropriatum filij.

Obiiciunt illud [s] Roman. *Soli sapienti Deo honor, & gloria per Iesum Christum.* Deus ibi non potest accipi nisi pro patre, apertissimè enim distinguitur à filio, cum addatur (per Iesum Christum.)

Respondeo cum [t] Augustino illud soli: Sapienti Deo, de tota Trinitate dici, cui per Christum, in quantum homo, defertur honor.

Quintum [u] *Bonitas.* De filio, [x] *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*, &c. *speculum sine maculâ maiestatis Dei, & imago bonitatis illius.* Item [y] *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

Obiiciunt illud. [z] *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.*

Respondeo cum [a] Basilio, [b] Ambrosio, [c] Hierony. & Chrysost. Christum respondisse ad mentem interrogantis, qui putabat Christum, purum esse hominem.

Sextum [d] *Maiestas adoranda* de Christo. [e] *Adorent eum omnes Angeli eius*, quem locum citat Paulus ex Psal. nonagesimo quinto. in quo agitur de adoratione latriæ, soli Deo propria, opponitur enim ibi Idololatriæ, immediatè siquidem præcedit. *Confundantur omnes qui adorent sculptilia, & qui gloriantur in simulachris.* Deinde habere templum, est signum latriæ. Sed Christus habet templum Malach. [f] tertio. Præterea inuocatio absentis, est adoratio latriæ, secundum aduersarios. At Christum inuocari absentem quoad præsentiam visibilē constat Actor. [g] nono, & alibi frequenter. Denique omnes ferè [h] prophetæ prædixerunt post Aduentum Messiæ exterminandam idololatriam. Ecclesia autem semper in toto orbe Christum coluit, templis, aris, inuocationibus, & festis diebus. Ergo vel Christus est verè adorandus latria, vel prophetæ omnes sunt splendidè mentiti. [i] Respond. Christum esse adorandum quia pater

[s] 16. v. vlt. μόνῳ σοφῷ θεῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας.

[t] 3. *contra Maximinum.*

[u] *Luc.* 18. v. 19.

[x] *Sap.* 7. v. 24. & 26.

[y] *Math.* 20. v. 15. εἰ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι.

[z] *Luc. sup.* Τί με λέγεις ἀγαθόν. οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς ὁ θεός.

[a] 4. *in Eunomium*

[b] 2. *de fid.* 1.

[c] *in* 19. *Math.*

[d] *Deuter.* 6. v. 13. & *Math.* 4. v. 10.

[e] *Hebr.* 1. v. 6. καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ.

[f] *Vers.* 2.

[g] v. 14. & *cap.* 7. v. 58.

[h] *Isaiæ* 2. v. 18. & 19. *Zach.* 13. v. 1. & 2. *Michæe* 1. v. 7.

[i] *Transf.* 2 *cap.* 4. *Francisc. Dauid. disput.* 3. & *Blandr. disp.* 4. & 6.

iuſſit. Sed ſi Chriſtus non eſt verus Deus, non potuit Pater id iubere niſi ſibi contradiceret Iſaiæ 42. v. 8. *gloriam meam alteri non dabo.*

Ex operibus Dei. CAP. IX.

PRIMVM eſt [a] *Creatio.* De Filio. [b] *Quando appendebat fundamenta terræ, quando certâ lege, &c. Cum eo eram cuncta componens* Item primo Ioannis, Coloſſ. & Hebræo. [c] ſupra, atque Ioannis quinto. *Quæcumque Pater facit,* &c.

a *Iſaiæ 44. v. 24.*
b *Prouerb. 8. poſt medium.*
c *cap. 6.*

Reſpondent ſi quid ſit in creatione tribuendum Filio, id tantùm eſſe, quod fuerit inſtrumentum Patris. Primò quia Præpoſitio [d] *Ex* tribuitur Patri, præpoſitio vero, *Per Filio.* Secundò Concilium [e] Syrmienſe aſſerit Filium Dei miniſtraſſe Patri in creatione mundi. Denique [f] Irenæus, [g] Tertull. & [h] Euſeb. Chriſtum vocant inſtrumentum Dei.

d *& 1. Corinth. 8. v. 6.*
e *can. 3. & poſtremo.*
f *3. cap. 8.*
g *lib. de Trinit.*
h *1. hiſt. 1. & 2.*

Sed Chriſtum non vt inſtrumentum, ſed vt principalem cauſam mundum creaſſe facile probatur. Primò quia in ſcriptura Hebr. primo, creatio tribuitur Chriſto, tanquam illi vero Deo, qui independenter vt cauſa principalis mundum creauit *Et tu domine initio terram fundaſti,* &c. quæ verba Pſalmiſtam de principali cauſa creationis dixiſſe, nec aduerſari, negant.

Secundo, inſtrumentum non poteſt eſſe abſolutè principium: & finis, quia habet aliquid ante ſe, neque omnipotens, quia dependet ab alio. At Chriſtus [i] eſt ſimpliciter, & abſolutè principium, & finis, atque omnipotens.

i *Apocaly. 1. ſupr.*

Tertio ſi Pater creat per Filium, vel Pater ſolùm iubet, & Filius ſolùm facit: & id non: quia [k] *Pater meus* (inquit Chriſtus) *operatur & ego operor,* vel quia vterque facit: Sed Pater vt cauſa

k *Ioan. 5. v. 17.* ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται κἀγὼ ἐργάζομαι. *Item v. 19.*

prima, Filius ſecunda, idque vel quia Pater maiorem, filius minorem partem facit, & id non: quia. [l] *Quæcumque Pater facit hæc ſimiliter & filius facit.* vel quia Pater eſt principale agẽs omninò, filius verò tantum inſtrumentum, & id non, quia vel filius habet intrinſecè virtutem creandi, vel non: ſi prius ergo non eſt inſtrumentum, quia virtus creandi cum ſit infinita, infinito tantum conuenire poteſt: ſi poſterius, ergo nihil habet præ aliis creaturis, falſo igitur ait Apoſtolus Chriſtum [m] eſſe Dei virtutem, & portare [n] omnia verbo virtutis ſuæ, vel denique habet quidem intrinſecè virtutem creandi, & tam filius quam pater propria ſua virtute totum creant, ſed pater ſua voluntate ac diſpoſitione, & operatione, filius autem vt iuſſus à patre. Et hoc non. Quia ſicut [o] *pater quos vult viuificat, ita & filius quos vult viuificat.* Reſtat ergo vt præpoſitio, per, attribuatur Filio, ſiue dicamus Patrẽ, per Filium creare, quia, [p] per, eſt ſignum cauſæ mediæ. Etſi enim Filius tam æquè ſit creator, & principium creaturarum ac Patert, amen eſt principiũ de principio. Ex, attribuitur Patri quia eſt nota cauſæ efficientis, Pater autẽ eſt principium ſine principio. In, SS^to quia ſignificat continẽtiam, ſpirituſſanctus autem eſt nexus patris, & filij.

Ad primum reſpondeo Præpoſitiones Ex, per, in, aliquando toti Trinitati tribui vt Rom. vndecimo. [q] *Quoniam ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Si enim hoc non placeat, vel ergo tribuuntur Patri, & ſic præpoſitio per non ſignificabit, miniſterium: vel filio, aut ſpirituſanctο, & ſic Ex, non ſoli Patri ſed filio aut ſpirituſanctο conuenìet, quare erunt etiam principale agens. Aliquando, *Per*, tribuitur patri [r] *fidelis Deus per quem vocati eſtis in ſocietatem filij eius.* Ex, autem filio: [s] *Ex quo totum corpus per iuncturas*, &c. *creſcit.*

l *v.19.ſupr.*

m *1.Corinth.1. v.18.*

n *Hebræor.1.v.3.*

o *Ioan.5.verſ.21.* ὥσπερ ὁ πατὴρ ἐγείρει τοὺς νεκροὺς, καὶ ζωοποιεῖ, οὕτω καὶ ὁ υἱὸς οὓς θέλει ζωοποιεῖ.

p *ita Baſil. lib. de Spiritu ſancto ca. 4.*

q *v.vlt.* ὅτι ἐξ αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα.

r *1.Corint. verſ.9.* πιστὸς ὁ θεὸς δι' οὗ ἐκλήθητε εἰς κοινωνίαν τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.

s *Coloſſ.2.verſ.19.* ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν, &c. αὐξεῖ.

Ad ſecundum & tertium, dici filium miniſtrum, non quòd propriè ſit inferior, aut ſubiectus, ſed quia eſt a patre.

Secundum opus eſt [t] *Conſeruatio.* De Chriſto [v] *Qui portat omnia verbo virtutis ſuæ.* Item. [x] *Omnia in ipſo conſtant*

Tertium. [y] *Saluatio.* De Chriſto. [z] *Vocabis nomen eius Ieſum, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum. Per* [a] *ſemetipſum purgationem peccatorum faciens.* Et ſi enim deſit in Latino *per ſemetipſum*, eſt tamen in Græco δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν.

Quartum *prædictio futurorum*, [b] *& ſcrutatio* [c] *cordium* [ſcilicet propriâ authoritate] atque longè altiori modo quam prophetarum, Chriſtus autem de ſeipſo [d] *Hoc dixi vobis priuſquam fiat, vt cum factum fuerit credatis quia ego ſum.* Deinde Spiritus Chriſti [e] dicitur illuſtraſſe Prophetas: quomodo ergo Chriſtus ipſe non altiori modo quam Prophetæ occulta nouit? Item. [f] *Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutans corda, & probans renes.*

Quintum, [g] Patratio miraculorum propria authoritate Chriſtus verò, [h] imperãdo & viſibili [i] abſens præſentiâ faciebat: & edebãt [k] ad inuocationẽ nominis eius Apoſtoli miracula.

[t] *Actor.17.v.28.*
[v] *Hebr.1.*
[x] *Coloſſ.1.v.17.*
[y] *Iſaiæ 43.v.11.*
[z] *Mat.1.v.11. &* 12. καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Ἰησοῦν· αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν.
[a] *Hebr.1.*
[b] *Iſaiæ 45.v.11. & cap.46.v.10.*
[c] *3 Reg.8 v.39.*
[d] *Ioan.13.v.19.*
[e] *1.Petr.1.v.11.*
[f] *Apocal.2.v.23.* καὶ γνώσονται πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ ἐρευνῶν νεφροὺς καὶ καρδίας.
[g] *Pſal.135.v.4.*
[h] *Marci 4.v.39. & cap 9.v.24.*
[i] *Matth 8.v.13. & Ioan.4.v.50.51.52.*
[k] *vt Actor.3.v.6. & 27.*

Ex Patribus.

CAP. X.

PRIMAE ætatis quæ extenditur vſque ad annum cẽteſimum Domini habemus.

Primo, Clementem octauo [a] conſtitutionum, quo ait Patrem ſine medio genuiſſe Filium, ante omnia & decimo octauo, [b] *Tibi omnis gloria,*

[a] *cap.16.*
[b] *in cap.18.*

& honor, & adoratio Patri, Filio, & Spiritui sancto.

[c] *1. diuinor. nom. 1.*

Secundo [c] Dionys. *Itaque in omni* (inquit) *fermè Theologicâ tractatione summam diuinitatem sanctè celebrari videmus, vt singularem quidem atque vnicam, propter simplicitatem, & vnitatem illam impartibilem: vt Trinitatem vero propter supereſſentialis fœcunditatis in ſuppoſitis tribus expreſsionem.* Infra verò ait hanc ſummam eſſentiam in vnâ ſuarum hypoſtaſeon carnem humanam aſſumpſiſſe.

Tertio S. Martialem, vel authorem Epiſtol. quæ dicitur eius ad Burdegalenſ. *Nihil* (inquit) *diſcretum in diuinitate Trinitatis ſentiatis*, &c. *Et hæc Pater, Filius & Spiritus ſanctus in perſonis tria diuiſa, in diuinitate vnus Deus indiuiſus eſt.*

[d] *Epiſt. ad Philadelph.*

Quarto Ignatium. [d] *Si quis dicat* (inquit) *vnum eſſe Deum, & confiteatur Chriſtum Ieſum, ſed eundem nudum eſſe hominem putet, huiuſmodi ſerpens eſt*, &c. *& eſt eiuſmodi inops ſenſu cognomento Ebion.* Item, [e] *Omnis qui annunciat vnum ſolum Deum, & tollit Chriſti diuinitatem, is eſt Diabolus, & hoſtis omnis iuſtitiæ.*

[e] *Epiſt. ad Antioch.*

[f] *Epiſt. ad Magneſianos.*

Obiiciunt tamen ex [f] Ignatio illud: *vnum & ſolum verum Deum Patrem ſuum annunciauit.* Ergo ſolus Pater eſt verus Deus. Quod idem eſt ac illud, [g] *Vt cognoſcant te ſolum verum Deum*, ſolutio [h] infra. Deinde quod Ignatius [i] dicat Chriſtum eſſe Filium Creatoris nec eſſe illum, qui eſt ſuper omnia Deus, ſed Filium eius.

[g] *Ioan. 17. v. 3.* ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν, καὶ ἀπέσταλκας Ἰησοῦν Χριστόν.

[h] *in fine cap. huius ad obiectionẽ Aug.*

[i] *Epiſt. ad Tarſenſes.*

Reſpondeo, Chriſtum ſic eſſe Filium creatoris vt ſit etiam ipſe ille idem Creator, ſicut ipſe Ignatius ait epiſt. ad Philippenſ. Pater autem ſolus dicitur eſſe ſuper omnia, ab Ignatio propter principij authoritatem, non propter naturæ diuerſitatem.

[k] *Deuter. 6. v. 4.*

[l] *Epiſt. ad Philipen.*

Tertiò, quod illud Deuter. [k] *Dominus tuus Dominus vnus eſt.* exponat [l] de patre. Et infra inducat Chriſtum alloquentem Satanam, *Noui vnum, ſcio ſolum, non ſum Deo auerſus, confiteor excellentiam*

cellentiam, &c.

Respondeo locum Deuter. de patre intellexisse per appropriationē sicut, & quæ sequuntur. *Nonne vnus Dominus creauit nos, & vnus pater est omnium nostrum?* vt inde deduceret, cum ille dicatur vnus, ergo vnus tantùm est pater, & non plures. Ad alium locum, dico ibi agi de Christo, in quantum homo, subiungitur enim, *non recuso adorare eum, quem noui natiuitatis meæ authorem, & Dominum, atque meæ perseuerantiæ custodem.*

Quartò proferunt ista ex epist. ad Antioch. *Valete Deo & Christo.* Respondeo hîc distingui Christum à Deo, ratione humanitatis.

Vltimò, illud ex epist. ad Ephes. *Medicus autem noster est solus verus Deus ingenitus*, &c. Respondeo hunc locum variè legi. Quędam enim exemplaria habent. *Medicus autem noster vnus est solus verus Deus vnigenitus & inuisibilis omnium, vnigeniti Pater.* [m] Theodoret. legit. *Medicus noster est genitus ex ingenito*, &c. Tamen prima lectio non pugnat contra nos. Subiungit enim Ignatius. *Habemus autem etiam & medicum Iesum Christum ante sæcula vnigenitum verbum.* Quare dictio solus, excludit tantum creaturas, non filium.

Secundæ ætatis habemus Primò Iustinum. [n] *Vnus* (inquit) *reuera est vniuersitatis huius Deus, qui in Patre, Filio, & Spiritu sancto agnoscitur: cum namque ex substantiâ suâ pater filium genuerit, atque ex eâdem spiritum produxerit, iure optimò, quæ vnam habent eandemque essentiam, vnâ atque eadem dignâtur diuinitate*, &c.

Obiicit Gentilis, Iustinum dicentem in Dialogo [o] cum Triph. ὅτι (inquit) καὶ λέγεται θεὸς, καὶ κύριος ὑπερ τὸν πάντων τῶν ὅλων. *Est, & dicitur Deus, & Dominus alius præter factorem omnium.* Item ἕτος ὁ τῷ Αβραὰμ, καὶ τῷ Ιακὼβ, καὶ τῷ Μωσεῖ ὤφθαι, λελεγμένος καὶ γεγεαμμένος θεὸς, ἕτερος ὅτι τε τὰ πάντα πεποιηκότος θεὸς. *Qui apparuit Abrahæ, Ia-*

[m] *Dialog. 1. cap. 20. Athanas. lib. de Synod. Arimini & Seleuciæ celebr. Vnus est medicus noster corporal. & spiritualis genitus & ingenitus in homine Deus dupl. fol. ante finem.* εἷς ἰατρὸς ὅτι σαρκικὸς, καὶ πνευματικὸς γενητὸς καὶ ἀγένητος ἐν ἀνθρώπῳ θεὸς.

[n] *lib. de recta fidei confess.*

[o] *aliquot ante medium.*

cob, & Moysi, dictus & scriptus Deus, alius est ab eo qui omnia fecit.

Respondeo illud ἕτερος, *Alius*, non referri ad nomen Θεὸς, siue, κύριος Deus, Dominus, sed ad verbum ἐστὶ, Est, vt sensus sit, *Alius præter mundi conditorem est, & dicitur Deus*, id est, non sola persona patris est Deus, sed etiam persona filij. Nam mox explicans quemadmodum sit Alius, ἀεὶ θεῷ λέγω (inquit) οὐ γνώμῃ. Numero dico, non sententiâ, id est persona, non essentia.

Dices si Christus distinguitur à Conditore mundi, non est ipse Conditor. Respondeo distingui à Conditore mundi apptopriatiuè accepto, vt illum hîc vsurpat Iustin. id est prout Patri appropriatur, quia tunc tantum supponit pro persona patris: non autem distingui prout Conditor mundi essentialiter ac absolutè accipitur id est prout adæquatè importat eum qui condidit omnia.

p *Apolog. ad Antoninum.*

Secundo habemus p Athenagoram: *filius* (inquit) *Dei ratio, & verbum est Patris in formâ, & efficacia. Ab ipso namque & per ipsum facta sunt omnia, quod vnum sint Pater, & filius*, &c. *Vt æquali honore & potestate cognoscamus Deum, & verbum eius, & spiritum sanctum.*

q *lib. 3. cap. 20. in principio.*

Tertiò Irenæum. q *Exclusa est* (inquit) *omnis contradictio dicentium, si ergo tunc natus est, non erat antè, Christus. Ostendimus enim, quia tunc non cœpit filius Dei existens semper apud Patrem.* Item, r *ipse igitur Christus cum Patre viuorum est Deus, qui & loquutus est Moysi*, &c.

r *4. cap. 11. in fine.*

s *1. cap. 2.*

Obiciunt ex Irenæo Primò illud, s *Ecclesia* (inquit) *accepit eam fidem, quæ est in vnum Deum. Patrem omnipotentem, qui fecit cælum & terram* &c. *Et in vnum Iesum Christum filium Dei incarnatum*, &c. vbi vnus Deus dicitur Pater, non autem filius. Respondeo, vocem, *Vnum*, tenere se ex parte Dei, non ex parte patris: Non enim est sensus. Quòd vnus Pater, id est, solus

Pater, ſit Deus, ſed quòd pater, ſit ille Deus qui eſt vnus. Non dicitur autem filius ille vnus Deus, quia id poterat facile colligi: tùm quia in patre filius intelligitur: tum quia dictum erat vnum tantum eſſe Deum, at fides in vnum Deum eſt fides in Patrem, filium, & ſpiritum ſanctũ etiam iuxta Irenæum. Noluit autem repetere Irenæus, quia ſcribebat ſymbolum fidei, quod breuiſſimum eſſe debet.

Secundò [t] multa loca, in quibus Irenæus ſæpiſſimè repetit: Deum Iſrael creatorem cæli & terræ, eſſe patrem Chriſti: & fore Chriſtum ſeductorem, ſi alium Deum prædicaſſet præter patrem ſuum: Reſpondeo, dici ab Irenæo Patrem Chriſti Deum Iſraël, *&c.* appropriatiuè. Tunc autem foret reuera Chriſtus ſeductor: quia præter illum Deum qui eſt pater non eſt alius, non enim dicimus filium eſſe alium Deũ ab eo qui eſt pater.

[t] *2. cap. 3. lib. 3. cap. 6. 9. 11. &c.*

Tertiò, Irenæum [u] exponere de ſolo Patre: illud: *Audi* [x] *Iſraël Dominus Deus*, &c. Reſpõdeo non dicere Irenæum eum locum debere intelligi de ſolo patre. Nec nos ita intelligimus de Trinitate, quin de qualibet etiam perſona ſeorſim habemus. Quartò [y] Clement. Alexãdr. Sed (inquit) *eum filium cum Deus eſſet, nihil diciſſe fuit conſentaneum. Neque enim quis verbo maior fuerit, ſed neque magiſter, aut doctor eſt eius, qui ſolus eſt magiſter. An non ergo vel inuiti fatebuntur Verbum perfectum, ex perfecto Patre natum*, &c.

[u] *4. cap. 2.*
[x] *Deuter. 6. v. 4.*
[y] *1 Pædago. cap. 6. in principio.*

Tertiæ ætatis prodeat primus Origenes [z], *Miror* (inquit) *quomodo quidam legentes quòd Apoſtolus dicit, Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & vnus Dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia, negent filium Dei, Deum debere profiteri, ne duos deos dicere videantur. Et quid de hoc loco Apoſtoli facient, in quo apertè Chriſtus ſuper omnia Deus eſſe perſcribitur. ſed non aduertunt qui hæc ita ſentiunt*, &c. Quare veriſimile eſt, quæ inueniuntur in operibus

[z] *lib. 7. in epiſt. ad Rom. exponens c. 9.*

Origenis cõtra filium Dei, & ſpiritum ſanctum fuiſſe ab Arianis inſerta: nam & Athanaſ.[a] citat Origenem contra Arianos, ac addit illos pro ſuis erroribus nullum ex veteribus potuiſſe afferre.

Secundus, [b] Gregorius Thaumaturgus, qui in ſymbolo ſuo, ait verbum Dei eſſe verum filium veri patris, Deum ex Deo, inuiſibilem ex inuiſibili, æternum ex æterno, &c.

Tertius Dionyſ. [c] Romanus, *Non minus* (inquit) *culpanerit eos qui Filium Dei opus credunt, & factum dominum opinantur, cum ſacra eloquia generationem ei congruentem, non formationem aut creationem tribuant.* Et infra. *Non igitur diuidenda eſt in tres Deitates admirabilis & diuina vnitas, &c. Ita & diuina Trinitas profeſtóque Monarchiæ conſeruari poterit.*

Quartus Tertull.[d] *Quoniam* (inquit) *ipſa regula fidei à pluribus Dijs ſeculi ad vnicum, & verum Deum transfert, non intelligentes vnicum quidem, ſed cum œconomiâ* (id eſt ordine perſonarum) *eſſe credendum expauescunt ad œconomiam: numerum, & diſpoſitionem Trinitatis, diuiſionem præſumunt vnitatis.* Item, *Alium quomodo accipere debeas iam profeſſus ſum, perſonæ, non ſubſtantiæ nomine ad diſtinctionem, non ad diuiſionem. Cæterum vbique tenet vnam ſubſtantiam in tribus cohærentibus.*

Obijciunt ex Tertull. Primò illud. [e] *Nam* (inquit) *nec Pater eſſe potuit ante filium nec iudex ante delictum. Fuit autem tempus cum & delictum, & filius non fuit, quod iudicem, & qui patrem Dominum faceret.*

Reſpondeo per filium intelligi tantum ibi puram creaturam rationalẽ, cuius reſpectu di-

[a] *Epiſt. de decretis Nicenæ Synodi poſt medium.*

[b] *Siue confeſſ. fidei apud Nyſſen. orat. in Gregor. Thaumaturg. & ante V. Synodum in Tomis Concilior.*

[c] *apud Athanaſ. epiſt. de decret. Nicæn. Synod. vltra medium.* ὁ μὲν οὖν ἅγιος κατεμέμφετο, καὶ τὴν πίνακα τοῦ υἱὸν εἶναι δοξάζοντας. καὶ γεγονέναι πὸν ὕδατον ὥσπερ ἕν τι τῶν ὄντως γενομένων νομίζοντας, vt vnum de factis, θείων λογίων φήσκειν αὐτῷ τὸν ἁρμόδιον ὦν καὶ πρέπουσαν ἀλλ' ὄχι πλάσιν τινὰ καὶ ποίησιν προσμαρτυροῦντας. Βλάσφημον οὖν ἴσως τυχὸν, μᾶλλον μὲν οὖν χαιροπίκρον φρόνημα λέγειν τὸν κύριον· εἰ γὰρ γέγονεν υἱός, ὡς ὅτε οὐκ ἦν ἀεὶ δὲ ὢν. *Blaſphemia igitur illa non vulgaris, ſed maxima habenda eſt ſi Dominum dicas manufactum, ſi enim factus eſt filius erat quando non erat, atqui ſemper erat.*

[d] *contra Praxeam.*

[e] *lib. contra Hermog.*

ctus est Deus pater ex tempore: non enim ibi agit Tertull. de verbo Dei, sed de ijs quæ ex creaturarũ productione Deo acciderũt. Quamuis reuera verba Tertull. malè sonent, neque sint vsurpanda.

Secundò. *Dum* [f] *filium* (inquit) *agnosco, secundum à patre defendo.* Respondeo, filium esse sedum ordine orginis, non diuersitate gradus in essentiâ: Nam vt ipse ait [g] Tertull. *Diuinitas gradus non habet, vt pote vnica.* Quare cum dicit filium distingui à patre non statu, sed gradu, per gradum intelligit ordinem personarum.

[f] *contra Praxeam.*

[g] *contr. Hermog. longè ante medium.*

Tertio. [h] *Pater* (inquit) *tota substantia est, filius vero deriuatio totius, & portio.* Respondeo. Cum Tertull. dixerit diuinitatem non habere gradus & euidens sit eam esse impartibilem, necessario hæc verba intelligi debent, de solâ distinctione personali, quam in toto lib. intendit. Vocat autem filium portionem, & patrem totam substantiam: quia pater est fons, & principium aliarum personarum.

[h] *contr. Praxeam.*

Quartò. [i] *Consequens erit* (inquit) *vt inuisibilem patrem, intelligamus, pro plenitudine maiestatis: visibilem vero filium, pro modulo deriuationis.*

[i] *eod. lib.*

Respondeo loqui de deriuatione filij ad nos per assumptionem formæ visibilis (in qua apparuisse semper filium nusquam autem Patrem vult Tertull.) non autem de deriuatione à Patre per æternam generationem. Nam paulò post ita loquitur *Dicimus* (inquit) *& filium suo nomine eatenus inuisibilem quâ sermo, & Spiritus Dei.* &c.

Quintò dicere, [k] vnum Deum Iudæorum esse Patrem Christi, & Deo Patri nihil comparari posse, & Filium non eripere Patri illud quod vnus est Deus.

[k] *lib. de Trinit.*

Respondeo librum de Trinit. in quo hæc habentur Tertull non esse, sed potius Nouatiani. Deinde nihil contra nos, quia Christus non

est aliquis secundus Deus, sed idem Deus cum Patre. Nec tamen quidquam Patri comparari potest, si spectes Originis authoritatem, cum quâ tamen consistit substantiæ æqualitas.

[l] *Tract. de Idolorũ vanitate vltra medium.*

Quintus [l] S. Cyprian. *Vnus* (inquit) *omnium Dominus est Deus, neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem*: Et infra. *Hic Deus noster hic Christus est*, &c. Obiiciunt Transyl. quod in explicatione Symboli dicat Cypr. Creatorem Deum esse Patrem Christi, ac vnum esse Deum Patrem, vnum Dominum Iesum Christum. Sed vltra quod ista explicatio non est Cypriani sed [m] Ruffini, nihilque habet contra nos: iam enim suprà diximus, his locutionibus non excludi Filium à ratione Dei, sicut nec Pater à ratione Domini: in ipsamet explicatione manifestè refelluntur ipsi Hæretici *Concilium vanitatis est* (inquit) *quod ait Paulus Samosatenus & post eum successor eius Photinus docuit qui asseruit Christum non fuisse ante sæcula natum, sed ex homine existimat Deum factum. Consilium vanitatis est quod Arius atque Eunomius docuit qui filium non ex ipsa Patris substantia*, &c.

[m] *in ea enim nominantur Arius, Eunomius, Photinus, tempore Cypriani nondum nati.*

[n] *cap. 1.*

[o] *Orationes quinque de Theolog.*
[p] *lib. vno de Trin. & 4. sequentib.*
[q] *a 7. Cateches. ad 11.*
[r] *Hæres 65. & 69.*
[s] *lib. 12. de Trinit.*
[t] *lib. ad Constantium pro Athanas. & alio quod sit pro filio Dei moriendũ.*
[u] *libris 4. contr. Arium.*
[x] *lib. de fid. contra Arianos.*
[y] *lib. 5. de fide.*
[z] *3. Trinit.*

Quartæ ætatis, habemus Nicænum Concil. primum: in cuius Symbolo, quod repetitur [n] in Concil. Constantinop. eadem ætate, hæc de filio dicuntur. Primò, quòd sit verus Deus. Secundò, quod ὁμοούσιος Patri. Tertiò, quod æternus. Quarto quod immutabilis. Quinto, quod genitus, non factus. Eodem sæculo Athanas. quinque sermonibus contra Arianos Basil. lib. quinque contra Eunom. [o] Nazianz. [p] Nyss. [q] Cyrill. Hierosoly. [r] Epiphan. [s] Hilar. [t] Lucifer. [v] Marius Victorinus [x] Gregor. Bæticus atque [y] Ambros. pro diuinitate Filij Dei scripserunt.

Obiiciunt tamen [z] Hilarium dixisse solum Patrem esse vnum verum Deum, licet etiam

Christus sit Deus. Sed audiamus Hilarium seipsum explicantem lib.9.de Trinitate quomodo non excludat filium à veri Dei ratione. *Sed solus fortè* (inquit) *Pater Deus verus, Christo non reliquit vt Deus sit. Non relinquat sanè, si vnus Deus Pater Christo, vt vnus sit Dominus nō relinquit, quod si vnus Deus pater Christo non adimit vt vnus sit Dominus, ita solus Deus Pater verus Christo Iesu non auferat, vt Deus verus sit.*

Ex Ambr. obiiciunt [a] in primam ad Timoth. illud, *Regi sæculorū. Nemo bonus nisi solus Deus. Qui solus est potens Rex Regum, de solo intelligere patre.*

Respōdeo non esse certum huiusmodi commentar. Ambrosij esse, quare, illa omnia, libr. [b] secundo de fide, non solum Patri, sed etiam Filio conuenire dicit. Deinde author horum commentar. [c] tribuit hæc Epitheta soli Patri, non quòd solus habeat, sed quod solus à se, Filius autem à Patre, sicut ipsemet se explicat in cap. sextum. Solam inuisibilitatem tribuit soli Patri, quia solum Patrem putauit cum Tertull. nusquam apparuisse in formâ visibili.

Quintæ Ætatis, habemus Synodum [d] primam Ephesinam: & [e] Chalcedonensem: Ex Patribus autem, Chrysostomum, orat. quod Christus Deus sit. [f] Theophilum Alexandr. [g] Cyrillum libris septem de Trinitate. [h] Theodoret. [i] Gaudentium: [k] Hierony. [l] Augustinum libris quindecim de Trinitate, [m] Ruffinum, [n] Idacium Clarum, [o] Cassianum, [p] Prosperum, [q] Leonem, & [r] Cerealem.

Obiiciunt primo Chrysost. [s] dicentem illa Epitheta *Regi sæculorum, immortali*, &c. habere Patrem per se, Filium à Patre, & proinde dono gratiæ factum Deum, &c. Sed audiamus Chrysost. eo ipso in loco ab aduersariis citato. *Ipse pater* (inquit) *hanc per naturam habet, nos autem per gratiam, nunquid ita & Filius? minimè verò. Verum & ipse hanc per naturam habet*, &c. *Cum au-*

[a] *cap. 1.*
[b] *ca 1. & 3. & li. 3. cap. 2.*
[c] *Hæc omnia* (inquit) *habet pater similiter & Filius à Patre.*
[d] *epist. ad Nestor.*
[e] *ad 2.*
[f] *orat. 1. Paschali.*
[g] *& quatuord. Thesauri.*
[h] *4. hæretic. fab. 2.*
[i] *Tract 7. in exod.*
[k] *lib contra Lucifer. ian.*
[l] *& tribus contra Maximinum.*
[m] *in explicatione Symb.*
[n] *ad Varimadum.*
[o] *7. libris de incarnat.*
[p] *lib. 3. de promiss. & præd. 2. 3. & 4.*
[q] *Epist. ad Flavian.*
[r] *contra Maximinum Arianum.*
[s] *in 1. Cap. 1. ad Timoth.*

dio Patrem Regem sæculorum, non à Filio dominatum tollo. Communia enim ista sunt & Patris, & Filij.

[t] 10. *Thesaur. 4. in fine.*

Secundo Cyrill. [t] explicantem illud, *Ego primus, & ego nouissimus*, de Patre.

[v] *ca. 6. in principio.*

Respondeo, non negare quin etiam conueniant Filio, cum [u] asserat hæc dici non ad deiectionem filij, sed tantum falsorum Deorum.

Tertiò Hierony. quod velit in cap. 4. ad Ephesios illud, *Vnus Deus, & Pater omnium*, dici de Deo Patre. At ibidem respondet Hieron. Si (inquit) *vt existimant Ariani, Pater est Deus solus, eadem consequentia solus erat Dominus Iesus Christus, & nec Pater erit Dominus, nec Filius Deus: sed absit, vt non sit in dominatione Deitas, vel in deitate dominatio.* [x] &c.

[x] *Vnus est Deus, & vnus est Dominus, quia Patris & Filij dominatio vna diuinitas est.*

Vltimò, August. qui lib. sexto [y] Trinit. explicans illud, *Vt cognoscant te solum verum Deum*, &c. videtur dicere nos cogi ad assentiendum solum Patrem esse verum Deum. Sed vt hoc soluatur, & similia loca in quibus dicitur à Patribus, vel scriptura solus Pater verus Deus. Obseruandum est hanc propositionem, *Solus Pater est verus Deus*, triplicem posse sensum habere. Primò, quod idem sit ac dicere tantùm, siue sola persona Patris est Deus, & præter eam nulla persona est Deus: & hic sensus falsus est, nec intentus vsquam à scripturâ, aut Patribus: Secundò, ille Deus, qui est persona Patris, est solus Deus, & præter eum nullus est Deus. Et hic sensus verus est, sed tunc non excluditur Filius aut Spiritus sanctus: quia illemet Deus qui est persona Patris, est etiã [z] persona Filij, & Spiritus sancti, nõ enim tres dij, sed vnus numero Deus. Quare cum præter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum nullus sit Deus, verum erit dicere, hic Deus qui est Pater, est solus Deus, & præter eum nullus.

[y] *cap. 9. Quid agimus de illo testimonio Domini? Patri enim dicebat, & patrem nominauerat, &c.*

[z] [*Non in ratione personæ patris, sed alterius, & alterius personæ.*]

Tertiò, quod sensus sit, Pater seorsim etiam consideratus, est verus Deus. Et hic sensus

eſt etiam verus. Nam non ſolum tres perſonæ ſimul ſunt vnus verus Deus, ſed vnaquæque ſeorſim eſt ille vnus verus Deus, & hunc ſenſum intendit Auguſt. ſupra. Dicit enim ideò fortè vocati ſolum Patrem verum Deum, ne putaremus nomen Dei non conuenire niſi tribus ſimul.

Sextæ ætatis, habemus quintum Synodum, [a] aſſerentem, tres perſonas vnius eſſentiæ ex Patribus, [b] Fulgentium, [c] Vigilium Tridentinum, [d] Ioannem Maxentium & Boetium Seuerinum.

Septimæ ætatis, [e] ſextam Synodum. Item [f] Gregorium magnum, & [g] Turonicum, atque [h] Iſidorum.

Octauæ, [i] ſeptimam Synodum, [k] Bedam & [l] Ioannem Damaſcenum.

Nonę, [m] octauam Synod. [n] Photium, Theophylactum, Haymonem, & Rabanum.

Decimæ, [o] Ambroſium Ansbertum, & [p] Radulphum Flauiacenſem.

Vndecimæ, [q] S. Anſelmũ & [r] Giſelbertum.

Duodecimæ, [s] Richardum de Sancto Victore, & [t] S. Bernardum.

Decimæ tertię, Concil. [u] Lateranen. ac ſimul multos inſignes Theologos, Petrum Lombardum, Alexandrum Alenſem, Albertum magnum, S. Thomam, Bonauenturam, &c.

Decimæ quartæ, [x] Concilium Viennenſe.

Decimæ quintæ, [y] Concil Florent. & vltimę ſiue Decimæ ſextę [z] Concil. Tridentinum.

[a] *cap. 1.*
[b] *lib. de fide ad Petrum cap. 1. & lib. 3. ad Moninium, & libris ad Traſmund. ac libro ad obiectiones Ariano.*
[c] *lib. 4. 5. contra Eutychen.*
[d] *in profeſſ. fidei.*
[e] *Act. 17.*
[f] *3. Dialog. 29. & ſeqq.*
[g] *lib. 5. cap. 43. & lib. 6 cap. 4. hiſtor.*
[h] *lib. de Trtnit.*
[i] *Act. 7.*
[k] *Commentar. in lib. de Trinitate Boetij.*
[l] *1. de fid. 2. 6. 8.*
[m] *act. vlt.*
[n] *in 9. ad Roman. & 2. ad. Philip.*
[o] *Comment. in Apocal.*
[p] *in Leuit. cap. 2.*
[q] *lib. de Trinit.*
[r] *lib. de Altercat. Eccleſiæ & ſynag.*
[s] *lib. 6. de Trinit.* [t] *Epiſt. 190.* [u] *cap. 1.* [x] *Clementica vnica de ſum. Trinit. & fid. Cathol.*
[y] *Seſſ. vlt. decreto de proceſſ. Spiritus ſancti.* [z] *Seſſ. 3.*

Ex Sybillis.

CAP. XI.

YBILLARVM teſtimonia frequenter [a] veteres citant. Erithreæ extat carmẽ [b] Acroſtichõ, quod ita concludit.

Vnus, & æternus Deus hic ſeruator, & idem
Chriſtus pro nobis paſſus, quem carmina ſignant.

[c] Lactantius & [d] Auguſt. alia ex Sybill. ita reddunt, *Ipſa tuum ſtulta Deum non agnouiſti, ſed ſpineâ coronaſti coronâ, horridumque fel miſcuiſti.* Item, *& dabunt Deo alapas manibus inceſtis.* Libro 6. Sybillinorum legimus.

Cum domus effundet ſtirpem Dauidica, cuius
In manibus totus mundus, tellus, mare, cælum.

Libro ſeptimo.

O lignum fœlix in quo Deus ipſe pependit.

Lib. octauo.

Accipe virgo Deum gremio intemerata pudico.

[a] *Iuſtin. Athenag. Lactant. Aug. &c.*
[b] *Vide orationem Conſtantini mag. ad cœtum Sanctor. apud Euſeb. poſt vitam Conſtant.*
[c] 4. *Inſt.* 18.
[d] 18. *Ciuit.* 23.

Ex diuinis viſionibus, & miraculis.

CAP. XII.

ANTE [a] exortam Arij hæreſim apparuit ſancto Gregorio Thaumaturgo eum Ioanne Euangeliſt. B. virgo, cuius imperio Ioannes tradidit eidem Gregorio fidei confeſſionem in quâ prædicatur Verbum, Deus verus æternus, &c.

[a] *Annis circiter 50. vide Gregorium Nyſſenum in oration. de laudibus Thaumaturgi.*

Ante eandem hæreſim [b] reuelauit Deus B. Antonio mala quæ Atius in Eccleſiam inuecturus erat, quare S. Antonius poſtea nullum Arianum paſſus eſt ad montem ſuum accedere.

[b] *ita Athanaſ. in Antonio aliquot ante finem.*

Circa idem tempus cum iam prima ſemina hæreſis Arianæ apparerent, *S.* Petro Martyri Epiſcopo Alexandrino apparuit [c] in carcere Chriſtus veſte ſciſſa à ſummo vſque deorſum, conquerens hoc feciſſe Arium, quia (inquit) populum meum à me ſeparauit. Arius ipſe [d] cum iureiurando affirmaſſet Conſtantino ſe catholicam colere fidem, reſpondiſſetque Conſtantinus *ſi recta eſt fides tua, benè iuraſti, ſi autem impiâ, & tamen iuraſti, Deus pro iuramento condemnet*: voluit poſtea in Eccleſiam vi intrare, quare Alexander Epiſcop. Conſtantinopol. orauit Deum, vt ſi permitteret Arium ingredi Eccleſiam, tolleret ſe de hoc mundo, ſin autem Eccleſiæ parceret, tolleret Arium, vnde [e] Arius ſubita ventris ſolutione occupatus, inteſtina omnia in publicis latrinis cum vita profudit.

[c] *teſte Beda, & Adone in Martyrolog. 25. Nouemb.*

[d] *Athanaſ. Epiſt. ad Serapionem fratrem & Collegam.*

[e] *Vide Ath. orat. 1. in Arian folio ante finem. Gaudent. epiſt. ad Paulum Epiph hæreſ 68.*

Lucius [f] Arianus Epiſcopus catholicos vbique perſequebatur. Monachi autem his verbis miracula patrabant, *in nomine Ieſu quem Lucius perſequitur ſurge, & ambula.*

[f] *apud Ruffin. 11. hiſtor. 4.*

Hilarius [g] ab Arianis in exilium relegatus, inſulam quandam ſolo Imperio, & præſentia ſua à ſerpentibus liberauit, & ad vitam mortuum reuocauit. Cum [h] quæſtio verſaretur de quadam Eccleſia, vtrum catholicis, an Arianis contingere deberet, conditionem S. Baſilius obtulit, vt illis crederetur ad quorum orationem, firmiſſimis repagulis clauſa, illicò aperiretur priores Ariani orant, ſed ſine effectu, poſterior Baſilius orat, & ecce continuò fores Eccleſiæ magno fragore apertæ. Cum [i] ſancti Martyres ab Arianis pro fide catholica vſque ad oſſium denudationem flagellarentur, ſæpè accidit vt ſequenti die diuino miraculo incolumes conſ-

[g] *apud Fortunatum in Hilario.*

[h] *Amphilochius in Baſilio.*

[i] *Victor Vticenſ. t. de perſecut. Vandal.*

[k] *lib.3. & Gregor. 3. dial.32.*

picerentur. Aliis, [k] radicitus euulſis linguis, iuſſu Ariani regis, non defuit tamen optimus loquendi vſus vſque ad exitum vitæ.

[l] *de his vide Grego. 3.dial.29.30.& 31.*

In [l] vrbe Spoleta cum Arianus Epiſcopus Eccleſiam Sancti Pauli ſuo errori dedicare vellet, catholici diligentiſſimè clauſerunt fores lampadibus omnibus extinctis, accedit Arianus cum ſuis impetum facturus, & repentè fores, per ſe patuerunt, effuſoque cælitùs lumine omnes ſunt accenſæ lampades. Sed tanto terrore Ariani affecti vt non ſolùm, non auſi Eccleſiam intrare, ſed coacti fuerint ſuum Epiſcopum cæcitate percuſſum in domum reportare. Cum S. Gregorius Eccleſiam, quæ Arianorum fuerat reconciliaret, Diabolus in ſpecie ſuis horrendæ exiuit, ac nubes lucida ſuper altare deſcendit, lampadibus omnibus diuinitus accenſis. In Hiſpania cum Herminigildus à patre rege Ariano propter fidem necatus eſſet, viſæ ſunt noctu circa eum lampades accenſæ, & auditus à multis Angelorum cantus.

Demonſtratur diuinitas Spiritus ſancti.

CAP. XIII.

[a] 2.*Reg.*23.*v.*1.& 2.*ac* 3.

PRIMO, ex veteri teſtamento. [a] *Hæc ſunt verba nouiſſima quæ dixit Dauid. Spiritus Domini loquutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. Dixit Deus Iſrael mihi*, &c. Quis Deus Iſrael niſi quem proximè vocauerat Spiritum Domini?

[b] *Mat. vlt. v.* 19. βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

Secundò, ex Nouo teſtamento. *Baptizate* [b] *omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ad quid enim iungitur cum Patre & Filio in formâ baptiſmi, ſi non ſit idem cum illis Deus? ſolius [c] enim Dei eſt nos regenerare

[c] *Pſal.*83.*v.*12.

per baptiſmum, ac gratiam, & gloriam dare.

Tertiò ex vtroque teſtamento ſimul. [d] Iſaiæ ſexto, *Dixit Dominus exercituum Iſaiæ, Vade dic populo huic audite audientes, & nolite intelligere.* de Spirituſancto. Actor vlt. [e] *Benè Spiritus ſanctus loquutus eſt per Iſaiam dicens: Vade ad populum iſtum*, &c. Præterea, [f] *Dominus Deus Iſraël loquutus eſt per os ſanctorum qui à ſæculo ſunt prophetarum eius.* Et ipſimet prophetæ identidem repetebant. Hæc dicit *Dominus Deus.* At ſecundæ [g] Petri. *Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines.*

Quartò ex nominibus. Primò nuſquam vocatur Spiritusſanctus creatura, aut inter creaturas numeratur, cum [h] numerantur in ſcripturâ. Hoc argumẽtum magni fit à Iuſtino, Epiph. & Chryſoſt. Secundo vocatur abſolutè Deus. *Anania* [i] *cur tentauit Satanas cor tuum mentiri Spiritui ſancto? non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Ad de Arianos adeò putaſſe Spiritumſanctum in ſcripturis Deum eſſe appellatum, vt ex ſuis codicibus eraſerint [k] illa verba, *Spiritus eſt Deus.*

Quintò ex attributis. Immenſitate Pſal centeſimo trigeſimo octauo, *Quo* [l] *ibo à Spiritu tuo.* item, *Spiritus* [m] *Domini repleuit orbem terrarum.* Cognoſcere perfectè Deum. *Spiritus* [n] *omnia ſcrutatur etiam profunda Dei.* Omnipotentia: Sapient. [o] ſeptimo de Spiritu ſancto, *omnem habens virtutem.* Bonitate, *Spiritus* [p] *tuus bonus deducet me in terram rectam.* Habere templum. *Membra* [q] *veſtra templum ſunt Spiritus ſancti.*

Sextò ex operibus: Creatione. *Spiritus* [r]

[d] *Verſ. 9.*

[e] *Verſ. 25. & 26.*

[f] *Luc. 1. v. 70.*

[g] *1. v. vult.* πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι.

[h] *Daniel 3. in hym. pueror. Pſal. 102. & 148. & 1 Coloſſ.* quo enumerantur nobiliſſima creaturæ.

[i] *Actor. 5. verſ 3.* διὰ τί ἐπλήρωσεν ὁ σατανᾶς τὴν καρδίαν σου, ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα ἅγιον. *v. 4.* οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις, ἀλλὰ τῷ θεῷ.

[k] *teſte Ambr. 3. de Spiritu ſancto 11.*

[l] *verſ 7.*

[m] *verſ. 7.*

[n] *1. Corinth. 2. v. 11.* τὸ πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη τοῦ θεοῦ. *v. 11.* τὰ τοῦ θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ. *Quæ Dei ſunt nemo cognouit niſi ſpiritus Dei.*

[o] *Verſ. 23.*

[p] *Pſal. 142. v. 11.*

[q] *1. Corinth. 6. v. 19.* ἢ οὐκ οἴδατε ὅτι. *An neſcitis quoniam* τὸ σῶμα ὑμῶν, *corpus veſtrum, vaos tu en humin agion pneumatos estin. eſt templum Spiritus ſancti qui in vobis eſt.*

[r] *Iob. 33. v. 4.*

[s] *Psal.33.verſ.6.* [t] *Psal.103.v.30.*

Dei fecit me. Verbo [s] *Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Emitte* [t] *ſpiritum tuum, & creabuntur.* Conſeruatione. *Spiritus Domini repleuit*, &c. *Et hoc πνεῦμα quod continet omnia*, &c. Saluatione, & Iuſtificatione.

[v] *1.Corint.6.v.11.* ἐδικαιώθητε ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου Ἰησοῦ, καὶ ἐν τῷ πνεύματι τοῦ θεοῦ ἡμῶν.

Iuſtificati [u] *eſtis in nomine Domini Ieſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri.* Prædictione futurorum, & ſcrutatione cordium, *Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti homines. Rennm illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, quoniam ſpiritus Domini repleuit orbem terrarum*, &c. id eſt, quoniã ſpiritus Dei omnia penetrat, omnia nouit.

Miraculorum patratione. Nam Chriſtus ipſe,

[x] *Math.12.v.28.* [y] *v.4.σημειωμάτων τοῦ θεοῦ σημείοις, τέρασι, καὶ ποικίλαις δυνάμεσιν, καὶ πνεύματος ἁγίου μερισμοῖς. Conteſtante Deo ſignis, & portentis, & variis virtutibus & Spirituſſanctidiſtributionibus.*

[x] *In ſpiritu Dei eiiciebat dæmonia.* Et Hebr. [y] ſecundo miracula quæ per Apoſtolos fiebant vocantur Spirituſſancti Dei diſtributiones.

Directione Eccleſiæ Dei abſolutâ poteſtate,

[z] *Actor. 10 v 19. & 20. εἶπε αὐτῷ τὸ πνεῦμα ἰδοὺ ἄνδρες τρεῖς ζητοῦσί σε. Ecce tres viri quærunt te. ἀλλὰ ἀναστὰς, ſed ſurge, καταβὰς καὶ πορευόμενος σὺν αὐτοῖς μηδὲν διακρινόμενος.*

[z] *Dixit Spiritus Petro, vade ad eos nihil hæſitans quia ego miſi eos.* [a] *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* [b] *Attendite vobis & vniuerſo gregi in quo vos Spirituſſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, &c.

Septimò, ex eminentiâ Spirituſſancti ſupra Chriſtum volunt aduerſarij Patrem eſſe Chriſto maiorem, quia miſit eum, ſanctificauit, Incarnationẽ operatus eſt, quod filius in virtute Patris miracula faceret, quod pater obtulit filium ad mortem, & quod ſuſcitauit à mortuis. Hæc omnia Spirituiſancto etiã cõpetunt. [c] *Et Dominus meus miſit me, & ſpiritus eius.* [d] *ſpiritus Domini ſuper me Euangelizare pauperibus miſit me.* [e]

[a] *Actor. 15. verſ. 28.*
[b] *Actor. 20. verſ. 28.*
[c] *Iſaiæ 48. verſ. 17.*
[d] *Luc. 4. v. 18. πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμὲ, οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με, εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με.*
[e] *Math. 1. v. 21. τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου.*

Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est, [t] *si ego in spiritu Dei eiicio dæmonia. Per* [u] *spiritum sanctum obtulit semetipsum.* [h] *Si spiritus eius qui suscitauit Iesum à mortuis,* & c. Adde [i] grauius esse peccare in spiritū Sanctum quam in Christum. Sed iuxta aduersarios nihil est superius Christo (quem purum hominem asserunt) præter Deum patrem. Ergo spiritus Sanctus est idem ille Deus qui pater.

Octauo ex Patribus [c] Athanas. [l] Basil. [m] Nazianz. [n] Nysseno, [o] Epiph. [p] Didymo, [q] vtroque Cyrillo, [r] Chrysost. [s] Hilar. [t] August. qui ex professo pro diuinitate spiritus Sancti scripserunt.

Nono ex miraculis quæ pro Christi diuinitate superius sunt allata, quibus istud [u] addatur.

Tempore persecutionis wandalicæ Cyrola quidem Arianus Episcopus conduxit hominem quendam aureis quingentis, vt se simularet cæcum, ac prætereunte Cyrola, cum sanctis Eugenio Vindemiali, & Lōgino, eius auxilium imploraret. Sed dùm simulator per viam sedens lamentabili voce Cyrolæ petit opem: ac superbus Episcopus manum super oculos viri imponit dicēs secundum fidem nostram, quam rectè credimus, aperiantur oculi tui, tantus dolor oculos simulatoris inuasit, vt eos digitis vix comprimeret, ne creparent. Quare afflictione ad mentem reuocatus, patefecit fraudem, humiliter sanctorum Episcoporū Eugen. Vindemial. & Longini misericordiam inuocans, Qui si (inquiunt) credis, omnia possibilia sunt cre-

[t] *Math.* 12. *v.* 28.
[u] *Hebr.* 9. *v.* 14. διὰ πνεύματος αἰωνίου *æternum* ἑαυτὸν προσήνεγκεν ἄμωμον τῷ Θεῷ. *inculpatum, siue, immaculatum Deo.*
[h] *Rom.* 8. *v.* 11. εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, *habitat in vobis.* ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν, *Suscitans Christum ex mortuis viuificabit & mortalia corpora vestra.* διὰ τὸ ἐνοικοῦν αὐτοῦ πνεῦμα ἐν ὑμῖν, *propter inhabitantem spiritum eius in vobis.*
[i] *Math.* 12. *v.* 31. & 32.
[k] *ep. ad Serap.*
[l] 3. & 5. *in Eunom.*
[m] 5. *de Theolog.*
[n] *lib. ad Eustathium Spiritus sanctus sit Deus.*

[o] *hæres.* 74.
[p] *libris* 2. *de Spiritu sancto.*
[q] *Hieros. catech.* 16. & 17. *Alexand.* 7. *de Trinit.* & *lib. de Spiritu sancto.*
[r] *homilijs aliquot de spiritu sancto.*
[s] *lib.* 12. *de Trinit.*
[t] 1. *de Trinit.* 6. & *Ambros. tribus de Spiritu sancto.*
[u] *Gregor. Turon.* 2. *hist.* 3.

denti, at ille Credo Deum patrem omnipotentem, credo filium Dei Christum Iesum æqualem patri. Credo spiritum Sanctum Patri, & filio consubstantialem, atque coæternum quibus auditis Vindemialis, ac Longinus manus misero imposuerunt, Sanctus verò Eugenius crucem super oculos cæci faciens ait: *In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti veri Dei: quem trinum in una æqualitate, atque omnipotentia confitemur, aperiantur oculi tui.* Et statim ablato dolore, ad pristinam rediit sanitatem.

Soluitur primum argumentum hæreticorum.

CAP. XIIII.

[a] *lib. 1. cap. 1.*

[b] *Ioan. 5. v. 43.* ἐγὼ ἐλήλυθα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, καὶ οὐ λαμβάνετέ με· ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, ἐκεῖνον λήψεσθε.

[c] *Ioan. 9. v. 4.* ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με ἕως ἡμέρα ἐστίν· ἔρχεται νὺξ ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι.

[d] *Luc. 21. v. 8.* πολλοὶ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου λέγοντες ὅτι ἐγώ εἰμι καὶ ὁ καιρὸς ἤγγικε·

[e] *Actor. 20. v. 29.* εἰσελεύσονται μετ' ἀφιξίν μου λύκοι βαρεῖς εἰς ὑμᾶς, μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου non parentes gregi.

[f] *Coloss. 2. v. 8.* βλέπετε μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων: Et inanem fallaciam secundum traditionem hominum.

PRIMA obiectio [a] Transyl. Christus, & Apostoli prædixerunt statim venturum Antichristum, post Christi obitum, & aboliturum veram fidem Christi: [b] *Ego veni in nomine patris mei, & non recepistis me, si alius venerit nomine suo, illum recipietis.* [c] *Me oportet operari donec dies est, venit nox in quâ nemo potest operari, &c.* [d] *Multi venient in nomine meo, dicentes, quia ego sum, & tempus appropinquauit. Post* [e] *discessum meum, intrabunt in vos lupi rapaces,* [f] *vi-*

dete ne

dete ne quis vos decipiat, per Philoſophiam, &c. quæ maior philoſophia quam diſputatio de eſſentia, hypoſtaſi, relationibus? [g] *Myſterium iam operatur iniquitatis* Item, [h] *Antichriſtus iam nunc eſt in mundo, omnis qui negat Chriſtum*, &c. Sed videmus poſt Chriſti mortem, toto orbe terratum, adoratum Deum trinum in perſonis, vnum in eſſentia. Igitur aut fides Trinitatis eſt fides Antichriſti, aut Chriſtus & Apoſtoli ſunt mentiti.

Reſpondeo, falſam eſſe maiorem. Si enim ſtatim à morte Chriſti ſtatim vera fides abolenda, ad quid venit Chriſtus? vbi ſunt promiſſiones illæ? *Regni* [i] *eius non erit finis. Ego vobiſcum ſum vſque adconſummationem ſæculi Matth.* [k] *vlt. in* [l] *ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, [m] *omnes gentes ſeruient ei.* Ad primum teſtimonium, ibi non haberi ſtatim venturum Antichriſtum poſt Chriſti mortem, ſed ſignificari venturum tempore ſuo, id eſt ad finem mundi, qui nullo modo dici poteſt noſter Chriſtus. Nam illum recipient Iudæi, noſtrum non recipiunt, illum credunt purum hominem, noſtrum credimus Deum & hominem. Ad ſecundum, *per diem*, non intelligi tantum tempus quo Chriſtus in mundo fuit viſibiliter, *Per noctem*, tempus ab aſcenſione Chriſti vſque nunc. Nam ſequeretur, neminem nunc poſſe operari, id eſt, conuerti & credere: Ad quid ergo tantum laborant Tranſyl. vt ſuam perſuadeant fidem? Sed per diem, intelligitur totum tempus, vſque adconſummationem ſæculi, nec refert quod ibi habetur, [n] *Quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Nam Chriſtus nunc etiam in mundo eſt. Per, *Noctem*, verò, intelligitur tempus vitæ futuræ, [o] *Quia nec opus nec ratio erunt apud inferos.*

Ad tertium, aſſerere quidem Chriſtum tempus appropinquaſſe, non quidem iudicij aut illius eximij Antichriſti, ſed multorum ſeducto-

g 2. *Theſſ.* 2. v. 7. μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας.

h 1. *Ioan.* 4. v. 3. πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἔστιν· καὶ τοῦτο ἐστὶ τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, &c. καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη. *Omnis Spiritus, qui non confitetur Ieſ. Chriſtum veniſſe in carne ex Deo non eſt, & hic eſt Antichr.* &c. *& nunc in mundo eſt iam.*

i *Luc* 1. v. 33. τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος.

k 16. v. 58. πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, *portæ inferi non præualebunt*, &c.

l *Geneſ.* 22. v. 18.

m *Pſal.* 71. v. 11.

n v. 5. ὅταν ὦ ἐν τῷ κόσμῳ, φῶς εἰμὶ τοῦ κόσμου.

o *Eccleſiaſtæ* 9. v. 10.

rum, qui sibi nomen Christi, vsurparent, qualis Simon Magus, & Menander.

Ad quartum loqui Paulum de Hæreticis ex Asiâ proditurís, alloquebatur enim Asianos, cum ait. *Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa*, &c. quod impletum est in Montano, & Montanistis.

Ad quintum Paulum loqui de Philosophiâ Ethnicorum: qui enim disputant de essentiâ, relatione, &c. in Trinitate, nondum nati erant. Deinde nulla pars Philosophiæ, tractat de hoc mysterio.

Ad reliqua, vocari Antichristos præcursores illius eximij Antichristi venturi, eique similes in oppugnando Christo, sicut vnus est Christus summus, & eximius, & tamen omnes Prophetæ, & Reges dicti sunt Christi.

Solvitur secundum.

CAP. XV.

[a] *Transyl. 1. cap. 1. & 3. & explicat. 1. cap. Euang. Ioan.*

[b] *3. cap. 19.* [*sed hoc capite refellit quidem asserentes Christum descendisse in Iesum, verùm qui sint non nominat.*]

[c] *ep. ad Philadelph. Qui dicit Iesum purũ esse hominẽ* (inquit) *serpens est, mentis inops cognomine Ebion. Siquidem* אביון *Ebion pauperrimum Hebræis significat.*

[d] *circa medium 11. cap. lib. 3.*

SECVNDA [a] obiectio, Ebion, & Cherintus docuerunt Christum compositum ex duabus naturis vnâ æternâ, aliâ temporali. Nam asserebant Christum æternum, descendisse in hominem Iesum, vt docet [b] Irenæus. Ergo qui Christum dicunt Deum & hominem sunt Ebionitæ.

Respondeo falsum antecedens, Ebion siquidem semper docuit Iesum esse hominem purum teste [c] Ignatio, & [d] Irenæo: *Secundum nullam sententiam Hæreticorum* (inquit) *Verbum*

caro factum est: [c] Tertull. [f] Euseb. [g] Hierony. verum est [h] simul docuisse, anno trigesimo, in filium Mariæ, id est, Iesum, descendisse, & habitasse aliam personam quam vocabat Christum, quod idem Transyl. docent. [Sed hoc non est Christum esse compositum ex duabus naturis (alioqui tota Trinitas esset composita ex diuinâ naturâ, & creaturis in quibus habitat) sed tantùm habitare Christum, siue Deum in in Iesu.]

[c] *libro de carne Christi & de prescript.*
[f] *3. histor. 27.*
[g] *in Ioanne.*
[h] [*citatur 25. & 26. lib. 1. Iræn. verùm in 25. hoc quidem de Cherinto habetur, in 26. in quo agit de Ebione nihil tale reperire potui.*]

Soluitur tertium.

CAP. XVI.

TERTIA [a] obiectio. Nomen Dei, non est nomen essentiæ, sed dignitatis, & imperij: quia in scripturis principes & iudices, dicuntur Dij: Sed Pater Christi, habet imperium in omnes absolutè, etiam in Christum: Christus post Patrem, in omnes: Ergo pater est summus Deus simpliciter, Christus summus Deus post patrem: vnde est illud, [b] Pater maior me est. Item, [c] descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me. Et primę [d] Corinth. Cum subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia.

[a] *2. cap. 6. Transyl.*
[b] *Ioan. 14. vers. 28.* πατὴρ μου μείζων μου ἐστί.
[c] *Ioan. 6. vers. 38.* καταβέβηκα ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ οὐχ ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με.
[d] *15. v. 28.* ὅταν ὑποταγῇ αὐτῷ τὰ πάντα τότε καὶ αὐτὸς ὁ υἱὸς ὑποταγήσεται τῷ ὑποτάξαντι αὐτῷ τὰ πάντα.

Respondeo maiorē falsam esse, si etymologiā spectes. Θεὸς enim vel à θέασθαι videre, vel. i. à θέειν id est, currere dicitur: Hebraicè nomen primarium Dei est יהוה ab [e] הָיָה fuit, illud autem אֱלֹהִים *elohim*, ab אָלָה *alah* iurauit, quia per Deum iuratur execratoriè. Si verò, spectes id, ad quod impositum est nomen, tunc falsum etiam est impositum ad significandum solùm

[e] *haiah.*

imperium, ſed rem præſtantiſſimam, & ſummam: alioquin non fuiſſet ab æterno Deus: quamuis verum eſſe poſſit attributum hoc nomen creaturis propter dignitatem, ac imperium, vel aliquid aliud ad ſimilitudinẽ aliquam excellentiæ, & imperij quod eſt in ſummo, & vero Deo.

Ad minorem falſam eſſe ea ex parte quâ intendit Chriſtum omnimodè eſſe ſubiectum patri, non eſt enim ſubiectus in quantum Deus eſt.

Ad primum teſtimonium reſpondeo cum [f] Athanaſio Chriſtus eſt *Aequalis patri ſecundum diuinitatem, minor patrem ſecundum humanitatem.* Nam ſecundum eam naturam minor eſt patre ſecundum quam iuit ad patrem, iuxta illud *Vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt*, non iuit autem ad patrem in quantum Deus, ſed in quantum homo.

[f] *in Symbolo.* Ἴσος τῷ πατρὶ, κατὰ τὴν θεότητα, ἔλαττον τοῦ πατρὸς, κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα.

Ad ſecundum, ſenſum eſſe deſcendi de cœlo, id eſt, aſſumpſi formam ſerui: hoc enim veluti maxime ſe demittere ac de gloria ſua deſcendere eſt: *vt faciam voluntatem*, id eſt, vt in eâ naturâ quâ aſſumpſi obediam patri. Vnde patet nihil aliud inde concludi, quam Chriſtum fuiſſe obedientem patri, in quantum Chriſtus erat homo, non in quantum Deus.

Ad tertium ſenſum eſſe, & tunc etiam fore ſubiectum filium Patri, ſed [g] ratione humanitatis cum enim dixiſſet Paulus Chriſtum euacuaturum omnem principatum, & poteſtatem, ne putarent Corinthij, iuxta fabulas gentium, à Chriſto etiam patrem in ordinem redigendum quomodo Saturnus à Ioſue filio, ideo addidit omnia ſubiicienda Chriſto, præter eum qui ſubiecit ei omnia, & non ſolùm hoc, ſed etiam ipſum Chriſtum etiam tunc poſtquam tanta fecerit ſubiectum fore patri.

[g] *ita Ambroſ. 5. de fid. 6. Aug. 1. Trinit. 8. Theodoret. & alij in hunc locum.*

Soluitur quartum.

CAP. XVII.

QVARTA [a] obiectio, ſolus Pater eſt vnus verus Deus. Ioannis decimo ſeptimo, *Agnoſcant te*, &c. Item, [b] *Nobis vnus eſt Deus Pater*, rurſus, [c] *Vnus Deus, vnus & mediator*, &c. Ergo filius non eſt verus Deus.

[a] *ibidem.*
[b] *1. Corinth. 8. v. 6.*
[c] *1. ad Timoth. 2. v. 5.*

Confirmatur, Chriſtus eſt filius vnicus veri Dei. Ergo qui non habet Chriſtum filium non eſt vnus verus Deus, ſed Trinitas non habet Chriſtum filium, ergo, &c.

Deinde Chriſtus eſt mediator vnius veri Dei, ergo qui nō habet mediatorem Chriſtum, non eſt verus Deus. Trinitas non habet: quia idem eſſet mediator ſuiipſius, ſcilicet filius, cum dicatur vna ex perſonis Trinitatis. Quare Chriſtus non docuit inuocare Trinitatem, ſed patrem ſuum, & antiquitùs omnes Eccleſiæ orationes ad patrem dirigebantur qua de re extat decretum in concil. [d] Carthag. tertio.

[d] *cap. 23.*

Ad antecedens argumenti reſpondeo [e] ſupra nos dixiſſe quomodo ſunt intelligendæ hæ propoſitiones, *Pater eſt ſolus, vnus Deus*, &c. Hic obſeruādū in vltimo, teſtimonio vocem Deus, non accipi pro patre, ſed totâ Trinitate cuius eſt mediator Chriſtus.

[e] *cap. 10.*

Ad primæ confirmationis conſequent. negatur. Eſt enim ab affirmatiua particulari de prædicato communi definitè, ſine vllâ excluſione poſito pro vnò tantùm ſingulari, ad negatiuam vniuerſalem, aut æquiualentem eiuſdem prædicati indefinitè, ſiue abſolutè: poſiti cuiuſmodi eſt illa, Petrus eſt filius vnius veri hominis.

Ergo qui non habet Petrum filium, non eſt vnus verus homo. [At non ſolùm pater Petri eſt homo, ſed etiam multi alij: ſic & pater Chriſti, non ſolùm eſt Deus, ſed etiam filius, & Spiritusſanctus, ac tota Trinitas ſimul ſunt ille idem Deus. In quâ tamen comparatione hoc intereſt, quod ita pater Petri eſt homo, & vnuſquiſque alius ſeorſim vnus homo, vt ſimul omnes nequeant dici ſimpliciter vnus homo, ſed cum adiuncto, ſcilicet vnus homo ſpecie, quia diuerſas habent numero naturas, tres autem perſonæ Trinitatis, dicuntur ſimul vnus Deus ſimpliciter, quia vnam, & eandem numero naturam habent.]

Ad ſecundæ ſubſumptionē, falſam eſſe: Chriſtus enim vt homo eſt mediator totius Trinitatis, & proinde ſui ipſius inquātum Deus eſt. falſum item Chriſtum voluiſſe ſolum inuocari patrem, nonne iuſſit baptizandas gentes in nomine totius Trinitatis? & quid hoc niſi inuocare Trinitatem? quando autem orationes diriguntur ad patrem, in illo inuocantur omnes tres perſonæ vt [f] Tertull. docet, nec nouum eſt apud antiquos [g] PP. Trinitatem expreſsè & nominatim inuocari.

[f] *lib. de oratione, & patet ex concluſione collectarum, Qui tecum viuit & regnat*, &c.

[g] *Baſil. & Chryſ. in liturgiâ. Dionyſ. de myſticâ Theolog. Nazianz. orat. 2. de pace. Aug. in fine libr. de Trinitate.*

Soluitur quintum.

CAP. XVIII.

QVINTA obiectio Tranſyl. Euāgeliſtæ, & Apoſtoli perpetuo docent verum Chriſtum natum, paſſum, &c. nec alium nouerunt ante ipſum, aliàs aliquid dixiſſent de illo ante incarnationem: nec dixiſſet Ioannes, [a] *Hoc fuit initium ſignorum Ieſu*: Et Petrus [b] *Certiſſimè ſciat omnis domus Iſrael quia & Dominum &*

[a] *Ioan. 2. v. 36.* Τοῦτο ἐποίησεν τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων ὁ Ἰησοῦς.

[b] *Actor. 2. v. 36.* ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω πᾶς οἶκος Ἰσραὴλ ὅτι καὶ κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ θεὸς ἐποίησεν τοῦτον τὸν Ἰησοῦν.

Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum. Ergo Chriſtus verus non fuit ante incarnationem.

Veteres Ariani vt probarent Chriſtum eſſe creaturam, vtebantur his teſtimoniis [c] *Dominus creauit me in initio viarum ſuarum.* Item, [d] *Tunc dixit mihi creator omnium, & qui creauit me:* rurſus [e] Qui *poſt me venturus eſt, ante me factus eſt.* Præterea. [f] *Primogenitus omnis Creaturæ.* Adde. *Tanto* [g] *melior Angelis effectus.* Denique, [h] *Conſiderate Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum Chriſtum qui fidelis eſt ei qui fecit illum.*

Ad antecedens Tranſyl. reſpondeo, aliud eſſe non noſſe alium Chriſtum quam illum qui natus, paſſus, &c. & ante illum nullum noſſe: aliud non noſſe eundem ante quam natum, paſſum, &c. prioris enim ſenſus eſt, vnum tantum noſſe Chriſtum: quod verum eſt: poſterioris Euangeliſtas, & Apoſtolos non credidiſſe Chriſtum fuiſſe ante incarnationem, quod falſum eſt. Etſi autem Matth. Marcus, & Lucas à natiuitate temporali Chriſti cæperint, Ioannes tamen cæpit ab æternâ: Teſtimonia autem quæ pro ſe Tranſyl. afferunt, intelligenda ſunt de Chriſto in quantum homine.

Ad primum pro antiquis Arianis [i] Athanaſ. reſpondet ἔκτισε hoc loco non ſignificare facere, ſed præficere. [k] Cyrillus ſcripturam promiſcuè vti vocabulis faciendi, creãdi, gignendi, & proinde ex ſolis iſtis vocabulis nihil certi debere colligi, ſed ex adiunctis: ibi autem dicitur filius creatus, antequam quidquam faceret Deus: vnde apparet creatum poni pro genitum [l] Hieron. recurrendum eſſe ad Hebræum, non enim eſt creauit בָּרָה *barah*, ſed קָנָה *Kanah* poſſedit: quo verbo ſolet explicari vera generatio vt patet Geneſ. [m] 4. & fortè ita etiam verterunt ſeptuaginta, ſed codex deprauatus mutatione vnius literæ, ἔκτισε enim eſt, *creauit*, ἐκτήσατο *poſſedit.*

[c] *Prouerb. 8. iuxta 7. v. 12.* κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ.

[d] *Eccleſiaſtici 24. v. 12.*

[e] *Ioan. 1. v. 27.* ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν. *v. 30.* ὅτι πρῶτός μου ἦν.

[f] *Coloſſ. 1. v. 14.*

[g] *Hebræor. 1. v. 4.*

[h] *Hebræor. 3. v. 1.* κατανοήσατε τὸν ἀπόστολον καὶ ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. *v. 2.* πιστὸν ὄντα τῷ ποιήσαντι αὐτόν.

[i] *lib. de decretis Nicænæ Synodi ex Dionyſio Romano duobus folijs ante finem.*

[k] *5. Theſauri 6. in principio.*

[l] *epiſt. ad Cyprian. & Baſilij 2. in Eunom. ac Epiph. hæreſi 69.*

[m] *v. 1.* קָנִתִי אִישׁ אֶת יְהוָה *Kanithi iſch Eth-Iehoua, ſiue Adonai, vt ſemper vertit Bellar. poſſedi hominẽ per Deum.*

n *ita Concil. quoddam Orientale can. 5. apud Hilarium lib. de Synodis paulò post principium. & D. Thom. 4. contra Gentes 8.*

Denique n respondeo productionem filij nunc vocari generationem, nunc creationem: quia nullo vocabulo perfectè explicari potest. Nam generatio significat productionem in eadem substantia, sed cum mutatione quadam generantis, creatio, productionem alterius substantiæ, sed sine mutatione creantis Porro filius Dei ita producitur, vt recipiat substantiam gignentis, & eâ ratione dici potest generari, sed recipit sine mutatione producentis, & ea ratione dici potest creari. vtrumque igitur dicitur, vt ex vtroque sumatur quod perfectionis est, quod imperfectionis omittatur. Eadem est responsio ad secundum.

o *ita Ambros. 4. de fide 5. & omnes interpr.*

Ad tertium, o non significari Christum productum ante Ioannem, sed Ioanni prælatum, & ante positum p Ante me factus est (inquit) quia prior me erat, id est præcedit me dignitate, quia æternus ille, ego temporalis.

p *v. 30.*

q *Ambros. & Chrys. in commentar*

Ad 4. q dici Christum primogenitum omnis creaturæ, quia est genitus ante vllam creaturam: iuxta illud r Ego ex ore Altissimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Si enim ante omnem creaturam prodiit, certè non est creatura.

r *Eccles. 24. v. 5.*

s *ita Chrysost. & Theoph. in commentar.*

Ad quintum, s sensum esse, Christum post passionem exaltatum, & declaratum tanto omnibus Angelis excellentiorem, quantum distat filij gloria à conditione serui: loquitur enim ibi Paulus de statu Christi post Resurrectionem.

Ad vltimum. Intelligendum de Christo, in quantum homo est, non enim dicitur simpliciter factus, sed factus Pontifex.

Soluitur ſextum.

CAP. XIX

VLTIMA obiectio, [a] *Beatius eſt dare quam accipere* Actor. vigeſimo ſed pater dedit filio poteſtatem, vitam ſapientiam, & omnia: filius autem accipit. Beatior ergo pater, atque perfectior.

[a] *v. 35. μακάριόν ἐστι δίδοναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν.*

Ariani veteres ideo probabant filium minorem, quia non omnia abſolutè habet, quæ pater [b] *ſedere* (inquit filius) *ad dexteram meam vel ſiniſtram non eſt meum dare vobis*, &c.

[b] *Math. 20. v. 23. καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου καὶ ἐξ εὐωνύμων μου οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι.*

Ad primum negatur maior, quando qui recipit nuſquam eſt in [c] potentiâ ad recipiendum, quodque recipit eſt tam illi intrinſecum ac debitum, quam danti. Ad minorem, ita accepiſſe omnia filium à patre, vt nuſquam fuerit in potentia ad illa, ſuntque tam illi neceſſaria, intrinſeca ac debita quam patri.

[c] [*Eſſe in potentia ad recipiendum dupliciter intelligi poteſt. primò quod idem ſit ac recipere poſſe, ſicut in dante eſt poſſe dare. ſecundò quod recipiens ſit aliquando ſine eo quod recipitur. priori modo hîc non accipitur in potentiâ, quia ſi filius non potuit recipere quomodo recepit & recipit? ſed poſteriori Gregorius à Valentia diſput. 2. qu. 1. puncto primo de proceſſ. diuin. perſ. aliter reſpondet ſcilicet illud. Beatius eſt. &c. non eſſe verum quando nonobſtante reali diſtinctione inter dantem & recipientem, ſunt tamen etiam vnum & idem re numero, qua ratione quidquid eſt in dante perfectionis eſt etiam in recipiente. Ita etiam reſpond. in controuerſijs lib. 4. de Vnitate & Trinit. ſecundum ſe. cap. 22.*]

Ad ſecundum ſenſum eſſe non eſt meum qui iuſtus ſum dare vobis primas ſedes ob conſanguinitatem, vel ſimpliciter quia eſtis bibituri calicem meum, ſed tantum meum eſt dare illas iis qui eas merebuntur, quibus paratæ ſunt à patre, ſed non ſine me & Spiritu ſancto.

Soluuntur obiectiones contra diuinitatem Spiritussancti. CAP. XX.

[a] *Amos. 4. verſ. 13.*

[b] *Pſal. 148. ver. 8.*

PRIMA. [a] *Ego firmans tonitru, & creans ſpiritum.* Amos quarto. Reſpondeo, per ſpiritum ibi intelligi ventum, iuxta illud, [b] *ſpiritus procellarum quæ faciunt verbum eius.*

[c] *Rom. 8. verſ. 26.* αὐτὸ τὸ πνεῦμα ὑπερεντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν στεναγμοῖς ἀλαλήτοις.

[d] *1. contra Maximinum non longè à principio.*

[e] *4. verſ. 6.*

[f] *verſ. 15.*

Secunda. [c] *Ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Reſpondeo cum [d] Auguſt. velle dicere Paulum, ſpiritum nos facere poſtulare: ſicut dixit ad [e] Galat. eum clamantem Abba Paterid eſt [f] Rom. octauo. In quo clamamus Abba Pater.

Tertia, maior eſt mittens mittente, Sed ſpiritus, à filio mittitur.

Reſpondeo veram eſſe maiorem, quãdo miſſio fit per imperium: non autem quando per proceſſionem naturalem vnius ab alio. Ad minorem, ſpiritum ſanctum mitti à filio inquãtum procedit ab eo, & communicatur creaturis.

[g] *Ioan. 1.*

Quarta [g] *Omnia per ipſum facta ſunt,* nimirum per verbum. Ergo & Spirituſſanctus.

Reſpondeo, omnia eſſe facta per verbũ quæcumque ſunt facta: aliàs ſi hoc eſſet intelligendum ſimpliciter & abſolutè ſequeretur patrem etiam fuiſſe factum. Negamus autem Spiritum ſanctum eſſe de factibilibus.

Quinta ſunt tantùm duo modi agendi, per naturã ſcilicet, & per artem. Filius Dei eſt ſolus productus per naturam, quia vnigenitus: ergo Spirituſſanctus per artem: & proinde factus.

Reſpondeo. In intelligentibus modum agendi per naturam bifariam eſſe, ſcilicet per intellectum, & per voluntatem: priori ſolus productus eſt filius & conſequenter vnigenitus, poſteriori Spirituſſanctus ac propterea verus Deus.

LIBER SECVNDVS.

DE CHRISTO

Qui est,

DE DISTINCTIONE personali à Patre & Spiritu sancto.

Quid sentiant noui Ariani & Samosateni de distinctione diuinarum personarum.

CAP. PRIMVM.

VALENTINVS gentilis, ac eius sectatores, etsi fateantur cum Ario Patrem, filium, & spiritum sanctum esse tria re distincta, tamen non agnoscunt in ipso vero Deo intrinsecè distinctionem esse, siue vnam & eandem numero essentiam esse in tribus suppositis. Quare nolunt, patrem dici primam personam, imò primam personam sophisticam, & diabolicam vocant.

Transyluani, etsi Patrem agnoscant distinctum re à Christo, quem purum hominem volunt, tamen quæ leguntur in scripturis testa-

menti veteris de verbo, & Spiritu sancto, importare tantùm potentias, seu virtutes patris non distinctas à patre relatione, aut proprietate, contendunt.

De vocibus quibus vtimur in hoc mysterio explicando.

CAP. II.

NOMINA quibus vtimur in hoc mysterio sunt: *Essentia, Homousios, Hypostasis, Substantia, Persona, Proprietas, Relatio, Notio, Circumincessio, Trinitas.*

[a] 2. cap. 9.

[a] Transyluani asserunt hæc nomina quidem esse prophana, tamen à nobis quinque de causis retineri, quas ipsi refellunt Prima, quia vtilia sunt ad refellendos hæreticos. Sed non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Deinde si hæretici non conuincuntur scripturis, quomodo istis nominibus? Secunda, quia Patres illis vsi sunt. Sed si in omnibus essent sequendi Patres, etiam illorum errores sequi deberemus. Tertia, non vt aliquid dicamus, sed vt non taceamus. Sed stultum est loqui, vt nihil dicas. Quarta, quia vtilia, ad explicanda mysteria scripturæ. Sed cum sint nomina exotica, & obscura, quomodo ad id vtilia? Quinta quod eorum æquiualentia habeantur in scripturis. Sed hoc negatur.

Ad primum respondeo his nominibus vti Ecclesiam, non quod speret inde obstinatos conuinci Hæreticos, sed ad Hæreticos damnandos, eosque à Catholicis discernendos.

Ad secundum nos sequi Patres cùm aliquid vnanimi consensu docent, tunc enim errare non possunt.

Ad tertium illa [b] verba Auguſt. *Dictum eſt tres perſonæ, non vt illud diceretur, ſed ne taceretur*, non ſignificare, nomen perſonæ nihil importare in Deo, ſed nos huiuſmodi vel ſimilibus vti, non vt perfectè declaremus vim, & naturam diuinarum perſonarum, ſed vt habeamus quid reſpondeamus interrogantibus. [b] *4. Trinit. 9.*

Ad quartum non eſſe exotica quæ ſunt antiquiſſima.

Ad quintum, demonſtrabimus proximè haberi æquiualentia in ſcripturis.

De vocibus eſſentia & Homouſios.

CAP. III.

ESSENTIA Græcè οὐσία, Lucæ decimo [a] quinto habetur μέρος τῆς οὐσίας, quo in loco opes ſignificat: quæ ſunt autem Dei opes, niſi ipſius diuinitas? quia tamen non expreſſè vocatur natura Dei, οὐσία, in ſcripturis, propterea merito [b] dixit Epiph. *Eſſentiæ nomen nudo modo in veteri, ac nouo teſtamento non habetur: ſenſus autem, & ſignificatio vbique habetur.* Synonima huius vocabuli, οὐσίας ſcilicet τὸ θεῖον ſunt θειότης diuinitas Roman. [c] primo μορφὴ τοῦ θεοῦ forma Dei: Philip. [d] ſecundo, certe non minus eſt philoſophicum forma, quam eſſentia. Item, θεία φύσις [e] ſecundæ Petri. Denique eſſentia habetur in ſcripturis in ſua radice dicitur: enim ab eſſe, cuius concretum eſt ens, ens autem & eſſe dicuntur de Deo in ſcripturis. [f] *Ego ſum qui ſum, qui eſt, ὁ ὤν, miſit me ad vos.* [a] *verſ. 12. partem ſubſtantiæ.* [b] *hæreſ. 75.* [c] *verſ. 10.* [d] *verſ. 6.* [e] *1. v. 4.* [f] *Exod. 3. 14.*

Reſpondent, Deum quidem poſſe vocari ens, non autem eſſentiam, ſicut nec homo, humanitas dici poteſt. Sed non aduertunt non ſolùm concreta, ſed etiam abſtracta dici de Deo, quod

sit simplicissimus. Deinde non agimus nunc vtrum Deus dici possit essentia, sed contendimus essentiæ nomen, quo natura Dei explicatur, non esse alienum à scriptura.

Ex οὐσία, fit ὁμοούσιος eiusdem substantiæ, siue consubstantialis, nomen omnibus Arianis exosum, tum quia extra scripturas vt dicunt: tum quia nouum vt fingunt, cum tamen vterentur veteres illi Ariani nominibus magis extra scripturam, & nouis, ἑτερούσιος *alterius essentiæ* ὁμοιούσιος *similis essentiæ.*

Sed non esse omnino extra scripturam nomen ὁμοούσιος patet tum quod eius sensus habetur,[g] ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν. *Ego & Pater vnum sumus*: tum quod similes voces in scriptura reperiuntur vt [h] ἐπιούσιος, & [i] πεποίθησις.

Non esse nouum inde constat quod eo vsi sint ante Concil. Nicænum primum Dionys. [k] Alexandr. & [l] Origines: dices Concilium Antiochenum contra Paulum Samosatenum negasse filium esse patri homousion idque ante Hæresim Arij.

Respondeo negasse quidem non simpliciter, sed ad mentem Samosateni, qui filium patri homousion dicebat specie tantum, non autem identitate numericâ naturæ. Malè ergo Samosatenus confessus est homousion, malè negauit Arius, vt [m] Hilarius ait.

Hoc autem nomen simul duas contrarias Hæreses destruit: duo enim importat, scilicet identitatem naturæ, & vnum ab altero hanc accipere naturam. Sabellius fatebatur patrem, & filium eandem essentiam habere, sed negabat vnum ab alio esse, Ariani fatebantur filium esse à patre, sed negabant eandem naturam habere, vnde [n] Athanas. docet Arianos omnes alias voces toleraſſe, præter ὁμοούσιον: quod omnes alias possent ad suum retorquere sensum, istam minimè. [o] Epiph. etiam monet aliud esse

[g] *Ioan.10.v.30.*

[h] *Lucæ 11. vers.3.* τὸ ἄρτον ἡμῶν τὸ ἐπιούσιον δίδου ἡμῖν. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis, item Matth. 6.v.11.*

[i] *Deut.7.v.6. item cap.14.v.2. & cap. 26.v.18. populus peculiaris vertit noster interpres.*

[k] *in Apolog. ad Dionys. Rom. apud Athanas. in Epist. de sententia Dionys. Alexand duobus foliis ante finem.*

[l] *in Dialog. de Resurrect. ad finem. Vide Theodoret. lib. 1. hist. c.12. & 13.*

[m] *in lib. de Synod. extremo.*

[n] *Supr.*

[o] *in Ancorato.*

συνθέσιον, aliud ὁμοθέσιον illud significat vnitatem sine distinctione, & poterat à Sabellio recipi, vnde quę Aristoteles vocat συνώνυμα nos vniuoca dicimus, id est, idem voce, & significatione: istud verò vnitatem cum distinctione, & processione vnius ab altero.

De vocibus Hypostasis, & substantia.

Cap. IIII.

HYPOSTASIS primam substãtiam significat, quam vniuersè suppositum dicimus, & in naturâ intelligente personam. Distinguitur autem ab essentiâ, quod hæc significatur per modum formæ totalis in alio existentis, hypostasis verò, significatur per modum totius, quod [a] non in alio, sed in se, & per se existit: vnde [b] sequitur hypostasim non addere ad essentiam aliquem gradum naturæ, aut actum, sed solum modum essendi, siue proprietatem: ratione cuius essentia, quæ ex se est communicabilis, fiat incommunicabilis. Hæc igitur vox licet quibusdam suspecta [c] videretur, vt quæ ad significationem substantiæ vt essentiam significat, trahi posset: tamen omnino recipienda est, & tutò dici possunt in Deo tres hypostases.

Primò quia hâc voce vsus est Apostolus pro personâ patris. [d] *Qui cum sit* (inquit) scilicet filius, *splendor gloriæ, & χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, figura substantiæ eius.* Etsi enim nonnulli per hypostasim intelligant essentiam, melius tamen persona intelligitur, filius enim non est imago essentiæ, sed personæ, est enim imago eius cuius est filius.

[a] *D. Thom. 1. p. q. 29. art. 2. & q. 9. de potentiâ art. 1.*

[b] *Vide Basiliũ ep. 43. Nyssenam lib. de differentia essentiæ & hypostas. Dam. 3. c. 3. Cyrill. Alex. 1. de Trinit. folio ante finem.*

[c] *Vt patet ex duabus epist. Hieron. ad Damasc. de hypostasibus & Nazianz. orat. de laudibus Athan.*

[d] *Hebr. 1. v. 3.*

Franciscus [c] Dauid, vt ostendat Paulum loqui de essentiâ, affert alia loca, in quibus hypostasis nequit vsurpari pro personâ Hebr. [f] tertio. *Participes Christi effecti sumus, si tamen initium ὑποστάσεως eius vsque in finem retinuerimus*, & vndecimo, [g] *est autem fides sperandarum ὑποστασις rerum.*

Respondeo hæc loca pro nobis facere. His enim explicatur, nomen hypostasis in genere significare fundamentum, seu basim, quæ alia sustentat, & ipsa per se subsistit hincque accommodari ad fidem: quia fides est fundamentum iustitiæ, & non solum ipsa per se existit, sed etiã dat subsistentiam suo modo rebus speratis. Quæ enim speramus, in se non sunt, sed per fidem quodammodo iam existere videtur. Hinc etiam accommodatur ad suppositum, seu personam, quæ est fundamentum naturæ, & omnium quæ ad naturam consequuntur. Quando ergo dicitur filius imago hypostasis paternæ, non potest aliud eo in loco hypostasis significare, quam id quod per se existit in patre, & in quo cætera quæ patris sunt, nimirum ipsa persona patris.

Secundo probatur ex vsu Ecclesiæ, & Patrum [h] Diony. vocat tres personas tres hypostases. Idem [i] Iustin. [k] Athanas. [l] Concil. quintum. [m] Hilar. [n] Augustin. Quod autem [o] Concil. Sardicense apud Theodoret. ait hæreticorum esse tres asserere hypostases, catholicorum vnã. Intelligendum est, quando hypostasis pro essentiâ vsurpatur, sicut solet ab hæreticis, vt liquet ex verbis [p] ipsius Concilij.

[c] *disp. 2. Alban.*

[f] v. 14. μέτοχοι γεγόναμεν τοῦ χριστοῦ, ἐὰν περ τὴν ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν.

[g] v. 1. ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων.

[h] *diuin. nom. cap. 1.*

[i] *lib. de rectâ fidei expositione, post initium.*

[k] *in Symbolo.* ἄλλη γάρ ἐστιν ἡ τοῦ πατρὸς ὑπόστασις, ἄλλη τοῦ υἱοῦ, καὶ ἄλλη τοῦ ἁγίου πνεύματος.

[l] *cap. 1.* [m] *lib. de Synodis.* [n] *5. de Trinit. 8. & 9.*

[o] *apud Theodoret. 2. histor. 8.*

[p] ἡμεῖς ταύτην παρειλήφαμεν, καὶ διδάσκομεν, καὶ ταύτην ἔχομεν τὴν καθολικὴν ὁμολογίαν, καὶ πίστιν, καὶ ὁμολογίαν, μίαν εἶναι ὑπόστασιν τοῦ αὐτοῦ οἱ ἀρειανοὶ οὐσίαν προσαγορεύουσι τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

Objiciunt

Obiiciunt [q] Transyl. [r] Nicephorum, Primò dicentem Hosium Cordubensem fuisse primũ qui fecerit mentionem hypostasis, & vsiæ. Secundò Concil. Nicænum noluisse attingere quæstionem de differentia essentiæ, & subsistẽtiæ: tanquam indignam tractatione.

Tertiò, Concil. Alexandrinum, paulò post Nicænũ, prohibuisse huiusmodi nomina, quòd non habeantur in scripturis.

Quartò, apud veteres nomen hypostasis non reperiri, esseque barbarum. Quintò ex huius distinctionis inuentione multa nugamenta in Ecclesiam inuecta.

Ad primum respondeo, etsi fortè Hosius primus de hac distinctione disseruit, non tamen primus hæc nomina excogitauit, vt probatum est.

Ad secundum, licet Concil. Nicænum quæstionem de differentiâ essentiæ, & subsistentiæ non explicuerit: tamen his vocibus vsum fuisse vt constat ex symbolo apud Cyrillum, [s] in quo nomen [t] οὐσίας, & ὑποστάσεως habetur.

Ad tertium, Concil. non prohibuisse vsum horum vocabulorum, sed solùm sustulisse contentiones non necessarias. Nam in eodem statutum fuit vt his vocibus catholici vterentur in disputatione aduersus Sabellios.

Ad quartum, vsos fuisse voce ὑποστάσεως Aristotelem, & Themistium vt docet [u] Budæus. Deinde, nonne nobis satis esse deberet ea vti Paulum, Concil. Nicæn. & omnes Græcos PP?

Ad vltimum, non esse nugamenta disputationes de οὐσίᾳ & ὑποστάσει hinc patet quod ignorantiâ huius distinctionis, nati sint plurimi errores teste [x] Basilio: & quod grauissimi PP. tam multa hac de re disputarint.

Nomen substantiæ ambiguum est: nunc enim hypostasim, nunc essentiam significat: quare in rigore possent dici in Deo tres substantiæ, vt [y]

[q] 1. cap. 8.
[r] 10. histor. 15.
[s] de Trinit. lib. 1.
[t] ἐκ τῆς πατρὸς μονογενῆ τοῦτ' ἔστιν ἐκ τῆς οὐσίας αὐτοῦ. Item, ὧν πατὴρ ὅτε υἱὸν ὧν, ἢ υἱὸς ὢν πρὶν γένηται ὃν ἢ ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντες εἶναι, ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία.
[u] in commentar.
[x] ep. 43.
[y] libro de Synodis Concilij explicans fidem Antiocheni.

Hilarius concedit. Tamen absolutè loquendo negandæ sunt in Deo tres substantiæ, quod vsus communis Latinorum accipiat substantiam pro essentiâ, & meritò. Nam semper Aristoteles in prædicamento substantiæ οὐσίαν vocat, quam nos substantiam dicimus : Præterea [z] Tertull. [a] Hierony. [b] Augustˉ. Concil. [c] Lateranēse & [d] Toletan. vnam tantum substantiam dicunt in Deo.

[z] *contra Praxeam.*
[a] *ep. ad Damas.*
[b] *S. Trinit. 9. & lib. 7. cap. 4.*
[c] *sub Innocent. 3. cap. 2.*
[d] *cap. 1.*

De cæteris vocibus. CAP. V.

ASSERIT [a] Laurentius Valla personam nihil aliud importare quã qualitatem: quare, quas in Deo Theologi personas ponunt, eas esse tres qualitates. Sed aut Valla nomine qualitatis in Deo, veram intelligit qualitatem, aut quod per modum qualitatis significatur : si prius hæresim sapit, si posterius, vel erunt longè plures tribus personæ in Deo, vel vna tantum: plures, si considerem⁹ ea quæ per modum qualitatis significantur, vt distinguntur inter se ratione, nimirum quot sunt attributa diuina : vna, inquantum huiusmodi attributa scilicet essentialia sunt vnum reipsâ. Quamuis ergo personæ nomen accipiatur pro qualitate, & pro laruâ histrionũ, non rarò, tamen etiam pro substantiâ primâ à scripturis, & Patribus accipi certum est. In scripturis legimus Deum non esse [b] personarum acceptatorem, quibus in locis personam hypostasim significat. Si enim [c] Augustino credimus tunc est acceptatio personarum in distributione præmiorum, quando qui distribuit nõ respicit merita hominum, sed ipsos homines: id est tribuit plus vni quam alteri. Non quia

[a] *6. elegantiarum 34.*

[b] *Actor. 10. v. 34. Rom. 2. v. 11.*
[c] *2. ad Bonif. 7.*

ille plus meretur, sed quia illam personam plus diligit. [d] Tertull. autem [e] Hilarius. & [f] Hierony. atque [g] Augustin. vocant Patrem, Filium, & Spiritumsanctum tres personas. [h] Nazianz. πρόσωπα. [i] Tullius ipse, cum dicit alia esse rerum, alia personarum attributa, & rursum personam in Deo, & homine considerari, [k] Valerius cum quoslibet homines personas vocat, & institutio Iustiniani, (quæ latinissima est) lib. 2. vtitur nomine personæ in nostra significatione. Quid quod ipsi Grammatici cum in verborum inflexionibus distingunt tres personas in primam, secundam, & tertiam, non qualitatem intelligunt nomine personæ, sed res quascunque inter se distinctas.

Proprietas, Relatio, Notio, non sunt nomina scripturarum: colliguntur tamen ex scripturis. Si enim filius est vnigenitus, proprium erit illi filium esse. Si vnus pater, proprium illi esse patrem, si solus Spiritussanctus à patre, & filio procedit, proprium illi procedere. Item si Christus est verus filius veri patris, erit vera relatio mutua inter vtrumque. Denique si pater à filio & Spiritusancto distinguitur, cur non poterit paternitas dici Notio patris, id est, nomen quo pater distinctus cognoscitur à cæteris personis. Vtuntur nomine Proprietatis, [m] Basilius [n] Hilarion. [o] Nazianzen. [p] August. [q] Cyrillus: nomine Notionis [r] Basil. & [s] Augustin. Hine Scholastici, quinque numerant notiones: *Innascibilitatem, paternitatem, filiationem, spirationem actiuam, & spirationem passiuam.* Ex quibus quatuor sunt proprietates, *Innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio passiua*, & quatuor relationes *Paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiua.* Circumincessio Græcè περιχώρησις habetur in [t] Damasc. estque mutua & intima personarum inhabitatio. Trinitas, Græcè τριὰς, non habetur expressè in scripturis, colligitur ta-

[d] *contra Praxeam.*
[e] *lib. de Synod.*
[f] *ep. ad Damas.*
[g] *5. & 7. Trinit.*
[h] *orat. in Athanas.*
[i] *lib. de Inuentio.*
[k] *in Topicis, & partitionib.*
[l] *2. ca. 11.*
[m] *epist. 43.*
[n] *2. Trinit.*
[o] *orat. 3. de Theolog.*
[p] *5. Trinit. 11. &*
[q] *1 Trinit.*
[r] *sup.*
[s] *5. Trinit. 6.*
[t] *1. cap 11. de hac Circumincess. disputant. Hilar. 4 Trinit. Ambros. in 13. cap. prioris ad Corinth. Aug. 6. Trinit. vltima.*

men ex Mathæi [u] vltimo, & primæ Ioannis [x] quinto. Hac voce vtuntur [y] Diony. [z] Iustin. [a] Tertull. & [b] Cyprian.

Trinitas autem non significat trium vnitatem vt putauit Valentinus Gentilis, sed simpliciter ternarium personarum numerum, tum ex voce Græcâ τριάς, tùm ex illo [c] Athanas. *Trinitatem in vnitate veneremur*, minus enim congrue diceretur, *Trium vnitatem in vnitate veneremur*, tum quòd Patres opponunt vnitatem Trinitati, ac dicunt in essentia vnitatem, in personis Trinitatem considerari. *Trinitas* [d] (inquit Fulgent.) *ad personas refertur, vnitas ad naturam.*

[u] *Baptizate omnes*, &c.
[x] *Tres sunt qui testimonium dant in cælo*, &c.
[y] 1. *diuinor. Nom.*
[z] *de recta fid. confess.*
[a] *contra Praxeam.*
[b] *serm. de oratione Dominicâ.*
[c] *in Symbolo.*
[d] *de fide ad Petrũ cap. 1. Toletan. 11. cap. 11. Isidor. 7. Etymolog. 4.*

Ostenditur distinctio personarum.

CAP. VI.

PRIMO Qui accipit esse ab alio, necessario ab eo distinguitur reipsa: nec enim fieri potest vt aliquis producatur à seipso. Sed filius accepit esse à patre. Ioannis [a] quinto, *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit filio habere vitam in semetipso*, quæ nequeunt intelligi de filio inquantum homo: Spiritussanctus autem accipit à patre & filio vt probabitur infra: ergo distinguntur reipsa inter se Pater, Filius, & Spiritussanctus. At in Deo nihil potest fingi inhærens, seu non subsistens, quia in Deo nullum est accidens. Ergo hæc tria, sunt tria subsistantia, siue suppositа, inter se realiter distincta.

[a] v. 26. ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ· οὕτως ἔδωκε, καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ.

Secundò, non rectè diceremus de vna, & eadem persona, alius est (verbi gratiâ) Marcus, alius Tullius, alius Cicero: nec de eodem alius est Orator, alius Consul, alius Imperator. Sed

ſcriptura vocat patrem alium a filio. [b] *Alius eſt qui teſtimonium perhibet de me.* Spiritumſanctum alium ab vtroque, [c] *Alium paracletum dabit vobis.* Igitur non ſunt vna & eadem perſona. Quamuis autem pater dicatur alius à filio, &c. non tamen dici [d] poteſt, aliud, quia alius diſtinctionem perſonæ tantùm importat, aliud diſtinctionem eſſentiæ.

Tertiò, non recte diceremus, loquendo de vnâ perſona, Marcus erat apud Tullium, vel in Tullio, aut in nomine Marci, & Tullij hoc factum eſt: vel per Marcum, habemus acceſſum ad Tullium in Cicerone. Imo nec de attributis vnius & eius perſonæ diceremus, habemus acceſſum ad Tullium per ſapientiam eius, in ſpiritu eius. At hæc omnia dicuntur de diuinis perſonis in ſcripturâ, [e] *vnigenitus qui eſt in ſinu patris.* [f] *Baptizantes eos in nomine Patris. &c. Per* [g] *ipſum ſcilicet filium habemus acceſſum ad Patrem in vno ſpiritu*, vel ergo malè loquitur ſcriptura, quod abſurdum eſt dicere, vel ſi rectè loquitur, hæc debent intelligi de diſtinctis realiter inter ſe perſonis.

Quartò, [h] ſcriptura introducit Deum loquentem in numero multitudinis, vel loquentem de Deo, tanquam de aliâ perſonâ, & Concil. Syrmienſe, apud [i] Hilar. dicit anathema, iis qui aliter explicant loca dumtaxat ex Geneſi, quam de diſtinctione reali diuinarum perſonarum. Præterea vna & eadem perſona, etiam per reſpectum ad diuerſa nomina vel officia quæ habet non poſſet dicere rectè, [k] *ad eum veniemus & monſionem apud eum faciemus.*

Quintò ſcriptura [l] ſæpè de Deo loquens ternario vtitur numero.

Sextò, vna & eadem perſona non poteſt recte dici duo, vel tres teſtes, ſed hoc neceſſario debet de diſtinctis realiter inter ſe perſonis intelgi. At *Tres ſunt* [m] (inquit Ioan.) *qui teſtimonium*

[b] *Ioan. 5. v. 32.*

[c] *Ioan. 14. v. 16.*

[d] *ita Fulgent. lib. de obiectionibus Arianorum.*

[e] *Ioan. 1. v. 18.* Et *1. verbum erat apud Deum.*

[f] *Math. vlt.*

[g] *Epheſ. 2. v. 18.* δι' αὐτοῦ ἔχομεν τὴν προσαγωγὴν ἀμφότεροι ἐν ἑνὶ πνεύματι πρὸς τὸν πατέρα.

[h] *Geneſ. 1. v. 26.* Et *cap. 3. v. 22. cap. 11. v. 7. cap. 19. v. 24. &c.*

[i] *lib. de Synod.*

[k] *Ioan. 14. v. 23.*

[l] *Exod. 3. v. 15. Numer. 6. v. 24. 25. 26. Pſal. 66. v. 8. Iſaiæ 6. v. 3.*

[m] *1. Ioan. 5.*

dant in cælo Pater Verbum, & Spiritus sanctus. Adde non rectè etiam dici posse de vnâ & eâdem persona numero, aut de personâ, & sua proprietate, vel attributo quod se miserit, aut mittat se, vel sapientiam suam, &c. vltimo addi possunt congruentiæ naturales quę etsi fidem non demonstrent, tamen suppositâ fide ostendunt non esse contra rationem id quod asserimus.

Prima, summi, & infiniti boni est, se summè, & infinitè communicare, quod nequit fieri nisi producendo Deum.

Secunda, perfecta beatitudo comprehendit omnia bona, quorum vnum est, consortium æqualium personarum.

Tertia, generare sibi simile in natura est maxima perfectio, quem non decet abesse à Deo.

Quarta, inuenitur vna natura in vnâ hypostasi, vt in quolibet Angelo, plures in pluribus, vt in multis Angelis: plures in vna, vt in homine, vbi duæ naturæ anima, & caro, in vnam hypostasim conueniunt. Igitur, credibile est, esse quoque vnam naturam, id est diuinam, in pluribus hypostasibus.

n *de his vestigijs. Vide Aug. à lib. 9. ad 15. de Trinit.*

Quarta, res [n] omnes ita affectant numerum ternarium vt planè videantur clamare suum authorem esse Trinitatem qui omnia fecit in pondere, numero, & mensura. Tres sunt passiones entis, omnibus rebus communes, vnum, verum, bonum. Tota rerum vniuersitas distribuitur in tres partes, scilicet spiritualem, corporalem, & mixtam ex vtroque: Spiritualis in tres Hierarchias, vnaquæque in tres ordines, singuli spiritus præditi sunt triplici facultate, memoria scilicet, intelligentia, & voluntate.

Diluitur argumentum primum aduerſariorum.

Cap. VII.

PRIMVM [a] aduerſariorum argumentum Qui non gignit nec gignitur, nec procedit non eſt verus Deus. Nam nullus eſt Deus præter patrem, filium, & Spiritū ſanctum. Sed vnus Deus in eſſentia, non gignit, nec gignitur, nec procedit; quia Deus in eſſentia, nihil aliud eſt quā ipſa eſſentia communis: ergo vnus Deus in eſſentia, non eſt verus Deus, ſed pater, filius, & Spiritus ſanctus per nos ſunt verus Deus, ergo non ſunt vnus Deus in eſſentia.

[a] *Valentini Gentilis.*

Ad maiorem reſpondeo ſi vox Deus accipiatur pro perſona in communi, vt ſit ſenſus, qui nec gignit &c. non eſt perſona diuina, admittitur, & tunc in aſſumptione ſi per vnum Deum in eſſentia, intelligatur tantum eſſentia diuina, hoc quidem verum erit, ſed in prima concluſione tantum concludetur. Ergo eſſentia diuina non eſt formaliter perſona. In ſecunda. Ergo perſonæ diuinæ non ſunt tantùm eſſentia: quæ omnia vera ſunt, & nihil contra nos: quod ſi in aſſumptione vnus Deus in eſſentia accipiatur vt ſonat, id eſt, pro tribus perſonis in communi, negatur aſſumptio. Nam ille vnus Deus eſt pater filius, & Spirituſſanctus, & proinde ruit vtraque concluſio. Si autem in maiori Deus accipiatur pro deitate ſiue pro eo omni cui competit vera ratio Dei, negatur, quia eſſentia eſt vere Deus, non tamen gignit, &c. Ad probationem, fatemur eſſentiam, non eſſe Deum alium,

præter patrem, filium & Spiritum sanctum: sed eundem quamuis per modum aliæ rationis, nimirum abstracti, & naturæ cõmunis, pater verò fil. & Spiritussanctus concreti incommunicabilis. porro ex parte rei abstractum & concretum in Deo idem sunt. Est enim vna res simplicissima infinitæque perfectionis, quæ se habet & per modum abstracti, & modum concreti.

---

[1] *Diluitur secundum.*

CAP. VIII.

[a] *Transyl. 1. cap. 5.*

SECVNDVM [a] argument. Si tres personæ sunt vnum in essentia: ergo in Deo quaternitas non Trinitas.

Primò, quia essentia, Pater, filius, & Spiritussanctus non sunt quatuor synonima. Igitur quatuor res significant.

Secundo, Pater, filius, Spiritussanctus, sunt tres: sed essentia nihil est horum. Nam essentia non est pater, quia non gignit, nec filius, nec Spiritussanctus, quia nõ gignitur, nec procedit: igitur erit quartum aliud.

Tertio, essentia est fons personarum, ab illa enim emanant relationes, & proinde personæ: at fons, & riuuli distinguntur realiter.

Quartò, quia Papistæ in symbolo post illa verba, *Credo in vnum Deum*, virgulam ponunt: ergo distingunt Deum à patre, & patrem à filio, hunc à Spiritu sancto.

Quinto, dicunt tres personas in vno Deo residere, & vnum Deum se in tribus personis manifestasse. At quis est ille Deus? certè non pater, non filius, nõ Spiritussanctus: in nullo enim horum tres personæ residen, & horum nullus

ſe in tribus perſonis manifeſtauit.

Ad argumentum negatur conſequens. Ad primam probationem admittitur antecedens: ſed negatur conſequens, vt enim aliqua nomina non ſint ſynonima, ſufficit vt eorum ſignificata diſtinguantur ratione, nec eſt neceſſe re diſtingui. Etſi autem pater, filius, & Spiritus ſanctus, re diſtinguantur. Eſſentia tamen non re, ſed ratione tantum, ab iis diſtinguitur.

Ad ſecundæ minorem, negatur: tùm quia etſi eſſentia dicatur diſtingui ratione à perſonis, quia habet alium ſignificandi modum, & ſub alio conceptu ſiue alia ratione conſideratur: tamen nihilominus eſt de intrinſeca ratione perſonæ, non enim perſona eſt ſola relatio, ſed ad perſonam requiritur etiam natura, tum quia eſſentia, eſt ipſamet res quæ eſt ipſa perſona. Ad probationem ſi ſenſus ſit eſſentiam non eſſe de ratione patris, aut eſſe aliam rem à patre negatur, ſi verò non eſſe ipſam totalem rationem patris, vt pater eſt, ſiue non poſſe ſupponi pro eo, vera eſt, ſed hoc non ſufficit, vt dicatur nihil eſſe de patre: nam humanitas non poteſt ſupponi pro homine, homo enim generat, non humanitas, & tamen nullus dicet humanitatem nihil hominis eſſe, aut re ab homine diſtingui, vel humanitatem, & hominem eſſe duas res.

Ad tertiam, negatur maior, eſſentia enim non eſt fons perſonarum. Sed perſonæ à perſonis producuntur, relationes autem, vt relationes, non producuntur, ſed conſequuntur per ſe ad productionem ſuppoſitorum.

Ad quartam, Symbolum Catholicorum hanc virgulam non habere, ſed ſemper iungitur vox, *Deus* cum patre, quomodo autem Pater dicatur vnus Deus, patet ſupra. Sed etiamſi eſſet virgula, non tamen ſequeretur Deum ſignificare aliud à patre: Sed poneretur, vox, Deus, vt importat omnes tres perſonas indeterminatè

postea verò explicari, & determinari quæ sint illæ personæ.

Ad quintam si qui catholicorũ dixerint tres personas in vno Deo residere, nihil aliud velle, quam tres personas, esse vnius deitatis, & naturæ, nec de verbis, cum de re constat, debet esse controuersia, cum autem dicimus Deum se manifestasse in tribus personas, nihil aliud intendimus quàm Deum esse tres personas, & hoc nobis esse reuelatum diuinitus. Quando petunt quis ille Deus? an pater an filius, &c. Respondetur, est diuinitas vt est in tribus personis, siue est Trinitas, siue est Pater, Filius, & Spiritus sanctus.

Diluitur tertium.

CAP. IX.

TErtium, Pater est ingenitus, filius genitus, ergo non vnus Deus 1. quia vnus Deus esset simul genitus, & non genitus 2. quia generabile, & ingenerabile plusquam genere differunt, sicut corruptibile, & incorruptibile. Igitur Pater, & Filius plusquam genere 3. genitum & ingenitum vel sunt accidentia, vel non: si prius ergo accidentia in Deo, si posterius igitur Pater & Filius differunt substantialiter.

Admittitur anteced. negatur consequens. Ad prim. probationem Belarm. respondet si vtraque propositio sit affirmatiua, [videlicet Deus est genitus, Deus est non genitus, siue est ingenitus] vtramque esse veram, sine vlla contradictione. In priori enim Deus restringitur, ob affirmationem, per prædicatum ad personam filij, in secundâ ad perso-

nam patris. Si autem altera sit affirmatiua, [scilicet Deus est genitus] altera negatiua, [Deus non est genitus] esse contradictorias: quia negatiua est vniuersalis de Deo, id est, negat vniuersaliter Deum genitū, non enim Deus restringitur per prædicatum, quia nihil asseritur, sed absolutè & indistinctè ponitur, pro omnibus personis. Affirmatiua autem est particularis de eodem subiecto pro vnâ personâ, posterior tamen vera est, falsa verò prior.

Ad secundæ antecedens, tunc solùm illa distingui genere, cum natura generati per generationem producitur: non autem, cum solùm communicatur. Filius autem Dei non genitam, sed per generationem communicatam accepit naturam à patre. Quare non distinguitur pater, & filius naturâ, & proinde nec plusquam genere, sed tantùm, quoad distinctos modos naturam illam habendi.

Ad tertiam, notiones diuinas subsantiam non esse vt sumitur in abstracto pro natura siue essentia substantiali: vt autē pro eo omni quod reuera non est, accidens, sed subsistat per se, substantiam esse (exceptâ ingeniti notione quæ est negatio.) Cum infertur ergo diuinæ distinguntur substantialiter: priori modo negatur, posterioti admittitur, in ratione relationum. Est enim idem ac dicere, distingui personas per relationes, quæ sunt verè substantia.

Soluitur quartum.

CAP. X.

GEnerare est summa perfectio in viuente: Hanc habet pater, non filius, ergo filius non est æqualis patri in perfectione, quare nec eiusdem naturæ. Confirmatur,

productum dicit intrinsecè dependentiam à producente, ergo filius Dei à patre, At Deus est ens independens.

Prima responsio. Maior transeat. Ad minorem, etsi ipsa generatio actiua, non sit in filio, quia non est opus: omnem tamen perfectionē actiuæ generationis esse in filio, nempe essentiam diuinam: quia quidquid habet perfectionis diuina generatio, hoc totum ab essentia habet: [quæ cum in quacumque persona sit omnimodè infinita, nulla caret perfectione sua.

Secunda, si loquamur ex parte rei, negatur minor: Perfecta enim paternitas, vt ait [a] Athanas. in filio subsistit: & [b] quidquid est filius id vniuersum est proprium, id est intimum substantiæ patris. Quia nihil est in vna persona, quod manēte distinctione personali & vnitate essentiali, non sit necessario, intrinsecè & formaliter in aliâ: non quidem, vt propria ratio formalis constitutiua aliæ personæ vnde propria quæ dicuntur de vnâ non dicuntur de aliâ. Sed propter perfectam identitatem vbique diuinæ rei, scilicet quod quidquid est in Deo, sit perfectè, simplicissimè, & impartiabiliter illud summum ens, ad cuius rationem spectat non solum vna, sed omnes personæ, siue, vt fit propter suam infinitam perfectionem, simul tria suppositа relata & proinde tres res, & simul natura illis communis, ac vna numero, & proinde vna res, prout ex necessitate suæ quidditatis alio & alio modo se habet. Vnde maxima in diuinis æqualitas.

Modo autem intelligendi nostro, quo propter summam diuinæ perfectionis eminentiam & nostri intellectus imbecillitatem diuersos formamus conceptus de Deo, quorum vnus alium non ingrediatur, atque deitatem à relatione, vnum attributum ab alio veluti præscindimus distinguendo, admittitur minor, ita

[a] *orat. contra Sabellij gregales. paucis ante medium.*

[b] *serm. 4. contr. Arianos paulò post initium.* σύμπαντο ἐστὶ τοῦτο τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἴδιον ἔστιν.

[c] *Aug. 1. de doctr. 5. Res quibus fruēdum est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus est, eademque Trinitas vna quædam summa res.*

enim erit aliqua perfectio in vna perſonâ quæ non in alia.

Ad concluſ. æqualitatem tripliciter dici poſſe inter ſuppoſita, primò quod eandem naturam ſiue ſubſtantiam ſaltem ſpecificam habeant. 2. quod eandem cum ſynonimo illam habendi modo. 3. quod analogiam æqualis proportionis in modo ſuo ſiue ſubſiſtantia habeant, id eſt, vnumquodque tantam habeant perfectionem in ſuo modo ſubſiſtendi quantum aliud, quomodo Petrus, & Paulus: tam enim æquè & nobiliter Petrus quam Paulus per ſuam ſubſiſtit perſonalitatem, primo modo diuinæ perſonæ ſunt maximè æquales vt patet, ſecundo non, ſed nec vllæ quidem: tertiò ſunt, quia non eſt nobilius aut perfectius ſuppoſitum diuinum Patris quam filij, & Spiritusſancti, ac contra.]

Ad confirmat. reſp. Belar. productum dependere à producente quando accepit à producente aliam numero naturam: filius autem Dei eandem accepit.

[Obiicies 1°. vnaquæque perſona ſpectat ex parte rei ad formalem rationem conſtitutiuam ſummi entis vt volumus (accipitur autem formal. ratio conſtit. hîc pro immediata & per ſe 1. ſpectans ad conſtitutum) Sed vnaquæque perſona diuina eſt illud ſum. Ens, ergo vnaquæque ad inuicem eſt conſtitutiua formalis alterius: quod eſt abſurdum, inde ſequetur enim, filium non diſtingui re à patre.

Reſp. 1. conceditur maior vt ſummũ ens ponitur æquè 1 pro omnibus perſonis: negatur vt ponitur pro vnâ, tũc enim aliæ ſunt tantum intrinſecæ propter concomitantiã perfectæ identitatis: 2. maior & minor admittit. ad concluſ. quatenus formale conſtitutiuum vt cumque dici poſſet quidquid eſt omnino neceſſarium, & intrinſecum perſonæ diuinæ admittitur: ſed inde non ſequitur, vnam perſonam non diſtin-

gui ab aliâ. requiritur enim vltra vt sit intrinsecum sub propria ratione formali, quâ persona immediatè est talis. Vt autem hanc immediatam rationem importat, negatur, hæc enim est personalitas cum natura.

Obiicitur secundo pater vt etiam opponitur filio, est vna res omnino cum illo. Quia iuxta nos est vna res, quæ prout alio & alio modo se habet est pater, & filius. Ergo pater non distinguitur à filio. Potest negari anteced. facit enim sensum formalem nempè rē diuinā in ratione constitutiua patris (qua pater opponitur & distinguitur à filio realiter)esse constitutiuam filij quod falsum est. Si tamen esse omnino vnam rem nihil aliud intenderetur quam esse tam patrem quam filium, illud summum ens, quod, vt habet rationem filij distinguitur à seipso vt habet rationem patris admitteretur, quia facit tantum sensum identicum.]

Diluitur quintum.

Cap. XI.

QVintum, quando filius genitus est, vel erat, vel non erat, si erat: quando genitus est? Si non erat: ergo aliquando non fuit.

Item: vel filius semper gignitur, vel semper est genitus, vel aliquando gignebatur, & aliquādo fuit genitus, si semper gignitur nunquam terminum perfectionis assequetur. si semper genitus fuit, quo pacto ad terminum fine viâ peruenit? si aliquando gignebatur, & aliquando fuit genitus, ergo mutatus est, quia non semper eodem se habuit modo.

Item vel filius præfuit in patre actu, vel potentia, vel nullo modo. Si actu, ergo fuit ante-

quam gigneretur: ſi potentia, ergo in Deo eſt potentia paſſiua, ſi nullo modo, igitur ex nihilo factus eſt.

Ad primam rationem, ſi per, *Erat*, intelligatur filius iam fuiſſe antequam gigneretur, ita vt idem ſit ac dicere iam antea erat, falſum eſt, & impoſſibile, nihil enim poteſt eſſe antequam ſit, ſed nec aliquid potuit ante filium eſſe, non minus quam ante patrem, quia nullum datur huiuſmodi ante. Si autem intelligatur filium tunc fuiſſe etiam cum gigneretur, verum erit. Cùm quæritur, quare ergo genitus eſt.

Reſpondeo quia niſi genitus fuiſſet, neque etiam tunc fuiſſet: ſicut, ſi quæras, quare tunc etiam erat quando gignebatur: Reſpondebitur, quia aliter non poterat generari. Siquidem ea eſt natura indiuiſibilium vt ſimul ſint cum producuntur, nec aliter queant produci. Nonne momentum temporis & eſt cum fit, & fit cum etiam tunc eſt?

Ad ſecundam, filium ſemper gigni, quia actionem generandi nequit interrumpere pater, & ſemper genitum eſſe, quia actione indiuiſibili, cuius & indiuiſibilis terminus producitur. Proinde carere nulla perfectione quæ in vera natiuitate requiritur, & carere omni imperfectione quæ in natiuitate aliqua eſſe poteſt, nimirum actione ſucceſſiuâ, quę aliquando ſuo careat termino, & termino qui aliquando ſit in potentia, nimirum quando nondum eſt: & aliquando ſine actione ſit quâ producitur nimirum quando productus eſt.

Ad tertiam, modo noſtro intelligendi filium quidé præfuiſſe in potentiâ actiuâ patris (quod certè nullam importat imperfectionem, ſed potius perfectionem: cum nihil aliud ſit, quam potuiſſe filium à patre produci) in potentiâ autem aliquâ paſſiuâ nullo modo præfuiſſe neque ratione ſuppoſiti, nam ſuppoſitorum nõ eſt educi

ex potẽtiâ materiæ, ſed formarũ: neque formæ: quia hæc eſt deitas quæ actu præfuit in patre.

Dices potentiæ actiuæ paſſiua reſpondet, nec enim agens poterit producere aliquid niſi producibile: nec erit producibile, niſi antequam productum, lateat veluti in aliqua potentia ex qua educatur, & ponatur actu: quod eſt, ſine dubio, præeſſe in potentia paſſiua. Ergo cum præfuit filius in potẽtia actiua patris, præfuit etiam alia ex parte in potentia paſſiua ad eſſe. Cum enim dicitur præfuiſſe in potentia actiua patris, nondum dicitur fuiſſe.

Reſpondeo ſicut modo intelligendi noſtro non reuera præfuit filius in potentia actiua patris, ſed veluti præfuit ſic, non quidem præfuiſſe in aliqua potentia, quæ ſe habeat per modum aliquem paſſiuæ, ſed tantùm veluti præfuiſſe nimirum diuinæ naturæ: cum ſemper actu fuerit filius. Quod ſi id aliquam inſinuaret imperfectionem hæc ſolùm ex parte noſtri intellectus eſſet.

Nam ex parte rei filium generari ex ſubſtantia patris ſiue diuinâ naturâ, nõ eſt educi ex potentia ſubſtantiæ paternæ, ſed ipſam rem quæ eſt ſubſtantia tota patris eſſe ab æterno actu, iuxta latitudinem ſuæ perfectionis, prout alio, & alio modo, ſe habet vnam perſonam diuinam, vt terminus intellectionis ſiue generationis alterius: qua quidem in re nulla imperfectio obſeruari poteſt: cum & ſemper actu ponatur filius & ex nulla potentia paſſiua eductus. Sufficienter autem reſpondet [a] paſſiua potentia actiuæ per terminum productum, in eo quot ſit producibilis, ſiue poſſit ac valeat eſſe: etſi repugnat illi potentia ad eſſe, aut ex aliquo educi.]

[a] *ſi paſſiua nominari debeat.*

Dilnitur

Diluitur argumentum sextum.

CAP. XII.

SEXTVM, aut persona in Deo est infinita, aut finita. Si prius, ergo vna. implicat enim dari plura infinita: si posterius. Ergo infinitæ numero, vt respondeant infinitati essentiæ.

Præterea multiplicatio suppositorum vel est necessaria ad conseruationem speciei, vel vnum suppositum ex alio perficiatur. At Deus cum sit æternus non eget conseruatione, & cum sit perfectissimus, nec perfectione, [infinite enim subsistit: at nisi vna subsistentia sit infinita: nec tres simul, in ratione subsistẽdi, infinitum enim ex finitis non consistit: ergo vna infinita: & hęc sufficiẽs, [a] infinito si quidem nihil addi potest]

Denique vel persona dicit perfectionem, vel non: si prius ergo vna perfectio in vna persona quæ non in alia: si posterius: erit humana persona perfectior diuina.

Ad primam rationem respond. personam diuinam esse infinitam, sed negatur esse vnam, aut plura infinita, quia vnaquæque persona est infinita eadem infinitâ perfectione ac alia persona, quamuis non eodem modo: eo quod ipsa infinita perfectio in patre sit paternitas, in filio filiatio. [vel personam diuinam esse infinitum simpliciter, & secundum quid, illud inquantum est perfectè illud summũ ens, cui intrinsecè cõpetit omne genus perfectionis, siue absolutum siue relatum: vt par est Deo competere, hoc inquantum simul vna persona alteri per relationem opponitur realiter, quantumcumque vna sit intrinseca alteri: priori modo esse vnum in-

[a] *Hinc enim facilè intelligitur quomodo Deus & creatura non sunt simul maius bonum quam Deus solus.*

finitum in Deo posteriori verò, tria.

Implicare autem esse tria infinita simpliciter: non tamen implicare esse tria secundum quid, quæ simul non nisi vnum sint infinitum simpliciter: siue nō implicare vnum esse infinitum simpliciter, quod simul sit tria secundum quid]

Ad secundam, multiplicari suppositа in Deo, non ad conseruationem speciei, aut perficiendum vnum ex alio: [cum quidquid sit perfectionis in ratione subsistendi in vno suppositо contineatur in alio, quia vnumquodque vt sic est infinitum] sed quia id postulat natura rei intelligentis, secundum suam substantiam fæcundæ. quæ etiam ratio est cur tantùm sint tres personæ, & superflua nulla. vna enim debet esse producens, alia producta per cognitionem, alia per amorē: præter hos enim producēdi modos ad intra in natura intelligente, non reperiuntur alij. Ad tertiam Responsio ex cap. decimo [Dices, infinitum in aliqua specie, ita debet omnem eius speciei numericam continere rationem, vt aliud numero sub eadem specie omnino excludat, etiam modo nostro intelligendi. Sed vna persona diuina est infinita, in ratione specifica substantiæ diuinæ: ergo ita omnem numericam rationem substantiæ diuinæ continet vt aliam omnino substantiam diuinam excludat.

Respondeo, Primò maiorem negando, quod sufficiat ad rationem infiniti in aliqua specie, continere quidquid perfectionis est, in tota latitudine speciei, siue aliud numero possit dari sub eadem specie, siue non, & quidem non dari in creatis, etsi in illis concederetur huiusmodi infinitum, quia tota perfectio & virtus naturæ cuius est tale infinitum, totaliter exhauriretur in isto infinito: dari autem in Deo, quia etsi tota diuina natura infinitè subsistat in vnâ substantia diuina, non tamen in hac exhauritur totaliter eius virtus & perfectio, cum propter

ſuam infinitæ fæcunditatis excellentiam, remaneat adhuc communicabilis ſubſiſtentiis aliis: ad quam communicabilitatis excellentiam nequit pertingere creatura, propter ſuam circunſcriptæ perfectionis imbecillitatem.

Secundò, tranſeat maior. Ad minorem, vnam quidem perſonam diuinam eſſe infinitam in ſpecifica ratione ſubſiſtentiæ diuinæ, non qualibet ſed relatiua propria ſibi. Ad Concluſ. negatur. Quia etſi vna ſubſiſtentia diuina contineat quidquid eſt perfectionis in ratione ſubſiſtendi in alia, non tamen per modum eiuſdem ſpeciei, eoquod vna, ſit relatio alterius ſpeciei ab alia ſibi oppoſita: vnde non ſolum vna aliam non excludit, ſed illam omnino infert cum ſit illi correlatiua.]

Soluitur ſeptimum.

CAP. XIII.

AB vno, cuius vnum eſt tantum principium quo productiuum ſiue vna producendi facultas, nõ niſi vnum procedere poteſt. Sed intellectus diuinus & voluntas, item intellectio, & volitio in patre, idem ſunt, ergo non niſi vnum à patre per intellectum & voluntatem poterit produci. Et ſic idem filius, & Spiritusſanctus. Præterea vbi omnia ſunt vnum re nulla eſt diſtinctio realis. Sed intelligens in Deo & intellectio, amans & amor idem ſunt re. igitur nulla diſtinctio realis inter eos, id eſt, inter Patrem, filium, & Spiritumſanctum.

Denique aut filius intelligit, aut non: ſi prius ergo producit notitiam, & verbum ſi poſterius, ergo non eſt Deus. Idem dici poteſt in ratione

amoris de Spiritu sancto.

Ad primam rationē, primo negatur simpliciter maior, quòd requiratur minor distinctio in principiis, quam in terminis: nonne ab vno intellectu nostro tot distincti realiter producuntur conceptus? Secundo, quis id negari posset in Deo, quod terminus actionis eius ad intra cum sit infinit⁹ exhauriat totam vim facultatis producendi ad intra: admittitur maior, si huiusmodi principium sit vnum omnino re & ratione. At minor. Hæc quidem esse vnum re, distingui tamen ratione: quod satis est, vt se habeat sicut distinctæ facultates producendi.

Ad secundæ maiorem, veram esse quādo hæc sunt omnimode vnum re, id est, quoquo modo accipiantur: falsam autem si vno modo accepta, sint quidem vnum re, alio verò minimè. Ad minorem, si intellectio & amor essentialiter accipiantur, esse reuerâ illa vnum re omnimode. Sed tunc conclusio est falsa: mutantur enim termini essentiales, in personales. Si autem intellectio accipiatur pro persona filij, & amor pro Spiritu sancti personâ, sunt quidem illa vnum re ratione essentiæ, non sunt autem ratione oppositarum relationum.

Ad tertiam, filium intelligere, non tamen producere notitiam. Quia ad intelligendum sufficit habere ordinem, ad obiectum cognitum: siue habere in potentiâ intellectiua repræsentationem sufficientem obiecti in ratione actus vitalis intellectiui, siue intellectionis. Quod habetur competenter per naturam diuinam, in quantum ex se est cuicumque personæ diuinæ sufficiens, & perfectum repræsentatiuum omnium per modum intellectionis, sine vlla necessitate productionis notitiæ siue verbi. Quare Pater non producit verbum vt per illud intelligat, sed quia id requirit perfectio naturæ diuinæ fæcundæ.

Diluitur octauum.

CAP. XIIII.

IN Deo nihil est nisi essentiâ, & relatio: sed neutrum generat aut generatur.

Item filius debet produci similis gignenti, sed verbum non est simile gignenti sed obiecto. Igitur verbum Dei, non est verus filius Dei.

Item Spiritussanctus aut producitur similis patri in essentiâ, aut dissimilis: non similis quia esset filius: ergo dissimilis, igitur non sunt tres personæ vnus verus Deus.

Denique similitudo in diuinis non est ratione essentiæ, quia est eadem, neque relationum, quia sunt speciei diuersæ. Ergo nulla in Deo, & proinde nec personarum pluralitas.

Ad primam, esse præter essentiam & relationem veluti constitutum ex vtraque, nempe personam, quæ gignit, & gignitur: quemad. in creatis nec essentia, nec subsistentia gignit: sed persona est principium quod gignit, essentia principium quo gignit subsistentia, conditio sine quâ non gigneret persona.

Ad 2. minorem, verbum esse simile gignenti, si gignens sit ipsum obiectum, sicut est pater æternus.

Dices, sed neque tunc Verbum simile esse gignenti vt gigneus est, sed tantùm vt est intellectum obiectum, ergo Verbum Dei non est simile patri vt gignenti vt proinde neque filius.

[Negatur anteced. Nam modo intelligendi nostro prius producitur verbum, vt simile obiecto: deinde vt per ipsum intelligatur, aut re-

præsentetur obiectum, quatenus ergo verbum immediatè producitur à patre vt propria eius imago est illi simile vt producenti siue gignenti per intellectionem: quatenus autem per hanc se intelligit intellectionem, vel repræsentatur per verbum, est simile verbum patri, vt intellecto obiecto.]

Ad tertiam Spiritumsanctum esse similem Patri non tamen Filium: cuius rei non est adeò ratio, certa scriptura enim rem docuit, causam verò tacuit. D.[a] Augustinus ait, quia non procedit quomodo natus, sed quomodo datus. Item quia procedit à duobus, qui nec duo patres dici possunt, nec vnus pater, alter mater. Clarius D.[b] Thomas, scilicet quod verbum procedat simile producenti vi productionis suæ, cum sit ex suâ ratione specificâ imago quædam expressa obiecti producentis, amor autem non item, cum sit potius veluti impulsus in obiectum amatum.

[a] 5. de Trinit. 15.

[b] 1. par q. 27. ar. 4.

Soluitur nonum. CAP. XV.

NONVM vel subsistentia est de intrinseca ratione essentiæ vel non: si prius ergo essentia est incommunicabilis, vel si communicatur, & subsistentia communicabitur: & tunc vel vna tantum erit subsistentia, & proinde vnum suppositum, ac vna persona: vel quatuor subsistentiæ, illa communis & tres relatæ, & sic quatuor personæ. Si posterius, ergo essentia non erit simpliciter infinita. Deinde personæ diuinæ erunt compositæ ex subsistentia & essentia.

Respondetur subsistentiam esse intrinsecam essentiæ, nec propterea essentiam esse incommunicabilem. Nam essentia non sic commu-

nicatur vt quæ erat in ſe incipiat eſſe in alio: ſemper enim illa eſt in ſe & nuſquam in alio, cum ſit ſimpliciſſima, & de eius ratione ſit ſubſiſtere: ſed vt quæ eſt in ſe vno modo, ſit in ſe etiam alio modo. Itaque eſſentia Patris eſt in ſeipſa, ſed cũ relatione producentis, & eſſentia in ſeipſa, ſed cum relatione producti.

Ad illud, Et tunc vel vna tantum erit, &c. dicitur partim vnam eſſe, partim tres: vnam in quantum à ſe habet eſſentia, & non à relationibus, vt ſubſiſtat: tres, in quantum ſingulæ perſonæ, non habent niſi ſingulas ſubſiſtentias, quæ partim ſunt de ratione eſſentiæ, partim nõ: ſunt in quantum ſubſiſtendi rationem habent, non ſunt in quantum incommunicabilitatis, diſtinctionis, & referendi rationem important.

[Non tamen quatuor perſonas, ſiue vnã ſubſiſtẽtiam abſolutam, & tres relatas cõſtituas, ſiue vnam cum tribus relationibus incõmunicabilibus: quòd ad rationem perſonæ requiratur incõmunicabilitas quę in tribus tantũ inuenitur.]

Si dicas, ſaltem ea ex parte quà eſſentia non includit relationem, non erit infinita ſimpliciter: Negabitur quod relationes non dicant aliam perfectionem præter eam quæ eſt eſſentia. Nec etiam perſona erit compoſita, nam ſubſiſtentia Patris (verbi gratia) quatenus diſtinguitur ab eſſentia, eſt purus reſpectus ad aliud, & proinde non habet ordinem ad eſſentiam, ſed ſolùm ad terminum. Hæc Bellarm.

[Omiſſis autem aliis quæ hîc dici poſſunt, ſufficiat notare idem arg. aduerſariorum fieri poſſe de conſtitutiuo formali perſonæ diuinæ, cum ſit perfectio, & quidẽ ſimpliciter ſimplex: vel enim eſt intrinſecum eſſentiæ, & ſic eſſentia omnino incommunicabilis, vel non, & ſic eſſentia carebit perfectione maxima, quæ non poterit ſaluari in ſubſiſtentia communi cum non ſit perſonalitas. Quare [a] reſponderi etiam po-

[a] *Reſp ex Bellar. perſonalitatẽ non aliam dicere perfectionem quam eſſentiæ.*

teſt ex parte rei ſubſiſtent, relationem, ac quodcumque aliud proprium perſonæ eſſe reuera intrinſecum eſſentiæ, ſed ſub ratione incommunicabilis, cum infertur, ergo eſſentia incommunicab. Reſp. i. id verum ratione proprietatis perſonalis ſibi intrinſecæ, non autem vt ſe habet ſimpliciter per modum naturæ: reuera eſſent eſſe incommunicabilem aliis ſubſiſtentiis, aut proprietatis perſonalib. quam tribus ſibi intrinſecis, quibus non poteſt non eſſe communicata.

Modo intelligendi noſtro perſonalia non eſſe intrinſeca eſſentiæ, & proinde, ſi placet, nec ſubſiſtentiam, & tũc quidem conſiderari eſſentiam vt cui deſit aliqua perfectio, ſicut cum vnũ attributum ſine alio intelligimus, & ſi [b] vna eſſet perſona in Deo perſonalitatem ab eſſentia ſepararemus: verum hoc nullam dicere imperfectionem niſi intellectus noſtri, cum ex parte rei, vnum ſemper intrinſecè aliud importet.

Neque etiam perſonæ diuinæ erunt compoſitæ. Ibi enim nulla compoſitio, vbi vna res, & formalitas ſimpliciſſima quæ ſuã propter eminentiam æquiualeat diſtinctis rationibus ex natura ſua.]

[b] *Nec enim tunc magis eſſet intrinſeca quam nunc: Nam ſi eſſet vel id maiorem aut minorem imperfect. diceret: ſi prius ergo nunc perſona diuina non ſummè perfecta: ſi poſterius, neque tunc, quod eſt contra hypotheſ. cũ ſupponatur diuina fore perſona.*

Soluitur decimum.

CAP. XVI.

RELATIO vt diſtinguitur ab eſſentia, diſtinguit perſonas, ſed relatio vt diſtinguitur ab eſſentiã ſolùm eſt in mente. Relatio enim ſupra eſſentiam non addit rem, ſed rationem tantum, aliàs eſſet in Deo aliquid ab eſſentia realiter diſtin-

ctum: Ergo perſonæ non diſtinguntur re, ſed tantum ratione. Præterea vel tota realitas quæ eſt in patre eſt etiam in filio vel non: ſi eſt, ergo non diſtinguuntur re: ſi non: ergo aliqua res & entitas in patre, quæ non in filio, proinde aliqua vnitas, veritas, bonitas, entitas, &c.

[Ad primæ rationis maiorem reſp. ex parte rei relationes diſtinguere non vt diſtinguntur ab eſſentia, ſed vt ſunt de intrinſeca ratione illius, ſub ratione incommunicabilis, & proinde nihil reale aut rationis ſupra eſſentiam addere, cumque eſſentia ſit aliquid reale: eiuſdem ſint realitatis cum illa realiter etiam diſtinguere.]

Modo autem intelligendi noſtro diſtinguere relationes vt ab eſſentia non re, ſed ratione diſtinguntur. Ad minorem negatur: ad probationem: [duobus modis poſſe dici aliquid addere rem ſupra aliud [a] 1. quod addat rem diſtinctam re ab illo cui additur 2. quod [b] addat aliquam rationem ſiue quidditatem realem non tamen re diſtinctam ab eo priori modo non addit relatio rem ſupra eſſentiã, poſteriori addit, quia addit ſuam rationem quæ realis eſt, & proinde realiter diſtinguit.]

Ad 2. ex parte rei totam realitatem vnius perſonæ eſſe in aliâ, manente diſtinctione per oppoſita, modo intelligendi noſtro, non eſſe, vtroque modo eſſe in Deo tria entia bona, vera, &c. id eſt tria habentia bonitatem, veritatem, &c. non tamen tres bonitates, veritates, &c. quòd perfectio relationis nõ ſit alia ab eſſentia.

[Nihilominus poſſet etiam concedi eſſe tres bonitates, veritates, &c. nimirum relatiuas, ſicut conceſſimus eſſe tria infinita relata.]

[a] *vt color addit ſupra ſubiectum.*

[b] *vt rationale ſupra animal: quod nihil aliud eſt quã vnius & eiuſdem rei plures eſſe formales rationes reales: id eſt quæ reuera ſint aliquid re, aut quod æquiualeat pluribus rationibus formalibus.*

Soluitur vndecimum.

CAP. XVII.

VNDECIMVM si filius, & Spiritussanctus non producuntur per intellectum, & voluntatem, nullo modo producuntur, nec enim facilè est explicare quo alio modo producantur, & quare duæ tantum personæ, & vna verbum, altera dicatur amor. Sed actiones immanentes cuius generis sunt intellectio, & volitio, nihil sunt præter vsum, vt ait [a] Aristotel. & proinde per eas nihil producitur, igitur, &c.

[a] *9. Metaphys. textu. 16. quo ait per eas nihil produci.*

Admittitur maior. ad minorem, duobus modis dici posse per actionem nihil produci, siue nihil esse præter vsum, vno quod nullum opus externum relinquat, & hoc modo per actiones immanentes nihil communiter producitur, (quamuis Deus nihilominus omnia externa producat per actiones immanentes) & hoc tantum Philosophus intendit: altero quod nec quidem producatur opus siue terminus interius ipsius actionis, qui remaneat in producente, & hoc modo, falsum est nihil produci per actiones immanentes. Nam per intellectionem verbi gratia producitur verbum, & per volitionem amor.

Soluitur duodecimum.

CAP. XVIII.

DVODECIMVM. Hoc myſterium deſtruit tria principia naturalia.

Primò, illud: omne eſt, vel non eſt. Nam paternitas eſt idem re cum eſſentia, eſſentia idem re cum filiatione, benè autem videtur ſequi, ergo paternitas eſt idem re cum filiatione, & tamen non eſt, ſi diſtinguatur re ab illa, vel ſimul erit & non erit.

Secundò, illud, quæ ſunt eadem vni tertiò, ſunt eadem inter ſe. Nam paternitas, & filiatio ſunt eadem res cum eſſentia, & tamen non dicuntur eadem res inter ſe.

Tertio ſyllogiſmum expoſitorium, quia cum dicitur hæc eſſentia eſt pater, hæc eſſentia eſt filius, rectè videtur concludi, ergo filius eſt Pater, & tamen falſum cõcluditur, ſi fides ſit vera.

Ad primum negat concluſionem Belar. ſcilicet paternitatem eſſe idem re cum filiatione, quia terminus communis poteſt pluribus eſſe idem, quam terminus ſingularis cui eſt idem: at eſſentia etſi ſingularis ſit, quia tamen reuera tribus ſuppoſitis conuenit, ſe habet vt terminus communis, paternitas autem vt terminus ſingularis.

[Reſponderi etiam poteſt ad concluſionem, paternitatem eſſe idem re cum filiatione & non eſſe, ſub diuerſa ratione: eſſe ratione eſſentiæ, non eſſe ratione ſibi propria paternitatis oppoſitæ realiter filiationi. vt autẽ iſtud principium deſtruatur non ſufficit vtramque partem enunciari de vno & eodem ſubiecto, ſed debet aſſeri de illo ſecundum vnam, & eandem rationem.]

Ad ſecundum, ſi hoc principium nihil aliud

[[a] *si enim non sunt eadem re ergo distincta re in ratione essentiæ. Igitur duæ essetiæimo tres realiter inter se distinctæ: sicut ideo tres relationes distinctæ realiter quia nõ sunt idẽ re inter se, ratione oppositionis. Quare non euincit solutionem Caietan. 1 p.q. 28. art. 3. ad 2. arg. hæc Transyl. quod contra eam infert Gregor. à Valentia lib. 1. de vnitate & Trinit. secund. se cap. 3. in controuers. scilicet ergo paternitas: & filiatio siue Pater & Filius sunt re eadem inter se respondebitur enim ad verum ratione essentiæ, non autem oppositionis realis. Quamuis arbitror sensum illius Axiomatis. Quæ sunt eadem vni tertio de iuxta mẽtem Caietani. non esse, sed Bellarm. hic. Non enim multum differunt hæc. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadẽ vni tertio. Et quæ sunt eadem vni tertio sunt eadẽ inter se in illo tertio quod mihi videtur rectè animaduertisse à Valent. sup.*]

vellet quam debere esse eadem inter se, in ratione illius tertij, admittimus [a] etiam paternitatem, & filiationem re esse eadem inter se in ratione essentiæ, si autem velit esse omnino eadem inter se quomodo sunt eadem cum illo tertio] respondemus hanc Maximam tantum veram esse quando aliqua sunt eadem vni tertio adæquatè: vt si duæ lineæ sint æquales vni tertiæ, erunt æquales inter se, non autem si sint eadẽ inadæquatè vt patet in hoc exemplo quo vtitur Belarm. Homo, & equus sunt idem re cum animali, ergo idem re inter se [aliud etiam quamuis populare exemplum istud afferri posset (si admittamus duo brachia inter se numero, & realiter distingui) scilicet duo brachia sunt eadem realiter cum toto corpore, ergo eadem realiter inter se sine vllâ distinctione reali, quomodo sunt eadem cum toto corpore, & illud materia, & forma non distinguntur realiter à composito, ergo neque inter se, &c.]

Deinde etsi hæc maxima vera esset vniuersaliter in rebus finitis, non tamen deberet esse vera in ente infinito. Nam si anima rationalis quia spiritualis, naturaliter est in pluribus partibus corporis realiter distinctis, nec valet iste syllogismus Manus, & pedes sunt idem loco cum anima, ergo idem loco inter se: quanto magis Deus qui est infinitus spiritus, poterit idem re esse in tribus suppositis, & tamen suppositа non erunt inter se idem re ratione suâ propriâ.

Ad tertium non esse syllogismum expositorium. Nam, Hæc essentia, habet se (vt dictum est) per modum termini communis. Quare sicut non valet, Aliquis homo est Petrus, aliquis homo est Paulus, ergo Petrus est Paulus: sic nec hæc essentia est pater, hæc essentia, &c.

An filius sit αὐτόθεος.

CAP. XIX.

GENEBRARDVS [a] Caluino vt hæresim attribuit quod affirmauerit filium Dei αὐτόθεον, ideſt à ſe ipſo Deum, non à patre, cuius opinionis Stancarum [b] facit authorem, quamuis in operibus quæ de Trinit. & mediatore ſcripſit, nihil tale habeat Stanc. Caluinus tamen quoad ſenſum non videtur erraſſe. Primò, quia ſi quis error, vel quia facit filium ingenitum, vel multiplicat eſſentias, vel eſſentiam à perſona realiter diſtinguit: quorum nullum admittit Caluinus. Nam fatetur [c] vnam numero naturam eſſe in tribus perſonis diſtinctis, & filium à patre genitum, [d] communicatam filio eſſentiam à patre. [e] Beza etiam aſſerit filium eſſe à patre per ineffabilem totius eſſentiæ communicationem ab æterno, & tamen ſimul autotheum filium dicit. Quare Ioſias Simlerus [f] Caluini ſectator, ſuam, & Caluini ſententiam explicans. *Non negamus* (inquit) *filium habere eſſentiam à Deo patre, ſed eſſentiam genitam negamus*, quæ ſententia catholica eſt.

Secundo eo in ſenſu Caluin. affirmauit filium αὐτόθεον quo negabatur à Valentino (contra quē inuehit) ſcilicet non habere verè eſſentiam diuinam, quæ eſt à ſe, ſed id ſolùm competere patri, & propterea ſolum eſſe autotheum.

Peccauit tamen in modo loquendi Caluin. ſicut & [g] cum ait impropriè, ac durè dictum in Symbolo *Deum de Deo, lumen de lumine.*

Primò, quia repugnat modo loquendi ſcripturæ. [h] *Pater dedit filio vitam habere in ſemetipſo,*

[a] 1. *de Trinitate.*

[b] *præfat. in librum de Trinit.*

[c] 1, *Inſtit.* 13. §. 13.

[d] §. 23.

[e] *in Axiomatibus de Trinit. axiom.* 14.

[f] *in epiſtol. ad Polonos.*

[g] *epiſt. ad Polonos, & lib. contra Gentilem.*

[h] *Ioan.* 5. *verſ.* 26.

item [l] *Ego viuo propter patrem.* vita autem & essentia in Deo idem sunt. Item. [k] *Ego scio eum quia ab ipso sum,* &c.

Secundò, pugnat cum Conciliis, Nam omnia fere, post Nicænum receperunt symbol. Nicænum cum illis verbis *Deum de Deo,* &c.

Tertiò cum PP. Thaumauturgo in suo Symbolo, Iustino, [l] *pater* (inquit) *innascibiliter habet essentiam, filius nascibiliter.* Epiph. hæres. 69. Hilar. 4. Trinit. [m] Aug. *Quidquid est filius, de illo est cuius est filius, ideo Dom. Iesum dicimus Deum de Deo.*

Quartò cum ratione & ipsa Caluini sententia. Nam si pater communicat filio essentiam quomodo potest verè dici filium habere essentiam à se? & si filius est productus à patre, quomodo negari potest essentiam, & vitam in filio esse à patre? nec enim filius est proprietas sola.

Rationes Caluini nihil valent. Prima est [n] Aug. & [o] Cyrill. docere patrem & filium esse vnum principium. ex quo videtur sequi vtrumque carere principio, & proinde esse à se. Item [p] Aug. asserere, filium ad patrem dici, Deum autem ad se.

Secunda, si filius non haberet essentiam à se esset precariò Deus, imo Deus titularis.

Tertia, quia filius dicitur יהוה sicut Pater, quod nomen significat ipsum esse, seu fontem essendi, & proinde à seipso est quoad essentiam.

Ad primam, ita Patrem, & filium esse vnum principium respectu creaturarum, vt simul pater sit principium sine principio, filium principium de principio vt idem [q] Aug. explicat. Aliud autem est filium esse Deum ad se, & Deum à se, prius significat nomen Dei non esse relatiuum, quod asserit Aug. & verum est: quia etsi filius sit relatiuum, tamen includit essentiam, quæ est absoluta, [& principale significatum nominis Dei] posterius, significat filium esse ingenitum, id est, non filium, quod nusquam dixit Aug.

[l] *Ioan. 6. v. 29.*

[k] *Ioan. 7. v. 29.* ἐγὼ οἶδα αὐτὸν ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι.

[l] *initio lib. de recta fid. confessione.*

[m] *tract. 31. in Ioan.*

[n] *in Psal. 109.*

[o] *lib. 7. Trinit.*

[p] *In Psal. 68. initio & tract. 39. in Ioann.*

[q] *sup. exponens illud. Tu quis es? principium qui, &c.*

Ad ſecundam etſi contendamus filium habere à patre eſſentiam, tamen aſſerere ſimul eam habere perneceſſariam, & naturalem communicationem, & ideo non eſſe precariò, ſed naturalem Deum. Item, eandem numero accipere quam habeat pater, & ideo non eſſe titularem ſed verum, & realem Deum.

Ad tertiam, ſicut dicitur filius, Deus de Deo, & principium de principio, ſic poſſe dici fontem eſſendi de fonte eſſendi.

Poſſet tamen dici filius αὐτόθεος vt idem ſit ac veriſſimè Deus, quomodo eum vocauit [r] Epiphan. & αὐτοτέλιον, id eſt, verè perfectum.

[r] Hæreſi 69.

De proceſſione Spiritusſancti à Filio.

CAP. XX.

GRAECI Spiritumſanctum à filio procedere negãt, atque conqueruntur Latinos ad ſymbolum addidiſſe particulã, *filioque*. Quare tria nobis tractanda. Primum de Hæreſis & Schiſmatis huius origine. Secund. à filio Spiritumſanctum procedere. Tertium meritò potuiſſe, & debuiſſe Latinos hanc facere additionem.

De Origine.

CAP. XXI.

PRIMVS huius [a] Hæresis author videtur [b] Theodoret cum Nestorianis. In suis enim refutationibus Anathematismorum Cyrilli, disertè [c] ait Spiritumsanctum nec esse à filio nec per filium, sed à solo patre. Extat [d] etiam Symbolum Nestorianum asserens Spiritumsanctum non habere per filium suam subsistentiam sed à patre solo. Quia tamen hoc obiter Nestoriani dixerant, & alia erat causa, quæ tunc agebatur seriò, iste error altius tunc radices non egit: vnde nulli inueniuntur hac de re tractantes, vsque ad annũ Septingentesimum Sexagesimum septimum. Quo Gentiliaci celebratum fuit Concilium magnum & coram Pipino Caroli magni patre disputatum inter Romanos, & Græcos de Trinitate, & imaginibus. Nusquam fuit autem alia quæstio de Trinit. inter illos quam de processione Spiritus sancti à filio. Post annos autem circiter centum tempore [f] Nicolai primi apertius Græci contenderunt dumtaxat. Nam eo tempore Theophyl. in Ioan. scribens, [g] arguit Latinos quod credant Spiritumsanctum ex filio procedere, & [h] Græci, ex Dialogis Sancti Gregor. in Græcum versis abraserunt particulam. *filioque procedit.* At

[a] *In Prolegomenis Synodi quintæ quidam Iustinianus Episcop. Siciliæ in epist. ad Petrum videtur velle Macedonium hanc docuisse hæres. Quod minimè probabile. Nam Macedonius cum Arianis de Spiritu sancto sentiebat, qui filij creaturam dicebant. Quare Concil. secundũ refellens Macedonij hæres. solum symbolo addidit Spiritum sanctum ex patre procedere. Verisimilius ergo textum epist. corruptum, & pro Spirat Macedonius à solo patre Spiritum sanctum, legendum separat.*

[b] *Circa annum Domin. 430.* [c] *cap. 9.* [d] *in Tomis Conciliorum & tom. 2. Ephes. Concilij non dudum editi, cap. 37.*

[e] *Teste Adone in Chronico.*

[f] *qui sedit anno 860.* [g] *in 3. cap.*

[h] *teste Ioanne Diacono lib. 4. vitæ Gregor. 75.*

perfectum

perfectum ſchiſma ducentis poſtea tantum annis cœpit, agente [i] Conſtantino decimo Imperatore, & [k] Michaële Patriarcha Conſtantinopolitano. Qui Rom. Pontificem, omneſque Latinos promulgauit excommunicatos, quod ad Symbolum addidiſſent aliquid, cõtra decretum Concilij Epheſini. Romano verò Epiſcopo de prima deiecto ſede, ad ſe iure pertinere, Eccleſiæ primatum: occluſis interim omnibus Latinorum Eccleſijs propoſitoque, ab Imperatore, præmio ſcribentibus aduerſus Latinos.

Quando ſit additio facta, non adeò certum. [l] Antonius ait Græcos obieciſſe Nicolao primo, quòd aliquid addidiſſet Symbolo. Sed hoc negat in Concilio Florent. Andræas Coloſſenſis, nec quidquam, hac de re, in authoribus inuenitur antiquis.

Putat ergo Andræas tempore VI. Synodi, id eſt, poſt 600. annum à Rom. Pontifice factam, in Concilio ingenti Latinorum PP. ob diſſenſiones quaſdam in Gallia, & Hiſpania ortas. Et quidem veriſimilius eſt illo tempore factam. Primò, quia in Concil. Tolet. 8. circa 653 annũ recitatur Symbolum, cum hac additione: & ante hoc tempus non inuenitur cum illa, vt patet ex Concilio Tolet. 3. anno 589.

Secundò, ſignum huius rei, eſt, illa quæſtio Gentiliaci tractata: ac in [m] ſeptima Synodo, Symbolum cum hac additione recitatũ fuiſſe. In Hiſpania, & Gallia tamen, ante recepta fuit, quam à Pontifice Romano. [n] Extat enim collatio habita inter Leonem 3. & [o] Caroli magni Legatos: in quâ hi referunt in Gallia cantari Symbolum cum Particula, *Filioque*: & à Pontifice petunt, vt ipſe approbet: ac Romæ eodem modo cantari iubeat.

Quod autem nonnulli autumant additam à Damaſo fuiſſe in Concilio Romano, cum celebraretur Conſtantinopolitanum primum, quæ

[i] *dicto Monomacho.*

[k] *Vide Leonem 9. epiſt. ad Conſtant. & Michaëlem, cum Sigiberto in Chronico anni* 1054.

[l] *parte 3. hiſt. to. 22. cap. 13. §. 10.*

[m] *act. 7.*

[n] *in Vaticanâ Bibliothecâ poſt epiſtolas Pontificum à Creſconio collectas.*

[o] *Quod congruit cum Adonis Chronico & Annalib. Francor. ab Aimonio (vt creditur) editis in quibus habemus anno* 890. *celebratum Aquiſgrani Concil. de proceſſione Spiritus ſancti, & inde miſſam legationem ad Leonem* 3.

duo vnum generale faciunt, non videtur verum. 1. cur ergo, vel tom. 1. Concilior. vel 9. lib. Tripart. historiæ, nulla huius rei fieret mentio? 2. quomodo id Theodoretus ignorauit, cum tam audacter asserit Spiritum sanctum non procedere à Filio, qui in historia sua inseruit Epistolas Concilij ad Damasum, & Damasi ad Cõcilium? 3. cur Tolet. 3. sine illa additione Symbolum recitasset: & sine illa P Leo 3. iussisset scribi in argenteâ tabellâ Constantinopolitanũ Symbolum? fortè ignorauit acta prædecessoris sui? 4. Cur denique non ante 600. annum quæstionem dumtaxat mouerunt Græci? cur ausi sunt dicere Latinos, adiectione illius particulæ, peccasse in canones Concilij tertij, si addita in secundo fuit?

P *Vt refert Magister. 1. sent. 11. dist.*

Extat equidem inter opera Hieronymi, Symbolum, sub nomine Damasi, in quo hæc particula habetur. Sed non quæritur, quis eam suo, sed, quis Constantinopol. addiderit Symbolo.

Ex scripturis ostenditur Spiritum sanctum procedere à Filio.

CAP. XXII.

PRIMÒ, [a] *Omnia quæ habet pater mea sunt* (inquit Christus,) Item, *Omnia tua mea sunt*, id est, Quidquid habet pater, habet etiam filius exceptâ solâ paternitatis relatione vt Aug. exponit. Sed pater habet esse principium Spiritus sancti non vt pater sed vt spirator. Ergo & filius idipsum habet. Deinde si pater & filius non haberẽt omnia communia excepta relatione opposita, distinguerentur plusquam relatione, & proinde substantia. Nam pater vt spirator non est relatiuum ad filium. Ergo si vt spirator distinguitur à filio,

[a] *Ioan. 16. vers. 15.* πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ ἐμά ἐστι. διὰ τοῦτο εἶπον ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λαμβάνει.

[b] *Ioan. 17. ver. 10.* καὶ τὰ ἐμὰ πάντα σά ἐστι καὶ τὰ σὰ ἐμά.

distinguitur per spirationem non vt relatio est, sed vt forma quædam in patre subsistens, & proinde pater & filius in substantia differunt.

Secundo, [c] *Ille me clarificabit quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Quid accipiet à filio Spiritussanctus nisi scientiam? nam paulo ante dixerat, [d] *Non à se ipso loquetur, sed quæcumque audiet loquetur,* Et de scientia exponũt Chrysost. Cyrill. &c. Quomodo autem potest Spiritussanctus accipere à filio scientiam, nisi accipiendo ab illo essentiam? quidquid enim aliud dicatur, fiet Spiritussanctus creatura.

[c] Ioan. 16. v. 14. ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν.

[d] vers. 13. ὅ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει.

Theophyl. & Eutimius duas insinuãt solutiones. Primo Spiritumsanctum accipere de scientiã filij, quia nihil docet contrarium iis quæ docuit filius. Secundo illud, *de meo*, significare de meo thesauro qui est pater: acsi diceret accipiet vnde ego accepi.

Sed prima solutio non quadrat: non enim solum Christus dicit, *accipiet de meo*, sed etiam dicit, *Non loquetur à semetipso*, vbi apertè indicat scientiam Spiritussancti non esse illi à seipso sed à patre & filio [Deinde ipse Christus rationem reddit quare dixerit, *accipiet de meo*, quia, *Omnia quæ habet pater* (inquit) *mea sunt*. Quæ ratio non videtur quid valeat, nisi admodum extorqueatur textus, si sensus non sit, accipere de filio Spiritumsanctum vt accepit à patre.] Secunda solutio etiam non satisfacit. Nam Thesaurus scientiæ in Deo non est persona patris præcisè, vt persona, sed essentia diuina, quæ est communis patri & filio, Thesaurus enim & scientia perfectionem absoluram significant, perfectio autem absoluta ad essentiam spectat. Quare Paulus, [e] *In Christo* (inquit) *omnes Thesauri sunt scientiæ & sapientiæ Dei.* Spiritus ergo accipiens de hoc Thesauro accepit de re communi patri, & filio.

[e] ἐν ᾧ εἰσι πάντες οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας. καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι.

Quæres quare dixerit de meo, & non potius meam essentiam aut sapientiam, &c.? & cur ait in futuro. *accipiet*, & non in præsenti, accepit. Respondeo, *de meo*, dixisse, quia Spiritus sanctus non accipit filiationem sed essentiam, & proinde non totum id quod est in filio accipit: dixit autem accipiet quia acceptio illa est æterna, & continet in se virtute omnia tempora: scriptura autem variè tempora exprimit, prout res de qua agitur postulat, hoc autem loco describitur Spiritus sanctus tanquam legatus à patre & filio mittendus ad Apostolos, legati verò tunc instruuntur cum mittuntur. [scriptura tamen vtroque tempore vsa est: nam in Græco est λήψεται *accipiet*, & λαμβάνει *accipit*.

Tertio. † *Si non abiero Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero mittam eum ad vos.* Item. ‡ *Cum venerit Paracletus quẽ ego mittam vobis à patre.* Missio autem tantum esse potest aut per imperium, quomodo mittuntur serui à Dominis, aut per Concilium, quomodo dicuntur mitti qui instruuntur à Sapientioribus, aut per modum causæ cuius gratiâ, quomodo mittit ad bellum cuius meritis fit bellum: aut per modum consensus, quâ ratione mittit qui consentit mitti: vel quia res tantum mittuntur eius, qui dicitur missus, sicut qui diceretur mitti, quando mittuntur insignia eius. Denique aut per naturalem productionem, quomodo arbores dicuntur emittere flores.

† *Ioan.16.v. 7.* ἐὰν ἐγὼ μὴ ἀπέλθω ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς. ἐὰν δὲ πορευθῶ, πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς.
‡ *cap.15.vers.26.* ὅταν ἔλθῃ ὁ παράκλητος, ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρός.

Primo & secundo modo Spiritus sanctus non potest dici à filio mitti, cum non sit inferior aut potentiâ aut sapientiâ filio, neque tertio & quartò [tùm quia hoc non est nisi impropriè mitti] tùm quia etiam dici posset patrem mitti à filio, quia filius est etiam causa suis meritis, & consentit vt ad nos veniat Pater. Quinto quidem contendunt Græci Spiritũ sanctum mitti à filio, scilicet quod Spiritus sancti dona nobis lar-

giatur filius: Sed aberrant, tùm quod non ſolum dona dentur Spiritus ſancti, ſed etiam ipſe Spiritus ſanctus. Roman. [h] quinto. [i] Corinth. &c. Si ergo filio donare dona Spiritus ſancti, ſit mittere dona, cum etiam donet Spiritum ſanctum, mittet etiam ipſum Spiritum ſanctum, & non tantùm eius dona, & proinde miſſio Spiritus ſancti erit reuocanda ad aliud miſſionis genus, quàm quod velint Græci tùm quod Paracletus à filio miſſus [k] confertur cum filio, at non niſi abſurdè dona conferri poſſunt ita cum filio. Deinde attribuuntur miſſo quæ non niſi perſonæ alicui conuenire poſſunt propriè, maximè iuxta vſum ſcripturæ, nimirum venire, audire, loqui, docere omnem veritatem, arguere, annuntiare futura. Adde ſi mittere Spiritũ ſanctum ſit tantum mittere dona, pater mittetur etiam à filio & Spiritu ſancto: quia quælibet perſona eſt author omnium donorum. Denique pari ratione, dici poſſet, mitti filium à patre nihil aliud eſſe quam mitti filij dona, & ſic eluderetur incarnationis myſterium. [l] Quare Ambro. [m] Auguſt. [n] Chryſ. & [o] Cyrill. intelligunt hunc locum de miſſione ipſius Spiritus ſancti. Reſtat ergo miſſionem Spiritus ſancti eſſe vltimi generis nempe per naturalem productionem.

Quartò, [p] *Inſufflauit &c. dixit accipite Spiritum ſanctum.* Hâc enim ceremonia voluiſſe Chriſtũ declarare Spiritum ſanctum ab illo procedere docent [q] Aug. [r] & Cyrill. nec Theophyl. qui hoc argumentum ridet aliam poteſt huius cæremoniæ rationem reddere.

Quintò, eodem modo in ſcriptura dicitur Spiritus ſanctus Patris Spiritus, & Filij Spiritus. *Spiritus* [s] *Patris veſtri qui loquitur in vobis. Si* [t] *quis Spiritum Chriſti non habet.* At dicitur Spiritus Patris, quia à Patre procedit. Ergo ſimiliter dicetur Spiritus Filij.

[h] *v. 5.*
[i] *6. verſ. 19.*
[k] *vt alius paraclet. Ioan. 14. v. 16.*
[l] *1. de Spiritu ſancto. 4. & 5.*
[m] *15. Trinit. 26.*
[n] *in 5. ad Rom.*
[o] *in 16. Ioan.*
[p] *Ioan. 20. v. 22.* ἐνεφύσησε, καὶ λέγει αὐτοῖς, λάβετε πνεῦμα ἅγιον.
[q] *3. in Maxim. 14.*
[r] *12. in Ioan. 56.*
[s] *Math. 10. v. 20.* τὸ πνεῦμα τοῦ πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν.
[t] *Rom. 8. verſ. 10.* εἰ δέ τις πνεῦμα χριστοῦ οὐκ ἔχει οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ.

Nec respondere possunt dici Filij Spiritum, quia simul cum Filio à Patre procedit, vel quia est Filio similis. Nam sicut nonobstante relatione Spiritus sancti ad spirantem diceretur Filij Spiritus sanctus, eò tantùm quod procedant ambo à Patre, vel quia similes in naturâ: pari ratione, dici posset Christus Spiritus sancti Filius, & Verbum nonobstante relatione ad Patrem, & dicentem, quia simul etiam ambo à Patre procedunt, & item in naturâ similes.

Idem probatur ex Concilijs.

Cap. XXIII.

[a] *qui se Patriarcham Oecumenum appellat.*

Ieremias [a] in Censurâ suâ ad Luthera. confessi. asserit quidem Nicænam Synodum, & reliquas cum ea consentientes decreuisse Spiritum sanctum à solo patre procedere, verùm fallitur Hieremias. Nam integrum Nicænum Symbolum recitat ex Græcis [b] Cyrill. ex Latinis [c] Rufinus, hoc autem solùm de Spiritu sancto legitur, ἁγίου πνεύματος *& in sanctum spiritum.* Testatur verò [d] Naz. Nicænum Synod. non tradidisse perfectam de Spiritu sancto doctrinam, quod nondum exorta esset quæstio de Spiritu sancto.

[b] 1. *de Trinit. & lib. de explicat. symboli.*
[c] 10. *histor.* 6.
[d] *epist. ad Celidonium.*

Porro Concil. Constantinop. Symbolo addidit illa verba, *Qui ex patre procedit.* Ille autem Hierony. de suo capite adiecit particulam, *solo*, Concil. non adiecit, ex filio, quia eo tempore dubium non erat an Spiritus sanctus ex filio procederet, id enim Hæretici concedebant, negabant autem de patre.

Primum autem Concil. ex Græcis vnde habemus Spiritum sanctum à filio procedere est

Alexandrinum, ex quo Concilio sic [c] scribit Cyrill. ad Nestorium *spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est, vnde & ab isto similiter, sicut ex patre procedit.* Quæ epistola approbata est à Concilio Ephes. & à [f] quarta, [g] quinta, sexta [h], & septima [i] synodo, in quâ [k] quidem sept. legitur etiam symbolum cum illa additione, *filioque.* Græci in Concilio Florentino dicebant in suis codicibus non ita haberi, tamen Latini protulerunt exemplar vetustissimum, in quo nullum erat vestigium corruptionis, citaueruntque historicum antiquum in huius rei testimonium. Dices quare ergo Damasce qui tempore huius Concilij vixit tam apertè [l] negauit Spiritũsanctum à filio procedere? Respondeo probabile esse Damasc. obiisse ante hoc Concil. floruit [m] enim ille sub Leone tertio. Concil. autem septimum celebratum est annis quadraginta, & octo post mortẽ Leonis, vnde Damas. in suis operibus non citat Concilia nisi vsque ad sextum. Deinde sine dubio scripsit [n] suos libros de fide ante huiusmodi Concil.

Ex Latinis habemus. 1. Concilium celebratum apud Barum: à Græcis simul, & Latinis tempore Vrbani secundi, paulò post [o] inchoatum schisma, in quo quidem Ansel. euidentissimis rationibus Græcos conuincit.

Secundò, Lateranense [p] sub Innocentio tertio, in quo interfuerunt Græci, & consenserunt Spiritumsanctum à Patre filioque procedere.

Tertiò, Lugdunense, in quo, præsentibus, & consentientibus Græcis, symbolum cum additione, *filioque*, ter Græcè, ter Latinè fuit cantatum.

Quarto: Florentinum [r] in quo idem definitum est, consentientibus etiam Græcis cum Latinis.

Adde Concil. Toletan. [s] primum, [t] ter-

[c] *habetur epist. to. 1. ephes. Concil. 14.*
[f] *Act. 5.*
[g] *Act. vlt.*
[h] *Act. 17.*
[i] *Act. 7.*
[k] *supr.*
[l] *1. cap. 11.*
[m] *vt patet ex orat. 2. pro imaginib.*
[n] *Vt colligitur ex act. 6. Nicæni 2.*
[o] *circa annum 1090. vide Ansel. lib. de proces. Spiritussancti 4. cap. & Authorẽ vitæ huius qui huic Concilio interfuit lib. 2.*
[p] *ann. 1215.*
[q] *sub Gregorio 10. an. 1273.*
[r] *an. 1438.*
[s] *cap. 21.*
[t] *cap. 1.*

tium, quartum octauum, & vndecimum celebrata ante diſſidium Græcorum.

Idem probatur ex PP. Latinis.

CAP. XXIIII.

[a] *contra Praxeam.*

PRIMVS [a] Tertull. *Spiritum ſanctum* (inquit) *a patre per filium deduco.* Reſpondent ſe negare quidem Spiritumſanctum à Filio procedere: cõcedere tamen procedere per filium tum ad denotandam relationem patris ad filium. Tum conſubſtantialitatem patris, & filij, tum etiam quod, *Per*, ſoleat accipi pro, *Cum*, & citant neſcio quem Poetam. Sed ſimili ratione dici poſſet filium procedere à ſpiratore per Spiritumſanctum, nimirum ad denotandam relationem patris ſpiratoris ad Spiritumſanctum & conſubſtantialitatem patris & Spirituſſancti, ac filium procedere à patre cum Spiritu ſancto. Deinde quidquid ſit de huiuſmodi Poetâ in ſcripturis, & PP. *Per* ſignificat cauſam, Ioan. primò, *Omnia per ipſum facta ſunt*, Item. [b] Per quem fecit & ſæcula, &c. ſignificat etiam, *Ex*, ſiue, *ab*, vt illud, [c] *Poſſedi hominem per Deum.* Quare Spiritumſanctum produci per filium eſt produci, A, ſiue, ex filio.

[b] *Hebræor.* 1.

[c] *Geneſ.* 4.

[d] *ſerm. de aduentu Spirituſſancti.*

Secundus [d] Cypr. *Spirituſſanctus à patre procedens, à patre, & filio, quaternario ſuperfertur.* Loquitur autem de Spiritu ſancto quando initio mundi ferebatur ſuper aquas, & quatuor elementa formabat.

[e] *2. Trinit.*

Tertius [e] Hilar. *De Spiritu ſancto nec tacere oportet, nec loqui neceſſe eſt*, &c. *Loqui autem de eo non neceſſe eſt, quia de patre & filio authoribus conſtendum eſt.*

[f] *2. de Spirituſancto.* 12.

Quartus [f] Ambroſ. *Omnia patris habet filius,*

quia ait omnia quæ habet Pater, mea sunt, & quæ accepit ipse per vnitatem naturæ, ex ipso per eandem vnitatem accepit Spiritus, &c.

Quintus [g] Hierony. *Ipse Spiritus sanctus cum mittitur, à patre & filio mittitur,* &c. *Spiritus à patre egreditur, & propter naturæ societatem, à filio mittitur.*

Auguſt. [h] *Cur non credamus* (inquit) *quod etiam de filio procedat Spiritus sanctus, cum filij quoque ipse sit spiritus.*

Proſper. [i] *Spiritus ex patre filioque procedit.*

Leo magnus, [k] *Alius est qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de vtroque processit.*

Fulg. [l] *Proprium est Spiritus sancti quod solus de patre filioque procedit.*

Idacius [m] Clarus. *Certa & manifesta origo Spiritus sancti pater, & filius.*

Boëtius, [n] *ita cogitare debemus filium ex patre esse Spiritum sanctum ex vtroque.*

Hormiſda, [o] *Proprium est Spiritus sancti vt de patre, & filio procederet, sub vna substantiâ Deitatis.*

Gregor. [p] *Credo in Spiritum sanctum nec genitum, nec ingenitum sed æternum, de patre & filio procedentem.*

Beda, [q] *Spiritus iste à patre & filio procedit.* Qui omnes ante ſchiſma floruerunt.

[g] *epiſt. ad Hedebiam. q. 9.*

[h] *tractat. 99. in Ioan. vide etiam 15. Trinit. 17. 26. 27.*

[i] *1. de vita contemplat. 18.*

[k] *Epiſt. ad Turbiū 91. aliàs 93.*

[l] *lib. de fide ad Petrum.*

[m] *lib. contra Varimadum vltra medium.*

[n] *1. Trinit. 12.*

[o] *epiſt. ad Iuſtinum imperat. cap. 2.*

[p] *in Symbolo ſuo lib. 2. ca. 2. vitæ eius. Item. 2. dialogor. vltimo.*

[q] *1. de Elementis Philoſophiæ.*

Idem probatur ex PP. Græcis.

CAP. XXV.

PRIMVS, Gregor. [a] Thaumaturgus *vnus* (inquit) *Spiritus sanctus ex Deo ortum, & exiſtentiam habens qui per filium apparuit, imago perfecta filij perfecti.* At, etſi Spiritus ſanctus, non ſit tam propriè ima-

[a] *in confeſſ. fidei apud Nyſſ.*

go filij quam filius est patris, quia Spiritussanctus non procedit similis ex vi similitudinis: tamen non posset dici imago filij, nisi ab illo procederet, quia imago dicit relationem producti ad producentem, procederet inquam non quomodocumque, qua ratione imago depicta solis procedit ab illo vt à causa tantum exemplari, sed reuelata vt à principio actiuo, quia procedit naturaliter, & necessario, à naturali principio. In naturali autem productione, coincidit exẽplar, cum actiuo principio. Nisi procederet denique similis in essentiâ filio, quia in omni imagine similitudo requiritur, non est autem in quo Spiritussanctus sit similis filio nisi in essentiâ.

Secundus, Athanas. [b] *Spiritussanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Hæc ille in Symbolo. Quod Athanas. esse patet. Primò, quia Nazianz. [c] dicit eum composuisse perfectam fidei Confessionẽ Occidenti, & Orienti notam [quam imperatori, scilicet Iouiniano obtulit. Non esse autem illam quam eidem Iouiniano misit, apud Theodor. vt suspicatur Iacobus [d] Billius, hinc probatur: quod quæ est apud Theodor. non sit ab Athanas. composita, sed sit ipsum Nicænum Symbolum, & quod Nazianz. dicat Athanas. asserere diuinitatem Spiritussancti in huiusmodi confessione, quomodo diuinitatem Filij Nicæni Concilij PP. id est clarè & apertè, at in Symbolo apud Theodoret. nihil habetur de Spiritu sancto nisi hæc. *Et in Spiritumsanctum.* In Symbolo verò Athanas. manifestè eius diuinitas asseritur. Potuit ergo Athanas. antequã ad Iouinianum accederet, mittere Symbolum Nicænum: postea verò cum præsens affuit, suũ ipsum, quod antea sub Constantio composuerat offerre, Nam nec Nazianz. dicit misisse, sed obtulisse.]

[b] τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὔτε τοῦ πατρὸς καὶ θεοῦ ὄντος, οὐ γεννητοῦ, οὐ δημιουργηθὲν, οὔτε γεγεννημένον ἀλλ' ἐκπορευτόν.

[c] *orat. de laudibus Athanas.*

[d] *commentar. in eand. orat.*

Secundò, quia Aug. [e] citans nominatim Athanaſ. Epiſcop. Alexandr. integrum verſiculum huius Symboli adduxit, & ſuppreſſo Athan. nomine vtitur integris huius Symb. ſententiis [f] paſſim, vt in Eccleſia notiſſimi.

Non fuiſſe autem particulam, *& Filio*, additam huic Symbolo: hinc conſtat quod habeatur in Græco, & quod Tolet. [g] quartum recitat cõfeſſionem fidei ferè ad verbum ſumptam ex hoc Symbolo in qua hæc particula habetur. Quare cum Græci non haberent quid reſponderent ad hoc teſtimonium dicebant, teſte Génadio [h] Scholario, Athanaſ. fuiſſe ebriũ cum hæc ſcripſit.

Idem [i] Athanaſ. *Non enim* (inquit) *tria principia, aut tres patres, introducimus ſicut Marcioniſtæ, cum non tres ſoles ad comparationem adducamus, ſed vnicum, eiúſque ſplendorem, & ex vtroque lucem procedentem.* At quam perſonam Trinit. Luci comparat, niſi Spiritum ſanctum? Item [k] *Impoſſibile eſt in Trinitatis gloria Spiritum ſanctũ numerari ſi non emanaſſet ex Deo per filium.* Et in epiſtola illâ longiſſima ad Serap. volens probare Spiritum ſanctum eſſe Deum. *Cum* [l] *igitur* (inquit) *iſtiuſmodi ordinem, & naturam habeat Spiritus ad filium, qualem filius habet ad patrem, qui fieri poteſt vt qui Spiritum creaturam dicit non illud idem neceſſario & de filio ſentiat?* vbi adeo certum eſſe credidit Athanaſius Spiritum à filio produci, vt inde tanquam ex principio firmiſſimo, & notiſſimo, concludat id quod erat in quæſtione, ſcilicet Spiritũ ſanctum eſſe Deum: ſi enim tantum ordo eſſet, quod ſicut pater mittit filium ad nos, ſic filius Spiritum, tamen ſine naturali productione ab eo, nihil concluderet argumentum. Nam etiam hoc modo mittuntur Angeli à filio, nec tamen ſequitur aut eos eſſe Deos aut filium eſſe creaturam.

Tertius eſt [m] Baſil. *Illud cui ex omnibus obſcu-*

[e] *in Pſal. 120.*
[f] *5. Trinit. 8. epiſt. 174. Enchir. cap. 36.*
[g] *cap. 1.*
[h] *lib. pro defenſione Concil. Florent. cap. 1. Sect. 5.*
[i] *Serm. 4. contra Arianos longè ante medium folio 233.* ἓν δὲ γὰρ τρεῖς ἀρχὰς, ἢ τρεῖς πατέρας εἰσάγομεν, ὡς οἱ ἀπὸ μαρκίωνος, καὶ μανιχαῖον. ἐπεὶ καὶ δὲ τριῶν ἡλίων ἐσταδίαμεν ἂν πρὸς εἰκόνα· ἀλλὰ ἥλιον καὶ ἀπαύγασμα. καὶ τὸ ἐξ ἡλίου ἐν τῷ ἀπαυγάσματι φῶς.
[k] *In redargutione hypocriſ. Meletij in fine.* ὧν γὰρ ἀδιάπτωτον ἐν τῇ τῆς τελειάδος δόξῃ τὸ πνεῦμα δοξάζεται· μὴ περιγινώσκων ἂν ἐκ θεοῦ διὰ υἱοῦ. ἀλλὰ ποιητικῶς ἐκ θεοῦ γεγονὸς.
[l] *vltra medium.* Τί οὖν ὃ τάξιν καὶ φύσιν ἔχοντος τὸ πνεῦμα τοῦ πρὸς τὸν υἱὸν, οἷαν ὁ υἱὸς ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, πῶς ὁ τὸ πᾶν κτίσμα λέγων, καὶ αὐτὸ καὶ ἀπὸ τοῦ υἱοῦ ἐξαναγκὲς φερόμενον;
[m] *2. in Eunomium.*

rum eſt quod nulla filij operatio à patre diſſecta eſt, neque eſt aliquid in rerum natura, quod filio adſit, & à patre alienum ſit: omnia enim (inquit) *mea tua ſunt*, & tua mea ſunt: quomodo ergo Spiritusſanctus cauſam ſoli vnigenito attribuit. Quo in loco vt probet Baſil. Spiritumſanctum eſſe etiam à patre, pro comperto aſſumit filium eſſe cauſam Spiritusſancti.

n 3. *in Eunom.*

Item, n *Dignitate ipſum* (Spiritumſanctum) *ſecundum à filio, cum ab ipſo eſſe habeat, & omnino ab illâ cauſâ pendeat, pietatis ratio tradit, naturæ vero tertium, vti neque ex Sanctis ſcripturis didicimus neque ex prædictis colligere poſſibile eſt. Nam quëadmodum filius ordine quidem à patre ſecundus, quoniam ab illo eſt, & dignitate quoniam ortgo atque cauſa eſſendi pater ipſi eſt: natura vero nullo modo ſecundus: quoniam in vtroque vna eſt Deitas, ita eſt Spiritusſanctus etſi dignitate & ordine ſecundus à filio.* (Quare niſi quia procedit à filio, ſicut filius à patre, aliàs nullam rationem dat Baſ. cur ſit à filio ſecundus?) *Non tamen alienæ ipſum eſſe naturæ inde conſequetur.* Ex quibus patet, ſiue illa verba, *Cum ab ipſo eſſe habeat, & omnino ab illa cauſa pendeat*, non ſint in textu, vt Græci contendunt, ſiue ſint, vt Latini aſſerunt, qui in Græcis exhibuerunt in Concil. Florent. vetuſtiſſimum codicem Græcum vbi hæc verba erant. Tamen vel debere eſſe, vel debere omnino intelligi.

o *lib. de Spiritu-ſancto cap.* 17. ὡς δίνων ἔχει ὁ υἱὸς πρὸς τὸν πατέρα οὕτω πρὸς τὸν τὸ πνεῦμα.

Item, o *Sicut ſe habet filius ad Patrem, ſic ad filium ſe habet Spiritusſanctus.* Quæ autem eſt habitudo inter patrem & filium niſi producentis ad productum?

p *homil 4. in orat. domin.*

Quartus Grego. p Nyſſenus vt citatur à Gennadio, q *Spiritusſanctus* (inquit) *& ex patre dicitur, & ex filio præterea eſſe oſtenditur.* Item vt profertur à Beſſarione, r *Spiritus patri coniunctus eſt, ſecundum quod vterque increatus eſt, rurſum ab eo diſtinguitur, eo quod ipſe nõ eſt pater: filio vero & ſecundum quod vterque increatus eſt, & ſecundum quod*

q *ſup.*

r *in ſua orat. cap. 6. ex lib. 1. Gregory in Eunomium.*

vterque ex primo principio ſuam ſubſtantiam habet coniunctus, diſtinguitur ſua proprietate quæ eſt, quod nec vnigenitus ex patre productus eſt, & quod per ipſum filium ſit manifeſtatus. Illud autem manifeſtatus non poteſt accepi pro ſola donorum effuſione, nam hic agitur de ipſa perſonarum [s] diſtinctione. Item libro ad Ablabiū. *Eam* (inquit) *quæ circa cauſam, & cauſatum conſideratur, differentiam non negamus, per quod ſolum diſcerni alterum ab altero deprehendimus, nimirum eo quod credimus aliud quidem cauſam eſſe, aliud verò ex cauſa, & ex eo quod ex cauſa eſt.* At quid eſt illud, quod ex eo quod, &c. niſi Spiritusſanctus? quomodo autem ex eo quod ex cauſa eſt ſi ex filio non ſit, nam pater non eſt ex cauſa?

[s] *quæ eſt ab æterno.*

Quintus Gregor. [t] Nazianz. τὸ δὲ ἔστιν φησὶν ὃ λείπει τῷ πνεύματι πρὸς τὸ εἶναι υἱὸν, εἰ μὴ λέγοιτο τὸ ὡς, μέσος ἂν ὢν. ὃ λείπειν φαμέν. ἀδὲ μὴ ἐλλειπὴς θεός. τὸ δὲ τῆς ἀκφάνσεως, ἵνα ὅπως εἴπω, ἡ τῆς πρὸς ἄλληλα σχέσεως διάφορον, διάφορον αὐτῶν, καὶ πως κλῆσιν ἐπίνοιαν. *Quid ergo* (inquiunt) *quod ſpiritui deeſt ad hoc vt ſit filius? niſi enim aliquid deeſſet, filius eſſet. Deeſſe nihil dicimus. Non enim Deo quidquam deeſt, verum manifeſtationis, vt ita dicam, mutuæque eorum relationis differentia, diuerſa quoque ipſis nomina procreauit.* At certè non poſſunt eſſe mutuæ relationes inter filium, & Spiritumſanctum niſi quis vnus ſpirat, alter ſpiratur, nec enim filius, quâ filius, ſiue ratione filiationis eſt relatiuum ad Spiritumſanctum. Infra idem comparat [u] Patrem Adæ qui à nullo homine, filium Euæ quæ à ſolo viro, Spiritumſanctum Seth, qui ab vtroque.

[t] *orat. 5. de Theologiâ.*

Sextus, Cyrill. [x] Hieroſ. *Vnus tãtum eſt, atque idem Spiritusſanctus vniens, & ſubſiſtens, qui vbique patri & filio adeſt, non qui ab ore, & labiis patris & filij loquendo formetur nec effletur, ſed ſubſtantialis loquens ipſe, & operans.* Vbi non diceret Spiritumſanctum non formari corporali modo ab ore

[u] ὁ Ἀδὰμ τ' πτε ὢν, πλάσμα θεῦ. τὸ δὲ ἡ Εὐᾶ, τμῆμα τῦ πλάσματος, τὸ δὲ ὁ Σὴθ. ἀμφοτέρων γέννημα. *Quid erat Adam? figmentum Dei, quid Eua? figmentum figmenti, Quid Seth? germen ex vtroque.*

[x] *Catech. 7. ante med.*

patris & filij, nisi crederet procedere ab vtroque, aliàs satis erat dicere non formari ab ore patris.

[y] *Tom.1.hom.5.de Symbolo.*
[z] *hom.2.*

Septimus, Ioannes [y] Chrysost. *Iste* (inquit) *est Spiritus de patre & filio procedens.* Item [z] *Istum Spiritumsanctum dicimus patri & filio coæqualem, & procedentem de patre & filio.*

[a] *hæres.69.*

Octauus Epiphanius, [a] *Sed neque Sanctus spiritus aliis spiritibus adæquatur, quoniam vnus est spiritus Dei, spiritus ex patre procedens, & de filio accipiens, hi vero volunt hunc creaturam creaturæ esse.* Quo loco illud, *Ex filio accipiens,* nihil significare potest nisi ex filio procedens per æternam emanationem. Nam opponit illud *Accipere,* creationi. Item, [b] *Vita ex vita est filius, Spiritus autẽ sanctus ab vtrisque.* [c] *Et Spiritussanctus spiritus veritatis est lux tertia à patre & filio.*

[b] *in Anchorat.p.350.*
[c] *sup.p.351.*
[d] *2. de Spiritusancto-vltra medium.*

Nonus [d] Didymus. *Non loquetur* (inquit) *à semetipso hoc est non sine meo, & Patris arbitrio, quia inseparabilis à mea, & patris est voluntate: quia non ex se est, sed ex patre & me est. Hoc enim ipsum quod subsistit, & loquitur, à patre, & me illi est.* Item *Neque alia substantia est Spiritussancti, præter id quod datur ei à filio.*

[e] *11.in Ioan.cap.1. ante finem.*

Decimus Cyrill. Alexandr. [e] *cum per filium naturaliter procedat, vt proprius eius, cum omnibus quæ absolute habet* (id est, omnes essentiales perfectiones) *accipere dicitur quæ ipsius sunt.* Item, [f] *Ex ipsa & substantiâ Dei patris prodiens, profusus autem ad sanctos per consubstantiale verbum, à quo est secundum emissionem ad esse atque subsistere,* &c. [g] *Ex filio naturaliter ac substantialiter Spiritumsanctum sic vt ex patre prouenire credimus.*

[f] *cap.25.post initium.*
[g] *13. Thesauri 2. Ante medium.*

Vndecimus Simeon [h] Metaphrastes. *Ascendit meus Christus in cœlum, & ad paternam sedem reuertitur, & Spiritum qui ex ipso procedit, mittit discipulis.*

[h] *in vitâ Dionysii.*

Duodecimus [i] Anastasius, *ipse Spiritus, & ab ipso procedit, & mittitur, non à patre solo, sed & à*

[i] *libro 1. de rectis dogmatibus.*

filio. Item. *Equidem Dominus declarans Spiritum ſanctum à ſe emergere, inſufflans in diſcipulos, dicebat, Accipite Spiritum ſanctum.*

Tharaſius, [k] *Credimus in Spiritum ſanctum qui ex patre per filium procedit.*

[k] *Epiſt. ad Patriarch. Oriental.*

Maximus, [l] *Spiritus ſanctus quemadmodum ſecundum eſſentiam Dei, & patris eſt, ita & filij ſecundum eſſentiam eſt, tanquam ex patre eſſentialiter per filium ineffabiliter natum procedens.*

[l] *quæ habetur in 7. Synod. act. 3. in 4. Zachariæ.*

Ioannes [m] Damaſ. *Imago Patris eſt Filius, & Filij Spiritus ſanctus.* Item, *Deus Spiritus ſanctus medius ingeniti, & geniti, & per Filium Patri coniunctus.*

[m] *1. cap. 18. de fid.*

Idem ratione probatur.

CAP. XXVI.

RATIO præcipua. Si Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur ab illo. At, *non diſtingui:* eſt contra fidem. quia tunc eſſet Dualitas, non Trinitas. Igitur à Filio procedit.

[a] *Nam in Deo nihil eſt, niſi eſſentia, & relatio: eſſentia non diſtinguit Ergo relatio: vt definit Concil. Tolet. 11. cap. 1.*

Maior probatur. Omnis diſtinctio realis in Deo naſcitur ex [a] relationibus [aa] realibus oppoſitis originis. quia relationes non oppoſitæ, poſſunt vnius, & eiuſdem rei eſſe: vt patet in paternitate, & ſpiratione actiua. Nequeunt autem realiter eſſe oppoſitæ in Deo, niſi per originem. At ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non eſſet inter eos relatio originis: vt patet. Igitur, ſi non procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo.

[aa] *quia non reales nequeunt diſtinguere realiter.*

Obijcitur primò, paternitas, & ſpiratio paſſiua non opponuntur, & tamen diſtinguntur realiter.

Respondeo, etsi non opponantur formaliter: tamen distingui inter se, ratione alicuius oppositæ relationis, nempe spirationis actiuæ, & passiuæ. Quando enim quædam relationes suppositorum distinguntur realiter: necessario etiam, respectu earum, distinguntur, & opponuntur realiter ipsa suppositа, & proprietates suppositorum constitutiuæ: alioquin nec ipsæ relationes distinguerentur. Pater autem, & Filius sunt suppositа spirationis actiuæ: quorum constitutiuæ sunt paternitas, & filiatio. Spiritus autem sanctus est suppositum passiuę spirationis, cuius suppositi cõstitutiua caret proprio nomine: sed ipso nomine spirationis passiuæ significatur. Ergo sicut spiratio actiua, & passiua realiter distinguntur, & opponũtur: sic suppositа patris, & filij: ac earum relationes cõstitutiuæ, opponentur & distinguentur realiter à Spiritu sancto, & spiratione passiua, respectu spirationis actiuæ.

Secundò. Si Spiritus sanctus non procederet à Patre, sed à solo Filio, nulla esset oppositio relatiua inter Patrem & Spiritum sanctum, & tamen ab eo distingueretur. Nam alioqui Spiritus sanctus esset Pater, & sic suum authorem produceret, nempe Filium.

Respondeo: Patrem etiam tunc opponi Spiritui sancto, sed mediatè. Nam si Filius spirat Spiritum sanctum, eo ipso etiam pater spirat mediate, nec vlla ratione fieri potest vt Filius spiret, & pater mediatè non spiret, & mediatè non opponatur Spiritui sancto. At si tollatur à Filio spiratio actiua, non necessario propterea tolletur à Patre, sed tunc cum nec mediatè nec immediatè Filius opponatur Spiritui sancto, nec etiam distinguetur ab eo.

Tertio generari, & spirari sunt duo modi productionis planè incompossibiles, in quibus fundantur relationes incompossibiles, nihil enim

poteſt

potest bis produci, aut duobus modis produci, nec aliquis potest producere Filium per naturam, & eundem per artem. Quare quantumuis nō opponerētur Filius & Spiritus sanctus, quia tamen hic spiratur ille generatur, semper distinguerentur, quæ sententia videtur Anselmi cap. primo de processione Spiritussancti: *Quoniam* (inquit) *adhuc non constat, an spiritus de filio procedat, & aliam causam distinctionis eorum esse assignandam, & hanc esse, quia filius nascendo, spiritus procedendo producitur.*

Respondeo quæ sunt in creaturis multa, & diuisa, in Deo esse vnum, tantùm modo non impediat oppositio. Quare sicut in Deo idem sunt intellectus, & voluntas, intelligere, & velle, nec repugnat vni personæ quod sit dicens, & amans, sic si Spiritussanctus non procederet à filio, vna & eadem persona esset verbum, & amor: nec generari & spirari essent duo modi incōpossibiles, sed vnus realiter qui tamē posset ratione in duos distingui. Nec aliter sentit Anselmus: cum enim ait, *Quoniam adhuc non constat*, &c. non vult dicere, non ita esse de facto, sed adhuc non esse hoc à se in libro hoc probatum, vel non esse certum apud Græcos, quare aliam distinctionis rationem supponendam esse, pro compertâ ab omnibus habitam quam tamen deinde ostendit, non posse vllo modo esse, nisi Spiritussanctus etiam procedat à filio.

Soluuntur argumenta Græcorum.

CAP. XXVII.

PRIMVM ex illis verbis [a] *Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre spiritum veritatis qui à patre procedit.* Cum enim tam disertè Dominus di-

[a] Ioan. 15. v. 26. ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ παράκλητος ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται.

xerit Spiritum sanctum à patre procedere, & non addiderit à filio, temeritas videtur asserere produci etiam à filio.

Respondeo cum [b] Augustinus solum nominari patrem, non ad excludendum filium, sed quia pater, est author principalis Spiritus sancti: filius enim habet à patre vt spiret. Nō excludi filium probatur ex similibus locutionibus, [c] *Caro & sanguis non reuelauit tibi sed Pater meus qui est in cœlis*, hic enim etsi solus nominetur pater, non tamen aliæ personæ excludūtur, cum hæc reuelatio facta sit à tota Trinitate. Item de Spiritu-sancto, *Ille vos docebit omnia*, & tamen pater & filius etiam omnia docent, imò vt ratiocinatur [e] Anselmus, etsi dictum esset: Nemo producit Spiritum sanctum, nisi pater, nec etiam excluderetur filius, sicut nec in illis, [f] *Nemo nouit filium nisi pater*, non excluditur filius, & Spiritus sanctus à cognitione filij.

Secundum, in Concilio Ephesino lectum est symbolū Nestorianorum, & liber Theodoreti contra anathematismos Cyrilli, ac in vtroque habetur expressè Spiritum sanctum non procedere à filio, tamen PP. Concilij tacuerunt, ergo approbasse videntur.

Respondeo, in eodem Concilio, & in quarto, ac quinto lectam fuisse epistolam Cyrilli cum anathematismis ad Nestorium in qua bis habetur Spiritum à filio habere suum esse & PP. non contradixerunt. Ergo, retorquendo argumentum, approbauerunt. Deinde Theodoretus negauit filium procedere etiam per filium, quod tamen Græci non asserunt. Igitur si quid valet eorum argumentum, Concilium approbauit sententiam illis contrariam. Denique ipsum Concilium satis suam significauit sententiam dumtaxat: cum summo consensu probauit totam Cyrilli doctrinam, & contrariam Theodoreti & Nestorianorum damnauit.

[b] *Tertio contr. Maxim.* 14. [*Dici etiam posset manifestè filium poni dumtaxat cum dicat se missurum Spiritum sanctum, quia missio in diuinis processio est naturalis.*]
[c] *Math.* 16. v. 17.
[d] *Ioan.* 14. v. 26.
[e] *lib. de process. Spiritus sancti.*
[f] *Math.* 11. v. 27.

Tertium ex [g] Dionyſ. *ſolus* (inquit) *fons ſuper ſubſtantialis Deitatis eſt pater.* Reſpondeo dici ſolum fontem, non quomodocumque, ſed quia non habet aliunde diuinitatem, filius autem, [h] dicitur etiam fons, ſed de fonte, ſicut Deus de Deo.

[g] *diuinor. nom. cā. 2. p. 1.*

[h] *ita Epiph. hæreſ. 69.*

Quartum. [i] *Nullam* (inquit) *Baſil. ſecundum propriam notionem, communionem habet filius cum patre.* Ergo non conuenit cum patre in ſpiratione.

[i] *Epiſt. 43.*

Deinde ait propriam notionem Spiritusſancti eſſe quod per filium, & cum filio cognoſcatur, & ex patre ſubſiſtentiam habeat.

Ad primum locum reſpondeo, non loqui Baſil. de qualibet notione, ſed de notione quæ eſt proprietas, nempe filiatione, ſpiratio enim non eſt proprietas, filius autem in filiatione nullam reuera habet communionem cum patre.

Ad ſecundum, eſſe pro nobis ſi benè intelligatur, non enim vult dicere Spiritumſanctum cognoſci ex doctrina & prædicatione filij, nam eo in loco diſſerit de diſtinctione perſonarum intima & æterna, quæ non debet ſumi à temporali noſtra cognitione, ſed cognoſci per filium, & cum filio, vt relatiuum per ſuum correlatiuum. Nam paulo autem dixerat Spiritumſanctum ex filio pendere, & non poſſe vnum ſine alio cogitari (quod eſt proprium correlatiuorum) & proinde Spiritumſanctum eſſe à filio. Nemo enim dicit filium eſſe à Spirituſancto.

Quintum. *Omnia quæ habet Pater, habet etiam filius excepta cauſalitate* ait [k] Nazianz.

[k] *orat. ad Epiſcop. qui venerant ex Aegypto.*

Reſpondeo non loqui de quacumque cauſalitate, ſed de cauſalitate patris erga filium: vult enim dicere omnia quæ pater habet eſſe filij, exceptis iis quæ ſunt propria patris. Ita enim poſtea confert etiam Spiritumſanctum cum filio, *Omnia* (inquit) *quæ habet filius habet Spiritusſanctus excepta filiatione*: id eſt exceptâ proprieta-

te personæ à qua producitur.

Sextum. *Spiritum* (inquit [l] Damasc.) *per filium esse dicimus, ex filio non dicimus* B. Thomas [m] reiicit Damasc. tanquam sequutum Theodoret. opinionem, sed non videtur id verum, nam Theodoret. negabat etiam Spiritumsanctum esse per filium.

[l] 1. *cap.* 11.
[m] 10. *de potent. art.* 4.

Respondeo ergo, cum Bessarione, & Gennadio, Damascenum non negasse Spiritumsanctum procedere ex filio, quoad rem attinet: cum dixerit, spiritum esse imaginem filij, & per filium esse. Sed existimasse tutius dici per filiũ, quam ex filio, quantum ad modum loquendi, propter hæresim Macedonij, & Eunomij: ne putaremus ex solo filio tanquam ex primaria imò solâ causâ procedere, vt illi volebant, sed intelligeremus etiam procedere à patre tanquam à principali authore. Quemad. dicimus post hæresim Nestorij Mariam Deiparam, non Christiparam, non quod non sit Christipara, sed ne putetur solùm Christipara, & non Deipara. Cæterum sicut propter hæresim Macedonij rectè dicebatur Spiritus esse à patre, per filium: ita propter Græcorum errorem nunc rectius dicitur a patre & filio, quam per filium.

Septimum. Leo tertius Papa, qui post additionem, *filioque*, in Symbolo factam, vixit, [n] iussit scribi, ad fidei cautelam, in tabulâ argenteâ Symbolum Constantinop. sine additione illa, & poni in altari post corpus Sancti Pauli. Ergo illam additionem abstulit.

[n] *apud Petrum Lombardum* 1. *dist.* 11.

Respondeo Pontificem deditâ operâ hoc feciſſe, vt seruaretur memoria Constantinopolitani Symboli quale fuerat, & vt intelligerent omnes, non damnari illud Symbolum, nec esse contrarium nostro. Habet enim Ecclesia plura Symbola, quæ omnia recipit & honorat: nec vnum destruit aliud: quamuis aliquid sit expressius in vno quam sit in alio.

Octauum ° Theophyl. *Sanè* (inquit) *Latini male hæc exponentes, & minus rectè intelligentes dicunt quod ſpiritus etiam ex filio procedat.* ° *in 3. Ioannis.*

Sed Theophyl. tempore ſchiſmatis vixit, & proinde reiicitur, ſicut non reciperent Græci Bernard. Rupert. &c.

Nonum, Spiritus ſanctus eſt vnus. Ergo vnũ habet principium, non duo, & vnâ ſpiratione procedit, non duabus.

Reſpondeo, hoc totum eſſe verum: non tamen ſequitur vnum principium eſſe idem, ac vnam perſonam; & vnam actionem, ab vnâ tantum eſſe perſonâ in diuinis. Nam vnum eſt principium mundi & vna creandi actio, & tamen mundus eſt à tribus perſonis, quibus eſt communis actio creandi: aliàs ſequeretur aliquam perſonam diuinam non eſſe creatorem. Illud autem principium vnum Spiritus ſancti eſt Pater & Filius: qui licet ſint duo ſpirantes, vnicà tamen ſpiratione ſpirant. Nihil enim multiplicatur in Deo, niſi relatio oppoſita, ſpiratio autem qua Pater ſpirat, non opponitur ſpirationi quâ ſpirat Filius, & proinde eſt vna.

Decimum. Pater eſt ſufficiens principium Spiritus ſancti, ergo non requirit auxilium Filij.

Reſpondeo, Filium cum Patre ſpirare, non quia Pater eget auxilio, ſed quia habent eandem potentiam, quâ ratione mundus producitur etiam à tribus perſonis neceſſario, neceſſitate quam vocant producentis. Et quia intrinſecè ad rationem Spiritus ſancti ſpectat diſtingui realiter illum à Patre & Filio, propterea de neceſſitate etiam, quam vocant producti, ab vtroque procedit.

Vltimum, ſi à Filio procedit Spiritus ſanctus. Ergo Patri ſimilior eſt Filius, quam Spiritus ſanctus. Nam Filius ſpirat cum Patre ſpirante, & Spiritus non generat, cum Patre generante.

Reſpondeo ſi in hoc eſſet attendenda ſimi-

litudo simile sequi incommodum, si Spiritus sanctus à solo Patre procederet, nam tunc esset Filius similior Spiritu sancto quam Patri, si quidem Filius procederet cum Spiritu sancto, & non produceret cum Patre. Sed neutrum concludit reuerâ. Nam similitudo attenditur ex parte essentiæ, non ex parte relationum.

Demonstratur rectè factam additionem, filióque.

CAP. XXVIII.

HÆC particula, filioque, est explicatio Symboli, vt declarat [a] Concil. Florent. debuit autem explicari Symbolum, cum multi credere cœpissent Spiritum sanctum non procedere à Filio: hoc enim error contra fidem, teste [b] Athanasio: & vbi error, ibi remedium quantò aptius afferēdum: nullum aptius quam expressa Symboli verba, cum Symbolū sit quod omnes profitentur publicè.

Sed Latini sine consensu Græcorum hanc explicationem facere potuerunt: tùm quod Papa pastor vniuersalis Ecclesiæ, nequeat [c] errare in decretis fidei ex cathedrâ docens: illius autem est decernere de fide, qui errare nequit; tùm quia & si tantum esset vt minimum primæ sedis Episcopus, sine quo Concilia robur non [d] habent, sufficeret Concil aliquot Episcoporum ab ipso confirmatum: vt aliquādo factum est: tùm etiam, quod sit vel de fide, vel ritu, quæstio: si posterius, potest quilibet in suâ Diœcesi Episcopus, aliquem introducere ritum sine aliorum consensu: si prius, potuerunt quidem Latini (quamuis R. Pontif. esset solùm Pa-

[a] *Definimus explicationem verborum illorum, Filióque veritatis declarandæ gratiâ, & imminente tunc necessitate, licitè & rationabiliter Symbolo fuisse appositā.*

[b] *in Symbolo. Hæc est fides Catholica quam nisi, &c. & epist. ad Serapionem & Concil. Florent.*

[c] *Vide infra lib. de sanctissimo Pontifice.*

[d] *Vt fusè docet Gelasius in tomo de vinculo anathematis.*

triarcha cæteris maior) illud definire: non tamen quod ſtatim reciperetur à cæteris: ſed alijs videndum num res rectè definita; ſin minus, maius conuocare Concilium. Græci autem, non ſolum hanc particulam eſſe contra fidem nequiuerunt probare, ſed plures fuere à Latinis conuicti. Ergo legitimè facta eſt hæc additio à Latinis.

Dices, licet non fuerint neceſſario Græci initio vocandi quare tamen non fuere vocati?

Reſpondeo 1. an minimè fuerint vocati certum non eſſe. 2. non fuiſſe neceſſe, quia facilis quæſtio, *Nec enim*, ſicut [c] Auguſt. ait, *omnis hæreſis talis eſt vt propter eam omnes debeant prouinciæ verſari.* 3. neceſſitas vrgebat & celeriter malo occurrendum. 4. quia inutile, cum nulli extarent in Græcia homines docti.

[c] *lib. 4. ad Bonif. 12.*

Soluuntur obiectiones Græcorum.

CAP. XXIX.

PRIMA *Decreuit ſancta Synodus* (ſcilicet 3. generalis) *alteram fidem nemini licere proferre, aut ſcribere, aut exponere præter eam, quæ definita fuit à ſanctis PP. apud Nicænam vrbem in Spiritu ſancto congregatam. Eos autem qui fuerint auſi aliam fidem componere, ſiue porrigere, aut proferre his qui volunt ad veritatis cognitionem conuerti ex Gētilibus, vel Iudæis, vel etiam ex qualibet Hæreſi: iſtos ſiquidem Epiſcopi fuerint, aut Clerici alienos, Epiſcopos quidem ab Epiſcopatu, Clericos ab clericatu, ſi laici fuerint, anathematizatos.*

Reſpondeo. 1. prohiberi tantum mutationem quoad ſenſum cōtrarium ſymbolo, ſicut [a] Paulus anathematizat docentes præter id quod docuit, cum tamen ipſe alia docuerit poſtea. Aliàs ſynod. 3. abrogaſſet Conſtantinop. ſym-

[a] *ad Galat. 1.*

bolum, quo tamen vtuntur Græci, addidit enim multa ad Nicænum. Dicunt equidem Græci Conſtant. & Nicæn. pro vno, & eodem haberi. Sed quare, niſi quia, in eundem conſpirant ſenſum? Hæc autem particula, *filioque*, in eundem quoque tendit. Quare Græci cum non ignorarent dumtaxat opinionem Latinorum, & additionem factam, tamen per annos circiter trecentos ſiluerunt.

Secundò etſi prohiberet Concil. additionem quoad verba, eius tamen prohibitio non niſi ad ſingulos Epiſcopos, Clericos, ac laicos ſe extendit [ſi enim ad omnes Epiſcop. ſimul, ac R. Pontificem, quis eos deponeret?] Deinde non ignorauit Concil. parem parem non habere poteſtatem. At hanc additionem ſummus Pontifex, approbantibus poſtea tribus Generalibus Concil. ſymbolo intexuit.

Secunda, etſi hoc licuerit Latinis, non tamen conueniens: alioquin multa alia ſymbolo eſſent addenda.

Reſpondeo conuenienter id actum, tùm quia dabat ſymbolum ſine hac particula cauſas erroris: tùm quia facilè poterat addi ſine notabili mutatione ſymboli. Cum & quæcumque alia particula addi poſſet ſi Rom. Pontif. aut Concil. videretur expedire.

Concluditur diſputatio diuino teſtimonio.

Cap. XXX.

PRIMO, vſque ad ſchiſma, eò floruit Græcia doctis atque ſanctis viris, vt omnia Concil. generalia in ea celebrata fuerint: poſt, nullum habuêre generale Concil. nullum miraculis clarum, pauciſſi. doctos. Latini Concilia cele-

brarunt generalia duodecim, viri miraculis clari singulis floruerunt ætatibus, quamplurimi doctissimi, Religiosorum diuersi instituti ordines.

Secundò, fides Latinorum propagatur vsque ad Indos tum Orientales tum Occidentales, Græcorum quotidie tabescit atque minuitur. Græci quater aut quinquies victi, & conuersi à nostris, semper redierunt ad vomitum.

Denique illorum imperium in Turcarum incidit manus, idque ipsis Pentecostes feriis. Anno siquidem [a] 1452 die 28 Maij qui fuit [b] Pentecost. indixit Mahumetes secundus vltimam Constantinopoleos oppugnationem, sequenti die vrbem cæpit: occisus Imperator, imperium extinctum est.

[a] *vt probat Gerardus Mercator in Chronolog.*

[b] *Vt cognoscitur ex aureo numero qui eo anno erat 9. & literâ Dominicali quæ A.*

LIBER TERTIVS.

Qui est,

DE CHRISTI INCARNATIONE.

De erroribus huius temporis circa Incarnationem.

CAP. PRIMVM.

PRIMVS error huius temporis circa incarnationē, asserit, Christum nō habuisse veram carnem ex virgine assumptam, cuius erroris sunt [a] Anabaptistæ, & [b] Suuenckfeldiani.

Secundus, vult Christi carnem habere attributa diuinitatis, ac præcipuè omnipræsentiam: Atque hypostaticam vnionem consistere in istâ communicatione diuinorum attributorum. Quod si contendat ista attributa communicari essentialiter humanitati: iam fiet vnum cum diuinitate, quæ est hæresis Eutychiana: si verò coniungi tantum accidentaliter, tunc distinctæ erunt personæ Dei & hominis in Christo, quæ est Nestoriana hæresis: Huius erroris author videtur Iacobus Faber Stapulensis, in cap. enim duodecimum prioris ad Corinth. *Corpus Christi* (inquit) *id est humanitas assumpta cælum implet, & terram: est enim vbicumque. Ver-*

[a] *apud Ioan. Cochlæum libro de erroribus Monasterienſiũ Anabaptistar.*

[b] *Gaspar Suuenckfeldius libro de diuina maiestate humanitas Christi.*

bum Dei eſt, quia verbum caro factum eſt: quare verbum, nuſquam eſt ſine carne. Hunc ſequutus eſt [c] Lutherus, *Neceſſe habes* (inquit) *Chriſti carnem, quæ eſt cum Deo vna perſona, longiſſimè extra creaturas collocare, adeóque tam longè, quam Deus ipſe extra creaturas eſt.* Tamen [d] Ioannes Brentius adeò hanc locupletauit doctrinam, vt putetur author vbiquitatis: cui [e] magna pars Lutheranorum agglomeratur.

Obſeruandum eſt interim, Saxonicas Eccleſias ter ſuam ſententiam dumtaxat mutaſſe. Nam Luthero docente, defendebant, cum ipſo vbiquitatem: illo mortuo, ac Melanchtone regnante, cœperunt cum ipſo vbiquitatem oppugnare. vnde anno 1571. celebrarunt Synodum Deſdrenſem, conuenientibus & conſentientibus omnibus ſuperintendentibus Ducatus Saxonici necnon doctoribus Academiarum Lipſiæ, & witembergiæ, atque ibi ſtatuerunt vbiquitatem corporis Chriſti, eſſe horribilem prophanationem omnium articulorum Symboli. At non fluxerunt anni decem, quando ex eadem witembergâ, & Lipſiâ prodijt Concordia, quâ ipſa vbiquitas pro articulo Fidei recipitur.

[c] *Libro inſcripto Confeſsio. Mar. Lutheri de cœna Dom. & ſerm. de Sacramento cœnæ Domini tomo. 2. operum eius fol. 112. Credimus quod Ieſus Chriſtus ſit iuxta humanitatem ſuper omnes creaturas collocatus & omnia impleat.*

[d] *in Apologia pro confeſſ. Vvitembergenſi in tract. de cœna Domini & lib. de maieſtate Chriſti hominis.*

[e] *Illyricus libro de Aſcenſione Domini Kemnit. de duabus Chriſti naturis Ioãnes Vvigandus de communicatione Idiomatum & Concordia Euangelica edita 1580. in Epitome ar. controuerſor. ar. 7. §. 5. & ar 8. §. 11.*

Explicatur hæreſis Eutychetis.

CAP. II.

HÆRESIS [a] Eutychetis fuit: in Chriſto fuit poſt incarnationem, vnam tãtum fuiſſe, & eſſe naturam, factam per conuerſionem diuinitatis in carnem: quia *verbum caro factum eſt*: at vnum fieri alterum, eſt verti in illud. Vnde aſſerebat diuinitatem verbi natam, paſ-

[a] *apud B. Leonem Epiſt. 5. Flauiani quæ eſt 9. & epiſt. Leonis 97. ac Theodor. 4. de hæretic. Fabulis. Hanc hæ-*

ref. docuerat antea Apollinaris teste Epiph. hæref. 77. & Aug. 55.

sam, mortuam, & sepultam fuisse: ita tamen, vt Christi caro non sit eiusdem naturæ cum nostrâ, sed tantùm apparens, & phantastica: vt potius verbum simulauerit se hominem, & natum, passum, &c. quam reuerâ fuerit. Quia videtur indignum Deo, quod vera fuerit caro, vere natus, passus, &c. At catholica fides semper agnouit in Christo post incarnationem duas integras, & perfectas naturas, diuinam, & humanam, quæ sine vllâ confusione, ac permixtione in vna personâ verbi subsistant. item naturam diuinam, neque natam, nec passam, &c. sed solùm humanam quæ sit eiusdem speciei cum nostrâ.

Refellitur Hæresis Eutychetis.

CAP. III.

PRIMO duas esse in Christo naturas, testantur illa Domini Verba, [a] *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* Nam iste qui loquebatur, secundum eam naturam per quam videbatur, & loquebatur, ac filius hominis erat, non descenderat de cœlo, aut tunc cum loquebatur erat in cœlo. Ergo alteram habuit nempe diuinam secundum quam descenderat, & erat in cœlo.

Deinde nullo modo fieri potest secundum eandem naturam Christum esse æqualem patri, & minorem: at Ioan. [b] decimo, *Ego* (inquit) *& pater vnum sumus.* decimo [c] quarto verò, *Pater* (inquit) *maior me est.* Igitur secundum vnam fuit æqualis patri, secundum aliam minor.

Præterea [d] *Antequam* (inquit ipse Christus)

[a] *Ioann. 3. vers. 13.* οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ.

[b] *v. 30. & cap. 5. vers. 18.*

[c] *vers. 28.*

[d] *Ioan. 8. vers. 58.* πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι ἐγὼ εἰμί.

Abraham fieret, ego sum. At idem [e] natus erat temporibus Augusti. nequit autem fieri vt idem secundum idem fuerit ante & post Abraham. Item quod S. Thomas Ioan. 20. viderat & fortè tetigerat in Christo non erat Deus, sed caro, & tamen exclamauit dicens, [f] *Dominus meus, & Deus meus.* Igitur ille cuius carnem viderat simul erat verè Deus, & homo, quod etiam apertè constat Actor. [g] secundo. *Dextera* (inquit Petrus) *Dei exaltatus effudit hoc donum.* Nam exaltari non est Dei, sed creaturæ: effundere Spiritum sanctum non est creaturæ sed Dei. [h] Item, *Spiritus sanctus posuit vos regere Ecclesiã Dei, quem acquisiuit sanguine suo*, &c. Iam verò illas naturas non esse permixtas satis ex scriptura patet, quæ frequenter Deum esse immutabilem & incorruptibilem asserit Malach. [i] tertio, Numeror. [k] vigesimo tertio [l] &c. Non esse diuinitatem natam passam &c. Hinc facilè deducitur. Qui enim est immutabilis, nec in tempore nasci nec pati, &c. in eo in quo immutabilis est, vlla ratione potest. Quare cum scripturæ docent Christum in tempore natum, passum, &c. addunt secundum carnem Roman. [m] primo, & [n] nono: primæ Petri [o] tertio, & [p] quarto vnde [q] Epiphanius *ipse* (inquit) *Dominus venit, & passibilitate in seipso susceptа verè passus est, Deitate ipsius à passione aliena.* Athanas. [r] Quis infernus ista eructauit? vt consubstantiale dicant corpus ex Maria genitum cum verbi diuinitate? aut quis ita impius fuit, vt vel verbis diceret, vel animo cogitaret ipsam deitatem circunciſam fuisse? [s] Cyrillus. *Dicimus illum passum esse, & resurrexisse, non quia Deus verbum in sua naturà passus sit* (*Deus namque extra passionem est*) *sed quia corpus illud quod proprium ipsius factum est, passum sit* [t] &c.

Christi verò carnem eiusdẽ esse speciei cum

[e] *Luc. 2. v. 1.*

[f] *vers. 28.*

[g] *v. 33.* τῇ δεξιᾷ τοῦ θεοῦ ὑψωθείς, τὴν τε ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαβὼν παρὰ τοῦ πατρὸς ἐξέχεε τοῦτο.

[h] *Actor. 20. v. 28. Nam Deus vt Deus sanguinem non habet.*

[i] *vers. 6.*

[k] *vers. 19.*

[l] *Iacob. 1. vers. 17. 1. Tim. 1. v. 17.*

[m] *vers. 3.*

[n] *vers. 5.*

[o] *vers. 18.*

[p] *vers 1.*

[q] *Hæresi. 76.*

[r] *Epist. ad Epitectum.*

[s] *Epist. 8. quæ est ad Nestorium aliquot ante finem.*

[t] *Anastasius lib. 4. Damasc. 3. cap. 4. Ambr. 10. in Luc. 49. Concil. Hispalense 2. ca. 13. Aug. lib. de hæres cap. 73. Leo ep. 10. Vigilius lib. 4.*

noſtra, & Chriſtum non ſimulatoriè, ſed verè natum, paſſum &c. probatur. Nam [u] dicitur B. virgo peperiſſe Chriſtum filium ſuum primogenitum: at quomodo potuit virgo Chriſtum habere filium, ſi Chriſti caro, non fuit vera caro, ex carne virginis. Item Hebræo [x] *Quia pueri communicauerunt carni, & ſanguini, & ipſe participauit eiſdem.* Quid eſt, *eiſdem*, niſi carni, & ſanguini eiuſdem naturæ? Et certè Euangelia plurimis ſcaterent mendacijs ſi Chriſti caro nō fuit vera caro, cum dicunt eum hominem, habuiſſe matrem, & cognatos, eſuriuiſſe, comediſſe, &c. quæ de phantaſmate verè affirmari nequeunt.

Deinde ſi Chriſtus non eſt verè mortuus, neque nos etiam verè redemit.

Præterea cum diſcipuli ſuſpicarentur Lucæ vigeſimo quarto phantaſma, vel Spiritum eſſe quod videbant, Dominus ait, *palpate, & videte quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.*

Quare Hæreſis Eutychetis damnata fuit in Concilio Chalcedonenſi actione 5. [z] *Confitemur in nouiſſimis diebus filium Dei vnigenitum in duabus naturis, inconfuſè, immutabiliter, indiuiſè, inſeparabiliter, agnoſcendum, nunquam ſublata differentia naturarum propter vnionem.* Idem ſtatutum in [a] Concilio quinto, & [b] ſexto, [c] &c.

Theodoret. autem in Dialogo immutabilis: & Dialogo, inconfuſus: ac Dialog. impatibilis, adducit prolixè teſtimonia omnium ferè Patrum, qui ante ipſum fuerunt: Idem fecit Leo Epiſt. ad Leonem Auguſtum, & Vigilius, libro quinto contra Eutychetem.

[u] *Math. 1. v. 16. & Lucæ 2. v. 7.*

[x] *v. 14. ἐπεὶ παιδία κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχε τῶν αὐτῶν.*

[y] *v. 39. ψηλαφήσατε μὲ καὶ ἴδητε ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει.*

[z] *in Symbolo fidei.*

[a] *can. 2.*

[b] *Act. 4. & 17.*

[c] *Lateranenſi ſub Martino 1. conſultatione vltima can. 4. & 6. Tolet. 6. c. 1. Tolet. 11. ca 5. & 6. Hiſpal. 2. cap. 13.*

Soluuntur argumenta quæ fiebant olim pro Eutychete.

CAP. IIII.

PRIMVM argumentum, Euſtachius Epiſcopus Beritenſis aſſeruit in [a] Concilio Chalcedonenſi, S. Cyrillum ſcripſiſſe, non oportere intelligere in Myſterio incarnationis duas naturas, ſed vnum Dei verbi incarnatam. Item ex Athanaſ. & Cyrillo admittit. [b] Damaſcenus. Grego. [c] Nazianz. quoque appellauit carnem Deificatam, quod idem eſſe videtur, ac ſi diceret, diuinitatem incarnatam.

[a] *act.* 1.

[b] 3. *de fide* 6. & 7.

[c] *Epiſt. ad Chelidonium.*

Reſpondeo, naturam verbi eſſe incarnatum, nihil aliud eſſe, vt explicat [d] Concil. quintum & Damaſc. quam habere vnionem cum carne in vnâ Hypoſtaſi verbi, quamquam verba quæ citantur ex Cyrillo ab Euſtachio veriſimile eſt appoſita fuiſſe in eius operibus ab Hæreticis, Catholici enim in ipſo Concil. dicebant ea Dioſcori potius quam Cyrilli videri: carnem autem Deificatam idem eſſe, ac carnem factam Dei, per vnionem cum Verbo, non autem per conuerſionem in diuinitatem.

[d] *ſup.*

Secundum, ſi duæ ſint naturæ in Chriſto duo Chriſti erunt: & proinde nõ Trinitas erit Deus ſed quaternitas. Nam ſi Pater, & filius dicuntur vnus Deus, propter vnam eſſentiam: cur propter duas eſſentias non erunt duo Chriſti?

Reſpondeo, nomina cõcreta numquam multiplicari niſi multiplicentur ſuppoſita, & ſi ſubſtantiua ſint, requiri etiam formæ multiplicationem, alioquin, nequeunt efferri niſi in ſingu-

lati, nam qui habet duas artes non dicitur duo artifices sed vnus: & qui plures vestes nō plures vestiti, sed vnus. Quia ergo in Christo est vnum suppositum, non possunt dici plures Christi, Domini, vel filij, sed vnus. Neque sequi potest in Deo esse quaternitatem, post incarnationem, tùm quia pluralitas quæ in Deo effertur, non est naturarum sed personarum: Incarnatio autem non auxit numerum personarum: tum quia per incarnationem nihil accessit Deo qui perfectissimus: [id est, caro assumpta, non est de intrinsecà ratione Dei: iuxta quam rationem damnatur quaternitas in Deo.]

Tertium æquè dicitur, *Verbum caro factum est*, ac [e] aquam vinum factam, in nuptiis. Sed aqua, facta est vinum, per conuersionem vnius in alterum, ita vt postea non fuerint duæ naturæ, sed vna: igitur eodem modo verbum caro factum est.

[e] *Ioan. 2. v. 9.*

[f] *Dialog. immutabilis.*

Respondeo, cum [f] Theodoreto, scripturas non solùm dicere verbum factum esse carnem, sed etiam à verbo assumptam esse carnem, vt Philipp. 2. [g] Quare cum dixisset Ioan. Verbum caro factum est, ne putaremus id factum esse per conuersionem, statim subdit, *Et habitauit in nobis.* id est, verbum factum est caro, quia nostra carne assumptà, in ea habitare cœpit, nec eodem modo intelligi debet ac illud, aquam factam vinum: sed sicut dicitur Aaron à Deo Pontifex, & Dauid Rex factus, id est, cœpisse eos esse quod non erant, non amisso quod erat scilicet Aaron, & Dauid.

[g] *v. 6. & Hebræo. 2. v. 16.*

Quartum: si diuinitas non sit passa & mortua, *&c.* sequetur iuxta Nestorium purum hominem pro nobis passum mortuum, *&c.*

Respondeo nullam esse cōsequentiam. Nam actiones, & passiones sunt suppositorum non naturarum. Itaque Christus Deus passus est, *&c.* sed

&c. sed secundum formam serui iuxta illud, *Christo igitur in carne passo.*

Quintum, indignum videtur diuinitatem in veram carnem fuisse conuersam, in vtero fœminæ conclusam, in cruce mortuam. Ergo simulatorie, verbum caro factum est.

Respondeo verum esse antecedens; & inde optimè sequi nec verè, nec simulatoriè in carnem esse conuersam diuinitatem. At non esse indignum Deo vt secundũ formam humanam à Verbo assumptam, clausus manserit in vtero virginis, *&c.* & idcirco nec sequi vt verbum non verè, sed simulatoriè caro factum dici debeat.

Explicatur hæresis Nestorij.

CAP. V.

CHERINTVS [a] olim separabat Iesum à Christo, & Iesum purum hominem esse cõtendebat ex Ioseph, & Maria natum. Christum autem esse Filium Dei, qui tẽpore baptismi in Iesum descenderit in formâ columbæ. Quam hæresim quidam postea Pelagiani [b] excitarunt; ac mordicus docuerunt. [c] Nestorius, & nonnulli sequaces: propterea asserebant B. virginem non esse Dei genitricem sed solius hominis, cui natiuitatem passionem, *&c.* tribuebant: Filium tamen Dei postea vnitum fuisse filio hominis multis modis, non quidem substantialiter communicando hypostasim, sed tantum accidentaliter. Primò secundum habitationem, sicut in templo suo. Secundò per vnionem voluntatis, & dilectionis. Tertio pẽr

[a] *apud Irenæ. 1. cap. 25.*

[b] *apud Cassian. 1. & 6 de incarnat.*

[c] *vide Euagrium 1. cap. 2. & sequent. Theodor. 4. hæret. fab. prope finem & dogmata Nestorij apud Cyrill. tom. vlt.*

operationem quia filius hominis, erat instrumentum, quo vtebatur verbum in operibus miraculosis. Quartò secundum participationem, quia verbum illi homini impertiuit nomen, & dignitatem suam, eo modo quo imagines Sanctorum nominibus eorum interdum appellantur, & propter eos etiam honorantur, & adorantur.

[d] *concione de natali Domini*

[e] *1.cap.13.v.9.*

Huic hæresi fauet [d] Lutherus cum ait: *Imperiti quidam Christum omnipotentem faciunt.* Et Caluinus in [e] Institut. distinguere videtur, personam mediatoris in Christo à personâ Filij Dei.

Refellitur hæresis Nestorij.

CAP. VI.

PRIMO, omnibus illis testimoniis quibus probatum est supra Christum esse verum Deum.

Secundò apud [a] Math. apertè B. Petrus, ex reuelatione diuinâ, ipsum filiũ hominis cum quo loquebatur vocat filium Dei viui: & apud [b] Lucam natus ex Virgine vocatur Dei filius. Neque si duæ sunt personæ in Christo, verum erat filium hominis, tunc fuisse in cælo, dum loquebatur in terra cum Nicodemo. Deinde cum dixisset [c] Christus cæco illuminato: *Tu credis in filium Dei? Respondit ille, Quis est Domine, vt credam in eum? dixit ei Iesus, & vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. At ille ait, Credo Domine, & procidens adorauit eum Quid clarius?* Item Rom. [d] octauo. *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* [e] *Si cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* [f] *Vnus Dominus Iesus Christus,*

[a] *Matth.16.v.16.*

[b] *Lucæ 1.v.35.*

[c] *Ioan.9.a.v.35. ad 38.inclus.* σὺ πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ. ἀπεκρίθη ἐκεῖνος καὶ εἶπε, καὶ τίς ἐστὶ κύριε, ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν. εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ ἰησοῦς καὶ ἑωρακὼς αὐτὸν, καὶ ὁ λαλῶν μετὰ σοῦ ἐκεῖνός ἐστιν, ὁ δὲ ἔφη πιστεύω κύριε καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ.

[d] *v.32.* ὃς τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτόν.

[e] *1.Cor.2.v.8.*

[f] *sup.cap.8.v.6.*

per quem omnia. g *Nouiſsimè diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula.* Ioannes ep. h prima *Quod fuit ab initio* (inquit) *quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectauerunt,* &c. i *Omnis ſpiritus qui ſoluit Ieſum ex Deo non eſt.* k *Quiſquis ergo confeſſus fuerit,* &c.

g *Hebr.1.v.2.*

h *cap.1.v.1.*

i *cap. 4. v. 3.* πᾶν πνεῦμα ὃ μὴ ὁμολογεῖ ἰησοῦν, χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα ἐκ τοῦ θεοῦ οὐκ ἔστι.

k *v.15.*

Ad hæc omnia reſpondent ſe non negare Ieſum eſſe filium Dei, & Deum ac vnum tantùm, non duos: ſed modis Neſtorianis ſupra deductis.

Sed Cherintus iſta etiam confitebatur de Chriſto, & tamen Ioannes dicit illum ſoluere Ieſum, & non confiteri Ieſum eſſe filium Dei. Præterea ea omnia quæ Neſtoriani tribuunt ſuo filio Mariæ, conueniunt aliis hominibus ſanctis in quibus habitat vt in templo, primæ l Corinth. Sexto, ei per dilectionem adhærent, m *Qui autem adhæret Deo vnus Spiritus eſt*, & per hos miracula operatur, Roma. decimo quinto. vocanturque o filij Dei, & Dij p pſal. 81.

l *verſ. 19.*

m *verſ.16.* ὁ δὲ κολλώμενος τῷ κυρίῳ, ἓν πνεῦμά ἐστι.

n *verſ.18.*

o *Galat.4.v. 6.*

p *verſ. 6.*

Tertiò probatur ex omnibus Symbolis fidei, Apoſtolico, in quo qui eſt filius Dei vnicus dicitur, natus ex Maria virgine: Nicæno: Athanaſij, *Qui licet* (inquit) *Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus, vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ vel vnitate perſonæ.*

Quarto, ex Conciliis, Epheſino, in quo ex profeſſo definitur vnam eſſe Chriſti perſonam: Romano, q ſub Martino primo, Chalcedonẽſi: act. 5. ſynodo generali quinta can. quarto. *Si quis dicit ſecundum gratiam, vel ſecundum operationem, vel ſecundum dignitatem, vel ſecundum æqualitatem honoris, vel ſecundum authoritatem, aut relationem, aut affectum & virtutem vnitionem Dei verbi ad hominem factam eſſe,* & infra. *Et non confitetur vnitatem Dei verbi ad carnem ſecundum compoſitionem, ſiue ſecundum ſubſiſtentiam factam eſſe: anathema ſit,* &c. Lateranenſ. r ſub Martino.

q *cap.1. & 2.*

r *conſult.vl.can.6.*

sexto [s] Generali, Hispalensi [t] 2. Toletan. [u] 6.

Quintò, ex PP. Cyrillo ex professo lib. de incarnatione Domini: Cassiano libris 7. de incarnat. [x] Ignatio. *Filius* (inquit) *Dei qui ante sæcula natus est, ipse in vtero portatus est à Maria*, &c. [y] Iustino. *vnus est filius & qui mortuus est, & qui id quod mortuum erat excitauit.* [z] Irenæo, [a] Athanas. [b] Nazianz. *Si quis Virginem Mariam nequâquam Genitricem Dei credit, is etiam à Deitate sit separatus*, &c. [c] Basil. [d] Damasc. [e] Cyprian. [f] Hilar. *vnus vnigenitus Deus in corpusculi humani formam sanctæ virginis vtero insertus accrescit*, &c. [g] Ambros. [h] Aug. *Christus Iesus Dei filius, Deus & homo est*, [i] Leone, *Anathematizetur ergo Nestorius qui B. Virginem Mariam non Dei, sed hominis tantummodo credidit Genitricem.*

[s] *Act. 4.*
[t] *cap. vlt.*
[u] *cap. 1.*
[x] *epist. ad Ephesios.*
[y] *lib. de recta fidei confess.*
[z] *3. contra hæres. 18. vsque ad 22.*
[a] *Epist. ad Epictet. circa finem.*
[b] *epist. 1. ad Chelidonium.*
[c] *4. in Eunom. exponens illud: Dominus creauit me.*
[d] *3. cap. 9.*
[e] *2. contr. Iudæos 8.*
[f] *2. de Trinit.*
[g] *lib. de Dom. incarnat. Sacramento cap. 5.*
[h] *in Enchirid. cap. 5.*
[i] *ep. 97. cap. 1.*

Soluuntur obiectiones aduersar.

CAP. VII.

PRIMA. Non potest esse idem templum, & inhabitans illud. Sed humanitas est templum verbi, igitur, *&c.* vnde non dixit [a] Christus *soluite me, sed soluite templum hoc.*

Ad maiorem, illa duo non posse quidem esse vnius naturæ, posse tamen vnius esse subsistentiæ: Nam anima nostra [b] dicitur etiam inhabitare corpus, vt domum, & tamen vtriusque est hypostasis vna [ideo autem non dixit Christus soluite me, quia nusquam soluta est persona verbi à naturâ assumptâ.]

Secunda, *Christus*, [c] *in similitudinem hominum factus est & habitu*, id est, vestitu, *inuentus vt homo* igitur non fuit verè sed tantum similitudinariè homo.

[a] *Ioan. 2. v. 19.* λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον.
[b] *2. Corinth. 5. v. 1. & 4. item 2. Petri 1. v. 14.*
[c] *Philip. 2. v 7.* ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος.

Reſpondeo. Primò Chriſtum reuera non fuiſſe hominem purum, ſed tantum talem apparuiſſe, quod intendit Paulus iuxta [d] Ambroſ. Chryſoſtom. Oecumen.

[d] *in hunc locum.*

Secundo fuiſſe ſimilem in ſpecie cæteris, & proinde negatur conſequentiâ. vox autem, *habitus*, non veſtem ſed externam figuram importat, nam Græcè non eſt ἔνδυμα, ſed σχῆμα: Quãuis etſi indumentum ſignificaret, tamen ideò diceretur humanitas verbi indumentum non quod verbum non ſit verè homo, ſed propter ſimilitudinem inter humanitatem & veſtem. Sicut enim per veſtem, hominem agnoſcimus, & eam aptamus ad figuram corporis, & proinde mutatur ipſa: ſic & humanitatis ratio, reſpectu Verbi, ſe habet.

Tertia dicitur Chriſtus filius Dei *ſine matre ſine Genealogia* Hebr. 7. [e] at filius Mariæ matrem habet.

[e] *verſ.* 3.

Reſpondeo ibidem dici etiam ſine patre, nec tamen ſequitur patrem omnino non habere, Nam ſolum voluit Apoſtolus duplicem Chriſti natiuitatem docere vnam ſine matre ab æterno, alteram ſine patre in tempore.

Quarta, Nomen Dei abſolutè poſitum, non ſignificat Deum homini vnitum: hoc autem ſignificat filius Mariæ, igitur non eſt Dei genitrix.

Reſpon. Deum, abſolutè poſitum non excludere Deum homini vnitum à ſua ſignificatione Nam Actor. 20. [f] Deus abſolutè poſitus dicitur mortuus, eiuſdem autem eſt mori, & naſci.

[f] *verſ.* 28. & 1. *Ioan.* 3. *v.* 16.

Quinta filius Mariæ clamauit [g] *Deus meus vt quid dereliquiſti me. Pater* [h] *ſaluifica me.* Et eguit [i] Angelo conſolatore.

[g] *Matth.* 27. *verſ.* 46.
[h] *Ioan.* 12. *v.* 27.
[i] *Luc.* 22. *v.* 43.

Reſpondeo hæc dici de Chriſto ratione humanitatis.

Sexta, nemo poteſt gignere antiquiorem ſe, ergo non eſt Maria Dei genitrix.

Respondeo verum anteced. secundum id quo genitum est antiquius. Maria autem non est mater Dei ratione Deitatis, sed humanitatis.

Septima Filius debet esse homousios parentibus, Christus verò est Deus omnipotēs, quod non competit Mariæ.

Respondeo debere esse homousion secundum naturam acceptam à parentibus, sicut ratione humanitatis Christus est homousios matri.

[k] *in Psal. 59.*

Octaua [k] Basil. vocat Christum hominem Deiferum.

[l] *in reprehens. quinti anatheismi.*

Respondeo malè citari Basil. à [l] Theodoreto, nam Basil. vocat tantùm Christi σάρκα θεοφόρον carnem Dei gestatricem. Quia autem caro non personam sed partem naturæ humanæ significat hoc rectè dicitur, quod caro sit veluti domicilium Deitatis, quomodo esset piè intelligendum, si aliquis patrum diceret Christum Deiferum, verbum quia homo, Christus, Deus, personam important, non rectè diceretur Christus Deifer, ita enim duæ innuuntur personæ.

Explicatur in quo propriè consistat vnio duarum naturarum hypostatica.

CAP. VIII.

[a] *sup.*
[b] *in Thesibus Tubingæ disputatis.*

BRENTIVS, [a] & [b] Smidelinus volunt hanc vnionem in Christo, esse communicationem attributorum omnium Deitatis factam humanitati Christi, non quidem per dona creata, & infusa, nec quod illa attributa fiant naturales humanitatis proprietates, sed quia Diuinitas inhabitat tanquam in suo proprio corpore, in Christi humanitate, & in ea

lucet omni ſuâ maieſtate, potentia &c. ac in illa & per illam omnia operatur: Quare Chriſtum volunt ab aliis differre hominibus tantum per energiam quod per Chriſtum omnia, per alios quædam operetur.

Vera ſententia eſt, hanc vnionem in eo conſiſtere quod natura humana careat propria ſubſiſtentia, aſſumptaque ſit à Verbo ad ipſam ſubſiſtentiam Verbi: tribus ſiquidem modis poſſunt aliqua vniri, [c] primo, vt partes rei eſſentiales, quomodo materia & forma, genus & differentia, ex quibus reſultat compoſita natura, quo certè modo non eſt facta vnio in Verbo: vnio enim partium eſſentialium, ex imperfectis ad perfectum procedit. [d] Secundo, vt accidens & ſubiectum, vel ſubſtantia cum ſubſtantia, ex quibus reſultat forma accidentalis: At neque verbum eſt ſubiectum humanitatis, neque ex vnione cum verbo reſultat accidentalis perfectio. [e] Tertio, cum ſubſtantia, quæ alioquin per ſe ſubſiſteret, trahitur ad ſubſiſtentiam alterius, & ab illo dumtaxat pendet: qualis vnio Verbi & humanitatis: quæ ſolet quibuſdam declarari exemplis.

[c] *eſſentialiter.*

[d] *accidentaliter.*

[e] *Subſtantialiter.*

Primum [f] eſt animæ cum corpore: nam ſeparata per ſe ſubſiſtunt, vnita vero, vna vtriuſque eſt ſubſiſtentia: ſed cum vtrumque ſit natura imperfecta, neutrum trahat aliud ad ſuam ſubſiſtentiam, ſed pendeat à tertiâ, quæ totius compoſiti eſt, deficit in eo exemplum, nam nec Verbum eſt natura imperfecta, nec à tertia pendet ſubſiſtentia, ſed ad ſuam trahit ſubſiſtentiam, naturam humanam.

[f] *eſt Iuſt. lib. de recta fid. conf. poſt medium. Athan in Symbol. Auguſt. epiſt. 3.*

Secundum, [g] quod maximè probat Brētius, eſt ferri igniti quod proprietates & ferri & ignis habet, ſed maximè deficit, nā calor Deum repræſentans ſubſtentatur à ferro, non eſt ſubſtantia, nec dicitur ferrum, quæ non conſonant Verbo Hypoſtaticè vnito.

[g] *eſt Baſil. orat. in Sanctam Natiuit. Damaſc. 3. c. 11.*

[h] *est Aug epist. 99*

Tertium, [h] hominis in quo duæ accidentales formæ vt medicina & iurisprudentia. vnum enim suppositum est, variæ tamen appellationes, & communicatio idiomatum. verum huiusmodi formæ non trahuntur ad subsistentiam propriè hominis, [Nam accidentium propriè non est subsistere.]

[i] *B. Thom. & Bonau. in 3. d. 1. q. 1.*

Quartum, [i] est arboris, verbi gratia, piri cui inseritur ramus mali. Nam illa pirus est substantia prima atque ideo suppositum verum, nec pendet à ramo insito, quem tamen sustentat, qui alioquin per se existeret [siue subsisteret] atque iam vocatur pirus & malus, producit pira, & mala, ac dici potest pirus malus, & è contra. Quod si malus ille fortè siccaretur & reuiuisceret non propterea pirus mutaretur, sed tota mutatio contingeret in ramo.

Ita verbum instar magnæ arboris susceptt ramusculum humanæ naturæ, suo trunco à cælesti agricolâ mirabiliter insertum, vnde Verbum Deus & homo opera diuina & humana egit: nec Verbum ab humanitate, sed hæc ab illo dependet. Cumque per passionem & mortem humanitas quodammodo aruisset, ac deinde per resurrectionem reflоruisset, nulla mutatio in Verbo, sed tota in humanitate contigit.

In hoc tamen, exemplum deficit quod ramus non sit arbor perfecta: caret enim radicibus, & trunco, & quod antequam insereretur, per se reuera subsisteret.

[k] *supp. cap. 3. & 6.*

Vnionem hypostaticam in eo consistere, probatur. Primo quia ex [k] scripturis habemus vnam esse in Christo personam, duas verò naturas: at si duæ subsistentiæ essent, duæ quoque personæ quid enim in natura intellectuali singulari totali addit subsistentia, nisi personalitatem? si vna, non communicauit humanitas suam Verbo, vt omnes fatentur cum propria caret, igitur Verbum suam humanitati.

Secundo, Epistola Alexandr. Concil. probata ab Ephes. & Chalced. [l] *Si quis* (inquit) *non confitetur carni secundum subsistentiam vnitum Dei Patris, Verbum, anathema sit.* Item, [m] *Si quis in vno Christo diuidit subsistentias post vnionem, Anath. sit,* &c. Conc. [n] Chalced. *salua vtriusque naturæ proprietate, & in vnam personam ac subsistentiam concurrente vnigenitum filium, & Deum Verbum agnoscimus.* Generali [o] 5. *si quis introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias, vel personas & vnam personam dicit per dignitatem, & honorem, & adorationem, & non confitetur Verbum carni substantialiter vnitum & propterea vnam esse eius subsistentiam,* &c. Anath. sit. Lateran. supr. & sexta [p] generali. Act. 4.

[l] 2. *Anathematismo.*
[m] *Anathem.* 3.
[n] *Act.* 5.
[o] *Act. vlt. can.* 5.
[p] *in Epist. Agathonis & act.* 17.

Tertio vt argument. Concil. [q] Toletan. 6. Solus filius Dei est incarnatus: ergo vnio facta, per cõmunicationem eius quod est proprium filij. At subsistentia sola est propria filij: attributa verò essentialia communia sunt toti Trinitati.

[q] *cap.* 1.

Quartò ex sententia Brentij vbi adest communicatio omnium attributorũ diuinorum, ibi est vnio hypostatica. At pater æternus, perfectissimè communicauit filio omnia huiusmodi attributa: vel ergo est vnitus hypostaticè filio, vel vnio hypostatica non consistit in hoc, sed communicatione propriæ hypostasis.

Quintò, corpus mortuum non est capax omni præsentiæ, igitur in triduo mortis corpus Christi, iuxta Brentium, non fuisset vnitum Verbo. Item Christus sibi [r] meruit aliqua dona, vt gloriam corporis. Si ergo ad vnionem hypostaticam requiruntur omnia dona, non semper Christus fuit Deus, nimirum antequam omnia dona haberet.

[r] *Vide infr. lib.* 5. *de Christo cap.* 9.

Sextò, sunt multa Deo propria, omnino creaturæ incommunicabilia, vt esse actum purum, increatum, infinitum, quædã omnino humanit.

non communicata Christi siue communicabilia sint, siue non, vt carere principio temporis, cælum & terram creasse, &c. Ergo vnio non consistit in communicatione omniũ donorum.

Septimò, volunt attributa diuina per accidens conuenire humanitati Christi, non quidem per inhabentiam, sed per extrinsecam coniunctionem sicut principale agens cum instrumento. At vnio hypostatica [8] est substantialis, nec coniunctio, extrinseca vt nautæ cum naui, sufficit ad communicationem idiomatum, non enim dicetur nauta nauis, aut sensus expers. Item sequeretur Christum hominem esse tantum filium Dei per gratiam, & non per naturam, vt nos sumus quod enim plura habeat dona, nos minus, non diuersificat speciem.

[8] *Vide Concil. 5. cap. 4. & 5.*

Brentius obijcit si sua non stet sententia non inueniri differentiam inter vnionem Dei cum humanitate Christi, & vnionem cum Petro quod Deus omnes sustentet. Sed fallitur Brent. nam Deum sustentare Petrum non est subsistentiam suam illi communicare, sicuti est sustentare humanitatem Christi, sed conseruare Petrum cum sua essentiâ & subsistentiâ, vt cum quis baculum manu tenet, [baculus enim nihilominus propriam habet subsistentiam.] Atque in hoc differentia consistit.

De communicatione attributorum, siue idiomatum ex vnione hypostatica.

CAP. IX.

[a] *lib. de duabus naturis cap. 4. 21. & 23. omnes etiam Lutherani sup. hanc realem communicationem defendunt.*

KEMNITIVS [a] etsi arbitretur non esse de hypostaticæ vnionis essentiâ, communicationem attributorum diuinorũ humanitati, inde tamen consequi,

& quidem realem; ita vt natura humana verè omnipotens sit ac vbique præsens, contendit.

Catholici verò etsi fateantur ex vnione hypostatica, esse quam plurima excellentissima dona creata & infusa humanitati collata, tamen negant in his consistere idiomatum communicationem (hæc enim mutua est, illa vero donorum, non) sed in ratione vnius & eiusdem hypostasis vtriusque naturæ. Quamuis ipsa idiomat. communicatio, non sit realis respectu naturarum, ita vt reuerâ humanitas facta sit omnipræsens, &c. & deitas passibilis. Neque merè verbalis in Christo, vt vult Beza. Sed realis, respectu hypostasis vtriusque naturæ, ita [b] Ambros. [c] Aug. [d] Cyrill. [e] Damasc.

[b] 2. *de fid.* 4.
[c] 1. *Trinit.* 13.
[d] *in defens.* 4. *anatheism.*
[e] 3. *cap.* 4.

Ex vnione hypostatica non fluxisse communicationem idiomatum realem.

CAP. X.

PRIMÒ. Ex Concilijs & PP. sup. constat proprietates vtriusque naturæ in Christo manere inconfusas & distinctas. At si communicantur realiter propria vnius naturæ alteri: erunt indistinctæ & confusæ proprietates. 2. nec erunt proprietates, sed communitates. 3. cum vt plurimum sint incompossibiles vt creatum, increatum vbique, non vbique, &c. necessariò destruetur vtraque natura, si enim natura diuina creata nec quidem erit diuina, si humana increata non amplius humana.

Brentius respons. loqui Concilia de proprietatibus essentialibus, quæ nequeunt tolli sine abolitione essentiæ, non autem de accidentali-

bus, vt esse in loco, &c. Sed nihil dicit, Si quidem esse finitæ potentiæ, maiestatis, &c. sunt proprietates à creaturâ omnino inseparabiles. Contrariæ enim infinitam essentiam arguunt : Ergo tribuere humanitati infinitam potentiam & maiestatem, ita vt possit infinitos etiam replere mundos, vt volunt, est tollere ab eâ essentiales eius proprietates.

Secundò, ex illorum sentent. sequitur duo esse in mundo omnipotentia, scilicet deitatem, & humanitatem Christi, vel si vna vtriusque omnipotentia, igitur & natura, sicut est vna propterea omnipotentia, trium personarum diuinarum.

[a] *sup. cap.* 21. 22. & 23.

Respon. [a] Kemnit. proprietates humanitatis non communicari deitati reipsa, diuinitas verò ita cõmunicari humanitati, vt numquam fiant ei essentiales propriet. sicut ex coniunctione animæ & corporis, non fiunt proprietates corporis quæ animæ erant, sed tantùm communicantur corpori: quòd anima inhabitans illud omnia in illo, & per illud operetur. vel sicut ignis communicat ferro suam vim vrendi, & lucendi, non per informationem, sed vnionem quâ ferrum penetratur omni parte ab igne, quamuis simul retineat ferrum suas propriet. naturales duritiem, nigrorem frigus, licet non appareant, nam remoto igne apparent.

Sed 1. non omnia Deus operatur per humanitatem Christi, vt suum intelligere, & velle, &c. 2. non omnia Dei attributa consistunt in operatione vt infinitas, bonitas, &c. 3. etsi omnia Deus per eam operaretur adhuc nequiret humanitas dici omnipotens ; quia epitheta principalis agentis non competunt instrumento, alias dici propriè posset calamus doctus, & sapiens. 4. nec etiam anima communicat veré suas proprietates corpori, nec enim corpus discurrit deliberat, &c. nec totum corpus est in

in capite ſicut eſt anima. 5. quæ imperitia, dicere ſubſtantiam ignis penetrare ferrum ſine miraculo. Et quamuis penetraret, dicere ferrum reuerà lucere, & vrere, cum ſit reuera ipſe ignis tantùm qui luceat & vrat, dicere denique, contra experientiam, ferrum remanere nigrum, durum, frigidum. quod enim amoto igne hæc paulatim appareant, non eſt quod antea laterent, ſed quod de nouo è potentia ſubiecti fluant emanantiâ naturali.

Nec obſtat PP. vſos hac ſimilitudine ferri in hoc myſterio, non enim voluerunt ideò oſtendere communicationem idiomatum, ſed quomodo non lædatur diuinitas, & multùm perficiatur humanitas.

Refellitur Vbiquitas ex ſcripturis.

CAP. XI.

ADVERSARII maximè contendunt communicatum humanitati Chriſti eſſe vbique, vt inde probent corpus Chriſti in cænâ. Refellitur hæc vbiquitas, exſcript. 1. quia quod eſt alicubi etſi inuiſibiliter vel non localiter, tamen nequit dici abſolutè non eſſe ibi, nullus enim diceret Deum non eſſe in mundo. At Ioan. [a] 11. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, vt credatis quia non eram ibi.* Item, [b] *Non eſt hic, ſed ſurrexerit.* Ratione autem deitatis proculdubio erat ibi; igitur ratione humanitatis non erat. 2. ſiue Deus poſſit facere vt aliquid creatum ſit vbique, ſiue non, tamen de facto ſcripturæ hoc ſoli Deo tribuunt. [c] *Cælum & terram ego impleo.* Quo [d] *ibo à ſpiritu tuo?* Vnde PP. meritò colligunt, Spiritum ſanctum eſſe Deum verum.

[a] *verſ. 14. & 15.*

[b] *Matth. vl. v. 6.*

[c] *Hierem. 23. verſ. 24.*

[d] *Pſal. 138. v. 7.*

3. ex illo Ioan. *Nemo ascendit in cælum*, &c. PP. probant duas naturas in Christo: quod secundum vnam esset in terrâ, secundum aliam in cælo, quæ probatio nulla est si humanitas erat etiam in cælo. 4. probant Christum esse Deum & hominem ex scripturis quibus habemus mutasse loca, at si erat vbique secundum humanitatem, cum tantum metaphoricè & non realiter moueretur, nihil planè concludunt: verus enim homo verè & realiter mouetur, dicunt quidem Christi corpus vbique fuisse inuisibiliter, in certo loco visibiliter, sed inuoluit contradictionem rem eandem in vno loco, ab eodem videri simul & non videri, deinde quidquid sit reuera tamen non mouebatur, sicut nec Deus cum dicitur, [e] Descendisse vt confunderet linguas, sed tantum incœpisset apparere vbi antea non erat.

[e] *Genes.* 11. *v.* 7.

Refellitur ex Symbolo Apostolico.

Cap. XII.

SYMBOL. docet. 1. in solius vtero Mariæ fuisse carnem Christi. 2 post 9. menses ex vtero prodiisse 3. in morte animam à corpore separatam in infernum descēdisse 4. post tres dies à morte rediisse corpus ad vitam & exiisse de monumento clauso 5. ascendisse Christum in cœlum. At si vbique erat humanitas igitur, & in omniū vteris mulierum, non verè prodiit ex Maria, semper fuit cum corpore anima, non exiit de monumento verè, neque verè ascendit in cælū, sed tantum cæpit ibi apparere, vbi antea non erat.

Respond. ad vltim. nomen cæli ibi figuratè accipi pro gloria, regno, & maiestate, non autem certum locum. i. ex [a] Act. 3. *Quem oportet cælum susc ipere*: dixisset enim Petrus, *quem oportet cælo susc ipi*, si sermo esset de aliquo certo loco. 2. idem sunt Ascendere ad cœlum, & sedere ad dexteram patris, hoc autem poster. est metaphoricum: nec enim Deus dexteram habet. 3. si ascendisset ad hoc cœlum corporeum, debuissent id Apostoli videre. 4. [b] dicitur Ascendisse super omnes cœlos, [c] *Excelsior cœlis factus*: non est ergo in cœlo vt in loco. 5. ascendit in cœlum vnde descenderat: non descendit autem de cælo corporeo, dicitur enim descendisse quando exinaniuit seipsum. Sed contra. i. Christus ascendit in cœlum, vbi sedes Dei, illud autem est corporeum ps. 113. [d] Isa. [e] 66. &c. quibus opponitur cœlum, Dei sedes, terræ nostræ, quæ reuera est corporea. 2. Apostoli verè oculis corporeis viderunt [f] Christum ascendentem [g] in verum cœlum, verè autem peruenit quo ibat Marci 16. [h] 3. ad Iudicium [i] descendet è cœlo ad quod ascendit, non descendet autem de gloria & regno, igitur de vero cœlo corporali. 4. ibi Christus ascendit quo nunc sunt, & erunt sancti Io. 14. [k] At sancti non sunt, nec erunt vbique sed in certo loco, scilicet nobilissimo omnium quod est cœlum. 5. Quia hæc est sententia PP. maximè Aug. ep. 57. & lib. de fide & symbolo.

[a] *vers.* 21.
[b] *Ephes.* 4. *v.* 10.
[c] *Hebræor.* 7. *v.* 26.
[d] *v.* 16.
[e] *v.* 1. *& Math.* 5. *v.* 34. *& cap.* 6. *vers.* 10.
[f] *Act.* 1. *v.* 9.
[g] *Lucæ* 24. *v.* 51.
[h] *vers.* 19.
[i] *Actor.* 1. *v.* 11.
[k] *v.* 2. *&* 3.

Ad 1. phrasim Petri tum in Græco tum Latino esse ambiguam si sensus sit, oportet vt cœlum susc ipiat Christum, erit pro nobis, si, vt Christus susc ipiat cœlum, nihil contra nos. Ad hoc enim sufficit, vt sit in aliqua parte cœli, sicut cum Rex dicitur susc ipere regnum. Ad 2. negatur, nam non debet fieri repetitio in symbolo cum sit breuissimum fidei compendium: quod sit autem sedere ad dexteram habetur [l] infra.

[l] *cap.* 15.

Ad 3. hoc non opus fuisse, etsi enim non habeamus testimonium Apostolorum hac de re, habemus Angelor. Actor. 1. Ad 4. inde tantùm, ad maius probari, Christum esse supra conuexum supremi cœli: neque etiam hoc inde necesse: sufficit enim vt sit in parte suprema vltimi cæli sicut dicitur Aaron penetrasse singulis annis, vsque ad interiora velaminis, & sancta SS. sed non vltra progrediebatur. Ad 5. admittitur maior, negatur minor, licet enim metaphoricus fuerit descensus, non tamen locus vnde descendit: nec propterea erit ascensus etiam metaphoricus, nam descensus fuit Verbi increati spiritualis & immensi, ascensus carnis corporeæ finitæ.

Refellitur quia repugnat præsentiæ corporis Christi in Cœna.

Cap. XIII.

PRIMO, si caro Christi est vbique frustra sumitur Eucharistia, cùm habeamus carnem Christi intra nos, item in pane, vino, &c. domestico.

Secundò, quid est sumere corpus Christi in Eucharistia? certè non est esse vbique: nam eo modo posset dici sumi & comedi deitas? imò quia est vbique, ideo nequit sumi, quomodo enim sumi poterit quod est vbique? Respondet Brent.[a] Christi corpus etsi vbique sit personaliter, in cænâ tamen solâ esse definitiuè siue ex definitione Dei per cõsecrationem: qui modus essendi solam addit efficaciam. quod est deflectere à Lutheranismo ad Caluinismum, & reuera non sumi corpus Christi, sed tantum energiam eius.

[a] *lib. de duabus naturis, & Ascens. Christi.*

Refellitur

Refellitur ex PP.

CAP. XIIII.

MBROS. [a] *Neque Deus de loco ad locum transit qui vbique semper est, vt homo, est qui vadit ipse qui venit, &c.* Cyrill. [b] Hierosol. *Non enim quia nunc non adest in carne, ex eo putes, quod spiritu medio hic non adsit, &c.* Chrysost. in illud Ioann. 3. Ruffin. in Symb. Aug. [c] *Ibat* (inquit) *per id quod vno loco erat, manebat per id quod vbique erat.* Item. *Non* [d] *est consequens vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus, &. Vna enim persona Deus & homo est, vt vtrûque, vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo* Cyrill. Alexand. 11. in Ioan. 21. post initium. *oportuit intellexisse ineffabili potestate, vnâ cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset.* Theodoret. Dialog. 2. Leo [e]. *Ineffabili modo per ascensionem cœpit esse diuinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.* Greg. hom. 29. Vigilius 1. in Eutychet. Fulgent. 2. ad Trasimundum.

[a] 2. *de fid.* 4.

[b] *Catech.* 4. *in fine.*

[c] *Tract.* 78. *in Ioan.*

[d] *epist.* 57.

[e] *serm.* 2. *de Ascens.*

Kemnit. [f] resp. i. loqui PP. contra Eutychianos volentes carnem conuersam fuisse in illocalem deitatem. 2. nihil aliud velle PP. quam humanitatem non esse vbique, secundum proprietates suas naturales. 3. humanit. Christi non esse vbique visibiliter diffusam.

[f] *sup. cap.* 30.

Ad. i. reuera loqui contra Eutychian. sed eos inde refellunt, quod cum caro Christi non sit vbique, necessario erit distincta natura à Deitate. *Quare* qui dicunt esse vbique, repugnant PP. Ad 2. non loqui de proprietatibus essentialibus, sed simpliciter negare esse vbique: imo Aug. ex professo docet, hoc neque conuenire [g]

[g] *sup.*

carni ratione hypostaticæ vnionis. Ad 2. non erat cur hac de re agerent, nullus enim dubitat carnem Christi non esse vbique visibiliter. Deinde non opponunt carnem visibilem carni inuisibili, sed carnem Deitati.

Soluitur argument. hæreticor. ex sessione Christi ad dexteram Patris.

Cap. XV.

Hristvs [a] exaltatus est ad dexteram patris, sed illa est vbique: igitur Christus homo vbique.

Negatur conclusio. 1. quia sicut caput non est vbicunque est anima, quamuis sit coniunctum animæ, sic nec quidquid est in dextera Dei est vbicunque dextera est. Animæ enim iustorum [b] dicuntur esse in manu Dei, nec tamen vbique. Ratio est, quòd dextera Dei sit tota vbique & tota ibi, vbi est [c] aliud determinatè. 2. quia per dexteram, multi [d] PP. intelligunt beatitudinem æternam humanitatis, ad quam non requiritur vbiquitas. 3. quia etsi probabilius sit, [e] intelligi gloriam, potentiam, & maiestatem diuinam, ita vt sensus sit, Christum pari potentia regnare ac patrem: huiusmodi quoque exaltatio sit humanitati collata ex Act. 2. tamen non fuit ipsi in se data, sed in supposito. Non enim factum est vt humanitas in seipsa sedeat ad hanc dexteram, sed vt sit humanitas illius personæ, quæ sedeat ad dexteram Dei, sicut non factum est per incarnationem, vt humanitas sit Deus, sed vt sit humanitas Dei, & proinde in concreto, sicut dicitur iste homo est Deus, sic exaltatus est, siue

[a] *Matth. 26. Prima. v. 64. Actor. 2. vers. 33.*

[b] *Sap. 3. v. 1.*

[c] *sibi inadæquatũ.*

[d] *Hieronym. in 1. Ephes. Aug. lib. de fid. & Symb. 7. cap.*

[e] *Vt volũt Athan. ser. 2. cõtra Arrian. pagina ante finem. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 6. Cyrill. catech. 4. Cyr. Alexand. 12. Thess. 7. &c.*

ſedet ad dexteram patris, veluti cum rex induit purpuram, & in ſolio ſedet, euehit purpuram ad ad ſolium, non quidem quod purpura dicatur regnare, ac ſedere, ſed veſtis ſedentis ac regnãtis: dicitur quoque Rex purpuratus ſedere, ac regnare. Porro etſi in ipſa incarnatione hæc fuerit exaltatio facta, poſt Aſcentionem tamen dicitur, quia tunc primùm perfectè innotuit gloria, & maieſtas hominis Chriſti.

Soluuntur alia ex verbo Dei petita.

CAP. XVI.

SECVND. arg. *Chriſtus eſt in gloria Dei patris.* Philipp. 2. Illa autem eſt terram pugillo continere Iſ. 4. [a] & 2. Paralip. [b] 2. *&c.*

[a] *verſ.* 11.
[b] *verſ.* 6.

Reſpondeo, id etiam conuenire Chriſto homini, non ratione humanitatis in ſe, ſed hypoſtaſis diuinæ.

Tertium. [c] *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Itẽ. *Data* [d] *eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Item, [e] *omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.* [f] *Omnia dedit ei pater in manu.* Ergo, inquit Kemnit. Chriſtus homo pedibus, & manibus omnia contingit. Nec dicas ad hoc requiri infinitam virtutem, nam & requiritur ad dimittenda peccata, Chriſtus tamen dimittebat peccata.

[c] *Matth.* 11, *v.* 27. πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου.
[d] *verſ.* 18. *cap. vlt. Matth.* ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ γῆς.
[e] *Pſal.* 8. *v.* 8.
[f] *Ioan.* 13, *verſ.* 3. εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς ὅτι πάντα δέδωκεν αὐτῷ ὁ πατὴρ εἰς τὰς χεῖρας.

Ad 1. & 2. locum, intelligi vel de potentia diuina filio collata per generationem æternam: vel humanitati, non in ſe, ſed ratione hypoſtaſis diuinæ, quamuis poſterior locus poſſet intelligi de potentia collata humanitati in omnes creaturas, quæ non eſt ſimpliciter omnipotentia, nec ad eam requiritur vbiquitas, ſicut nec regi reſpectu regni. Ad 3. & 4. per manus

intelligi potestatem vt Psal. 8. 94. & Ioan. 10. h Attributionem autem dominij, per subiectionem sub pedibus.

Dimittere vero peccata vt principale agens, siue authoritate propriâ infinitam requirit virtutem, quomodo Christus, in quantum Deus, remittebat: remittere sicut instrumentum, non requirit: quomodo remittebat ratione humanitatis, qui erat deitatis instrumentum. At esse immensum, quoquo modo sit requirit infinitam virtutem.

Quartum. i *Vbi sunt duo, vel tres, congregati in nomine meo, ibi sum:* Item, *vobiscum* k *sum. &c.*

Respondeo. id dici quatenus adest suis Christus per gratiam & auxilium speciale.

Quintum, l *filius quos vult viuificat.* Item, *Pater* m *non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium sicut honorificant patrem.* Eadem autem debet esse ratio de aliis attributis, hæc enim dicuntur de Christo, in quantum n filius hominis est, vt ibi habetur. Quare o Cyrill. & p Leo aiunt, Verbum communicasse carni suæ maiestatis operationes.

Respondeo 1. hæc posse intelligi data filio per æternam generationem: nam q Chrysost. post illa, *potestatem dedit ei iudicium facere*, iungit punctum, deinde, aliâ clausulâ, ponit, *quia filius hominis est, nolite mirari.* 2. vt sup. ad 1. in 3. probatione. 3. vt agatur de potestate iudicandi visibiliter, ad quam vbiquitas non est necessaria. Cyrill. & Leo, nihil aliud volunt quam explicare, communicationem idiomatum realem, respectu suppositi: verbalem naturarum intuitu, docent enim hanc communicationem esse mutuam.

Sextum, r *In Christo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter.* Item, s *In ipso sunt omnes thesauri Sapientiæ.* &c. Ergo communicata est etiam omnipotentia, ac omni-præsentia.

g *vers.* 4.
h *v.* 8.

i *Matth.* 18. *v.* 20. οὗ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν.
k *cap. vlt v. vlt.*
l *Ioan.* 5. *v.* 2.
m *v.* 22. οὐδὲ πατὴρ κρίνει οὐδένα, ἀλλὰ τὸν υἱὸν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ υἱῷ. *v.* 23. ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν καθὼς τιμῶσι τὸν πατέρα.
n *vers.* 27.
o *lib. de incarnat. cap.* 7. *&* 28.
p *epist.* 83.
q *in hunc locum.*

r *Coloss.* 2. *v.* 9. ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς.
s *vers.* 3.

Respondeo, aliud esse plenitudinem illam inhabitasse, aliud communicatam fuisse: nam posterius significat humanitatem Deum esse, prius vero (quod dicit Paulus) ita verè & realiter Deum in humanitate habitasse vt ille homo vere fuerit Deus.

Septimũ, [t] *Christus ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia.* Ideo (vt explicat Oecumenius) quia anteà diuinitate omnia repleuerat, descendit, & ascendit, vt etiam carne omnia repleret: vnde [u] Theophyl. ait, non fuisse impedimento Christo descensum ad ascensum quia nimirum simul poterat vbique esse.

[t] *Ephes. 4. vers. 10.* ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων οὐρανῶν. ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα.
[u] *in hunc locum.*

Respondeo id posse intelligi i. de impletione vaticiniorum. 2. de impletione locorum per effectus: voluit enim Christus in omnibus operari mirabiliter. 3. de repletione generum locorum: quomodo dicitur fuisse in Europâ qui in omnibus Prouinciis fuit. Ita enim Christus fuit in terrâ, ambulauit supra mare, fuit in aëre, suspensus in cruce, sub terrâ, in inferno, in cœlo, ascensione. Nec hic locus potest intelligi de repletione mathematicâ locorum omnium: repugnat [x] enim huiusmodi repletioni descensio & ascensio: ita intelligendus est Oecumenius: Theophyl. non dixit, Christi descensum non impediuisse, quo minus simul ascenderet: sed simpliciter, quo minus ascenderet, nimirum postea, hortatur enim ad humilitatem exemplo Christi.

[x] *quia hæc repletio omnia complet.*

Soluitur argument. ex ipsa Incarnatione ductum.

CAP. XVII.

OCTAVVM, per Incarnationem, Deus & homo vna est persona: persona autem est indiuidua substantia, ergo nequit vna pars personæ ab alia diuelli, igitur vbicumque vna ibi & altera. Confirmatur 1. ex Concil. [a] Chalcedon. docente Incarnationem factam ex duabus naturis indiuisis, inseparabiliter, inconfuse, imo [b] Damasc. ait, has naturas ἀδιαστάτως indistanter vnitas. 2. Si caro non est vbique cum Verbo, ergo Verbum alicubi est homo, alicubi non.

[a] *Act. 5. & Concil. 6. act. 17.*

[b] *3. cap. 3.*

Respondeo, per indiuiduam substantiam non significari vbi vna est pars personæ, ibi & aliam esse, vt patet de partibus corporis humani, sed quia persona est vnum subsistens, non diuisum in se, in ratione subsistentiæ, & diuisum ab omnibus alijs. Ad 1. confirmat. non requirere vnionem inseparabilem. & indistantem vnum esse vbicumque aliud, sed tantum vt alicubi simul sint, sicut patet de sole, cum suo orbe: nec dicas disparem esse rationem, quod non sit orbis solis vnitus soli, secundū se totū: sed tantū secundū partem: Verbum autem vnitum secundū se totum humanitati. Nam etsi id verum, quia Verbum est indiuisibiliter: tamen sicut sol, quia non adæquat quantitatem orbis sui, propterea non est vbicumque orbis: ita nec humanitas adæquat immensitatem Verbi. Ad 2. Illam proposit. Verbum alicubi non est Homo: falsam

esse si significet, Verbum alicubi deseruisse humanitatem. Licet enim alicubi sit Verbum vbi non est humanitas, ibi tamen existens, semper est homo, quia semper sustentat humanitatem, quamuis alibi existentem.

Solvitur argum. ex Patribus.

CAP. XVIII.

PRIMÒ [a] Chrysost. producunt. *Quid dicis, nisi intrauerit in cælum non apparebit Deo, qui vbique est & omnia replet.*

[a] *Hom. 17. in epist. ad Hebr.*

Respons. solutionem sequi, cum ait, intueris quia carnis sunt hæc omnia, puta intrare in cælum, sicut est deitatis vbique esse.

Secundò Cyrill. [b] *Dei proprium corpus existens omnia humana transcendit.* Item, *In* [c] *singulos partibiliter transiens vnigenitus, & animas & corpora eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter, atque integrè in omnibus est, cum vnus vbique sit nullo modo diuisus.*

[b] *ep. 1. ad successum vt habetur in Bellarmino.*

[c] *12. in Ioan. 32.*

Ad 1. locum resp. tantùm velle Christi corpus dignitate transcendisse omnia, postea enim explicat id contigisse, quod sit factum incorruptibile, & gloriâ ineffabili illustratum corpus, non dixit autem factum immensum.

Ad 2. loquitur de Eucharistiâ, vultque Christi corpus vbique adesse vbi communicantes, quod non est simpliciter esse vbique.

Tertio Ambros. [d] *Licet vbique sis semper, & stans in medio nostrum non cernaris à nobis, erit tamen tempus quo vniuersa caro aspiciat te reuertentem.*

[d] *7. in Lucam 47. in illud si quid supererogaueris.*

Respons. esse vbique & inuisibilem in formâ Dei, fore visibilem reuertentem in forma hominis.

[c] *lib. contra Vigilant.*

Quarto, Hieron. 1. [c] dicentem Agnum Dei, id est, Christum esse vbique 2. ep. 148. respondentem Marcellæ, non fuisse opus filio Dei sæpius ascendere ac descendere, cum semper vbique sit. Ad 1. loquitur Hierony. de vbiquitate morali & successiua, ibi enim ait, eodem modo sanctos esse vbique. Ad 2. loquitur de deitate; *Stultum est* (inquit) *illius potentiam vnius corpusculi paruitate finiri, quem non capit cælum, & tamen qui vbique erat, etiam in filio hominis erat. Diuina quippe natura, & Dei sermo in partes secari non potest, nec locis diuidi, sed cum vtique sit totus vbique est:* atque in tota sua respons. conatur suspicionem tollere, ne credatur Deus redactus ad angustias corporis vnius: nec incredibile est id suspicatam Marcellam, non enim de corpore Domini, sed de domino quæstionem proposuerat, &

[f] *vide ep. 3. Aug.*

[f] videmus simile dubium propositum Augusti. à Volusiano.

[g] *ser. 14. de verbis Apost.*

Quintò Augusti. [g] *Sedet in cælo qui ambulat in terrâ, in cælo erat quia vbique Christus,* &c. Sed loquitur de persona non de natura humana. Vnde postea: *propter vnitatem personæ in terrâ filius Dei, propter eandem vnitatem in cælo filius hominis.*

[h] *lib. de duabus naturis.*

Vltimò Gelas. [h] *Quod dictu, auditúque fugiendum est, vel homo Deus esse iam desinat, si sola illic humanitas, non etiam Deitas perseueret, vel Deus homo consequenter esse desistat si sola illic diuinitas, non etiam humanitas vnita permaneat.*

Respons. per illic non intelligi locum, sed mysterium incarnationis. vult enim dicere, si in Christo sit sola diuinitas, aut sola humanitas, iam Christus non erit Deus & homo.

Soluitur argument. ex ſcholaſticis.

CAP. XIX.

PRIMÒ Magiſt. [a] proferunt, *Chriſtus* (inquit) *totus eſt vbicunque eſt, ſed non totum.* quid ſit autem non totum explicat (inquit Brent.) Thom. 3. p. q. 52. art. 3 ſcilicet eſſe vbique ſed non totaliter: quia nullo loco circunſcribitur. [a] 3. *diſt.* 22.

Secundò Bonauentur. [b] *Cum dicitur iſte homo eſt vbique, hoc pronomen iſte demonſtrare poteſt perſonam Chriſti, vel ſingulare hominis. Si perſonam Chriſti, ſic iſta vera eſt, iſte homo eſt vbique: ſi verò ſingulare hominis, adhuc vera eſt, non autem per propriam naturam, ſed per communicationem idiomatum, quia quod conuenit filio Dei per naturam, conuenit filio hominis per gratiam.* Tertio compend. Theolog. [b] 3. *d.* 22. *q.* 2.

[c] *Corpus Chriſti licet non ſit vbiquè, cum ſit creatura, in pluribus tamen locis eſt totum ſub diuerſis hoſtijs, & hoc propter vnionem carnis ad Verbum.* [c] *lib.* 1. *cap.* 17.

Sed Scholaſtici omnes ex profeſſo aduerſantur dumtaxat Brentio, Magiſter ſup. ſeipſum explicat, *Totum ad naturam refertur* (inquit) *totus ad hypoſtaſim.* Nec D. Thom. ſup. exponit magiſtrum, aut loquitur de corpore Chriſti, ſed de perſonâ diuinâ contra [d] Gent. autem, *Quia verbum* (inquit) *non accipit ſubſiſtentiam à naturâ humanâ, ſed ei potius tribuit: nihil prohibet Verbum eſſe vbique, licet natura humana à Verbo aſſumpta non ſit vbique.* Bonauent. non loquitur de re, ſed de modo loquendi, cum ait, per communicationem idiomatum, &c. præmittit enim, *Quæſtio iſta poteſt eſſe de re, & de ſermone: ſi de re, de plano dici poteſt, quod humanitas Chriſti, non fuit,* [d] 4. *cap.* 49.

nec est, vbicumque est eius diuinitas, &c. Nam quia per gratiam vnionis, (de hac enim agit Bonauentur.) factum est vt vna persona sit Deus, & homo, ideo rectè dicitur, filius hominis est vbique, quod illa persona quæ est filius hominis sit vbique. Compẽd. Theolog. non vult rationem formalem, & immediatam, cur sit corpus Christi in pluribus locis, esse vnionem ad Verbum, secum enim pugnaret, ita enim esset vbique, quod negat: sed indicare voluit propter hanc vnionem, posse hominem Christum, statuere corpus suum in pluribus locis: Porro de modo loquendi dumtaxat tres statuunt Scholastici regulas.

Prima in hac propositione. *Christus homo est vbique*: si, *homo*, sit subiectum, concedenda est absolutè: vox enim, *homo*, supponit pro supposito.

Secunda, si homo, sit prædicatum, & *Vbique*, se teneat ex parte subiecti: vt, *Christus vbique, est homo*, vera etiam erit: sensus enim est Christum, qui est vbique, hominem esse. Tertia, si homo sit prædicatum, & eius ex parte se teneat vbique: vt, *Christus est vbique homo*; falsa erit: quia sensus est, Christum vbique habere secum præsentem humanitatem.

Soluitur vltimum, ex naturali ratione.

CAP. XX.

CHRISTVS homo est summè pulcher, & fœlix: sed loco circunscribi non est fœlicitatis, sed imbecillitatis.

Respõdeo in humanitate Christum esse fœlicem secũdum proportionem suæ naturæ, cui immensitas repugnat: imo si esset immensa careret summa sua pulchritudine in corpore, quæ sita est, vt ait [a] Aug. in debita membrorum proportione, cum suauitate coloris.

[a] 12. *Ciuit.* 19.

LIBER QVARTVS

Qui est,

DE CHRISTI ANIMA.

Sententiæ de scientiâ animæ Christi.

CAP. PRIMVM.

DVÆ sunt de Christi animâ huius temporis controuersiæ, vna de perfectione illius: Altera, de descensu ad Inferos. Agnoitæ [a] docebant Christum ignorasse diem iudicij, quos sequuntur fere omnes Neoterici [b] hæretici, cum asserunt animam Christi paulatim didicisse quæ verè ignorabat, & aliquid [c] egisse quod debuerit corrigi.

Primò, quia Hebr. [d] 2. *debuit assimilari fratribus per omnia, absque* [e] *peccato.* Secundò, *Puer* [f] *crescebat, & confortabatur spiritu plenus,* (siue potius qui implebatur non enim est πλήρης sed πληρούμενος) *Sapientiâ.* Tertiò. [g] *Iesus proficie-*

[a] *apud Liberatum in Breuiario cap. 19. & Gregor. 8. epist. 42.*

[b] *Luther concio. de natali domini tractans illud Marci 13. de die illo. Bucer. in 24. Matth. Calu. in idem.*

[c] *ita Caluin. in 26. Matth.*

[d] *vers. 17.* ὤφειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι.

[e] *vers. 15. cap. 4.*

[f] *Luc. 2. v. 40.* παιδίον ηὔξανε καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι πληρούμενον σοφίας.

[g] *v. vlt.* Ἰησοῦς προέκοπτε σοφίᾳ, καὶ ἡλικίᾳ καὶ χάριτι παρὰ θεῷ καὶ ἀνθρώποις.

[h] *Marci 13. v. 32.* [i] 9. ὠδὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν τῷ οὐρανῷ οὐδὲ ὁ υἱός. [k] *Matth. 26. v. 29.* εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο. πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ.

bat sapientiâ & ætate. Quartò, [h] *De illo die nemo scit, neque Angeli, neque filius.* [i] Quintò, *si possibile est, transeat calix iste, sed non quod ego volo, sed quod tu:* videtur enim priorem corrigere orationem: deinde, vel sciebat possibile transferri calicem: vel impossibile, vel hac de re nescius erat, si primum, cur dubitat? si secundum, cur petit? si tertium, ergo ignorans fuit. Catholici contra docent animam Christi ab ipsa sua creatione ita scientia, & gratia repletam, vt nihil postea didicerit, quod antea nesciret, aut vllam actionem fecerit corrigendam.

Probatur hæc sententia ex scripturis.

Cap. II.

[a] *vers. 1.*

[b] *Psal. 44. v. 8.*
[c] *Isaiæ 61. v. 1.*

[d] *Luce 2. vers. 11.* ἐτέχθη ὑμῖν σήμερον σωτὴρ ὅς ἐστι χριστὸς κύριος.
[e] *vt observat Aug. 15. Trinit. 26.*

ISAIÆ [a] 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini*, &c. quem locum omnes de Christo intelligunt. Item [b] *unxit te Deus.* [c] *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me*, &c. Hanc vnctionem factam fuisse in ipsa Conceptione, hinc patet, quòd illam coniungat immediate Isaias, cum ipsa Conceptione: sicut Ioan. 1. *verbum caro factum est, & habitauit in nobis, Plenum gratiæ & veritatis.* Deinde si alio tempore vnctus est, certè anno trigesimo. At si ita esset, non [d] dixisset Angelus Pastoribus: *Natus est vobis hodie saluator, qui est Christus*, id est, vnctus: Nec verisimile [e] est, Præcursorem accepisse gratiam in vtero, Christum vero postea longè. Quod autem Hieron. in 61. Isa. dicit, vnctionem Christi expletam anno eius trigesimo, intelligendum est de visibili vnctione: id est manifestatam fuisse tunc, exteriori signo, va-

ctionem in Conceptione acceptam. Quam nō creuiſſe inde deducitur, quod Chriſtus ſine menſurâ gratiam tunc accepit.

Probatur ex Patribus.

CAP. III.

EVSEB. [a] 10. demonſtr. introducit Chriſtum dicentem, *Cum adhuc intra cellam geſtantis me, in vtero laterem, te tamen Deum meum videbam.* a *cap. vltimo.*

Ambroſ. [b] *Multo magis arbitror, quod filius qui cum hominibus conuerſatus eſt, & hominem egit, & carnem ſuſcepit, noſtrum aſſumpſit affectum, vt noſtrâ ignorantia neſcire ſe diceret, non quod aliquid ipſe neſciret,* &c. b *5. de fid. 8.*

Gregor. [c] Nazianz. *Proficiebat ſapientia, non vt incrementum aliquod acciperet, cum ab initio Dominus gratia ſapientiaque abſolutus eſſet, ſed quod hæc hominibus ignaris paulatim apparerent.* c *orat. in Baſil.*

Hierony. in illud, [d] *Mulier circundabit virum: Perfectus vir in vtero virginis ſolitis menſibus continebitur.* d *31. Hier. v. 22.*

Aug. [e] *Quam ignorantiam* (inquit) *nullo modo crediderim fuiſſe in illo infante, in quo verbum caro factum eſt.* Cyrill. 10. Theſauri. 7. Gregor. 8. [f] epiſt. Sophron. ep. [g] ad Sergium. Beda homil. Dominicæ 1. poſt Epiphan. Damaſc. 3. cap. 22. Bernard homil. 2. ſuper Miſſus [h] Anſelm. [i] Theophylact. e *2 de pecc. merit. & remiſſ. 29.* f *Epiſt. 42.* g *Legitur in 6. Synod. act. 11.* h *lib. 1. Cur Deus homo.* i *in 2. Lucæ.*

Rationibus probatur.

CAP. IIII.

PRIMA. Verbum diuinum vniuit sibi ab initio, animam illam tanquam sibi propriam, veluti animam sapientiæ æternæ. At absurdum est animam sapientiæ, dicere aliquando insipientem, ac ignorantem fuisse. ergo, *&c.*

[a] *Aug. in Enchirid. cap. 40.*

Secunda, Animæ Christi sapientia, & gratia [a] erat [veluti] naturalis, id est, fluxit à diuinitate in illam, per modum naturæ, eo quòd esset vnita Verbo personaliter, vt sibi propria. At quod se habet per modum naturæ, est ab initio productionis rei.

Tertia, filius est hæres omnium paternorum, bonorum, nec debuit Christus expectare successionem, ex morte patris. At Christus homo, in Incarnatione cæpit verus esse filius Dei. Ergo tunc debuit repleri omnibus bonis paternis.

Quarta, non conuenit caput minus ornatum esse cæteris membris, maximè mysticum, ideò dictum caput, quod aliis præemineat, mutuantibus ab illo virtutem. Sed Christus in Incarnatione, fuit verè mysticum caput omnium etiam Angelorum, qui sapientiâ, & gratia pleni sunt, igitur, &c.

[b] *Genes. 2. v. 19.*

Quinta, primus Adam creatus est sapientissimus: si quidem statim [b] nomina omnibus imposuit animantibus. Igitur multo maiori ratione secundus Adam.

Soluuntur argumenta aduersarior.

CAP. V.

AD 1. debuisse Christum in omnibus assimilari fratrib. quæ ad perfectionem naturæ pertinẽt, vel ad Redemptionẽ conducunt: cuiusmodi non est peccatum, aut ignorantia: aliâs non debuisset etiam cõcipi de Spiritu sancto, carere fomite, &c.

Ad 2. primo vocem πληρόμενος aliquando idem esse, ac πλήρης significatque redundans, & hanc sequutus est significationem interpres noster. 2. si legatur passiuè scilicet *implebatur*: sensum esse, sapientia, quæ in Christo erat, repleri in dies magis ac magis, organa corporea, moueri atque aptari ad opera excellentiora facienda. 3. Creuisse equidem Christum scientiâ experimentali, non autem Theoreticâ: eorum enim, quæ Theoreticè nouerat, plurima per praxim etiam postea discebat: quomodo [a] dicit Paulus, Christum dediciſſe obedientiam, ex iis quæ passus est.

[a] *Hebr. 5. v. 8.*

Ad 3. primò [b] Christum profeciſſe sapientiâ apud homines, illorum opinione, quibus in dies magis aperiebat sapientiam suam. Quomodo sol quo magis Orizontem ascendit, tantò dicitur proficere in lumine & calore, non quod in se lucidior, aut calidior fiat, sed quod eius virtus magis appareat. 2. [c] quia alios fecit proficere, quomodo dicitur Episcopus proficere suis concionibus, quando populus proficit, gratia vero apud Deum profecit, & homines, quia quotidie magis diligebatur ab hominibus, & recipiebat signa beneuolentiæ Dei. 3.

[b] *ita PP. supra citati.*

[c] *ita Damasc. sup.*

quia faciebat opera dignissima, & maximè meritoria, tam iudicio Dei quam hominum.

Ad 4. id dixisse Christum, quia [d] non sciebat illum diem ad dicendum aliis, quos proinde nescientes reddebat: quamuis reuerâ ipse diem sciret. 1. quia vult Dominus reddere causam, cur eum non manifestet diem: & ait, quia non scit, id est, non didicit à patre, vt reueletur alijs, sed vt sibi hoc secretum seruaret. 2. quia scriptura, alibi, simili locutione vtitur. *Vos* [e] *autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis*, quæcumque scilicet ad dicendum eis.

Ad 5. neque correxisse orationem, neque ignorasse voluntatem Patris: sed tantùm voluisse ostendere affectum naturalem suæ voluntatis ad fugiendam mortem, coniunctum cum omni subiectione ad voluntatem paternam. Est enim ac si diceret, volo voluntate deliberata quæ respicit obiectum, cum omnibus circunstantijs, vt non fiat quod volo, voluntate naturali, quæ refertur ad obiectum secundum se consideratum. Neque sunt contrariæ voluntates, tùm quòd non sint circa idem, eodem modo consideratum, tùm quia vna est potius velleitas, quam voluntas.

[d] *ita Ambros. 5. de fide c. 8. Hieronym. Chrysost. Theophyl. in 24. Math. Bas. 4. in Eunomi. Aug. 1. de Genes. contr. Manich. 22.*

[e] *Ioan. 15. v. 15. Obiicit Caluin. 1. etiam dici posse Angelos quidem scire, sed non ad dicendũ. 2. vel Christ. non scit ad dicendum vlli, vel Apostolis, si prius, falsum, non scire ad dicẽdum dicit enim Spiritui sancto: si poster. falsa illa exceptio nisi solus pater, nam nec pater sciebat ad dicendum Apostolis. Ad 1. nec etiam Angelos scire ad dicendum, haberi ex hoc loco: probabilius verò est nullomodo scire, nusquam enim leguntur omnia nosse. Ad 2. Christum vt hominem non dixisse Spiritui sancto: necà se sciebat sed à patre [nec propria authorit. reuelare poterat, sicut pater siue tota Trinitas] & proinde merito solus Pater, dicitur scire & consequenter omnes personæ eiusdem naturæ, Christus verò vt homo nescire.*

De descensu ad Inferos quod non sit omnino extingui.

CAP. VI. ET VII.

CHRISTVM aliquo modo ad inferos descendisse, omnes conueniũt: Sed tota difficultas est, in explicatione huius articuli. Cap. 6.

Etsi enim Irenæ 1. c. 2. Origen. initio περὶ ἀρχῶν. Tertull. initio contra Praxeam, Nicænum Concilium, Augustin. libro de fide & Symbolo non habeant articulum de descensu ad inferos in Symbolo. Nunc tamen eum omnes habent & nusquam fuit negatum. Cap. 7.

[a] Brentius, vult esse penitus extingui, Caluin. [b] ex eo probat animam Christi immortalem, quòd diuinitati coniuncta non est permissa in infernum ruere. Hæc sententia viam aperit atheismo: Nam inde sequitur animas naturâ sua mortales esse, impiorum verò, quæ in infernum ruunt penitus extingui.

[a] *in Catechismo anni 1551. & in 2. Actor.*

[b] *in Psychopannychia.*

Christum non pertulisse pœnas damnatorum.

CAP. VIII.

ALTERA sententia est eiusdem Caluini, [a] asserentis, Christum ideò dici ad Inferos descendisse, quia passus est dolores damnatorum, id est, apprehendit Deum tanquam sibi iratum propter nos, & ex metu salutis propriæ amit-

[a] *2. Instit. 16. § 8. 9. 10. 11. & 12.*

tendæ, incredibilem passus est animi auxietatem, qualem pateretur qui sciret se æternum damnaturum. Caluinus enim nullum agnoscit locum subterraneum inferni, sed pœnas damnatorum nihil aliud vult esse, quàm terrorem & auxietatem conscientiæ cogitantis Deum sibi infestum: Porrò Christum cæpisse versari in inferno, cum in horto contristari cæpit, & orare: profundius descendisse quando clamauit, *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*: profundissimè quando coram Dei tribunali comparuit tanquam reus æternæ mortis, & seueriſſimum iudicium irati Dei sustinuit, ita tamen vt huic pœnæ infernali totam ferè nostram redemptionem tribuat Caluinus, cum velit mortem in cruce sine illâ pœna futuram nullius pretij, Refellitur.

Primò, quia scriptura morti & sanguini Christi, totam nostram salutem tribuit Philipp. [b] 2. Ephes. [c] 1. Coloss. 1. [d] *Pacificans per sanguinem crucis eius quæ in cœlis, & quæ in terrâ sunt.* Hebræ. [e] 9. 1. Petri [f] 1. 1. Ioan. [g] 1. Apocal. [h] 5. postea verò quidquam pertulisse non agnoscunt scripturæ. Isaias [i] describit sigillatim omnes Christi afflictiones, nullâ mentione inferni: similiter ipse Christus Marc. 10. Math. 20. suam passionem.

Secundò, si ab oratione in horto cæpit in inferno versari, quomodo tam audaciter dicebat Caiphæ, *Amodo videbitis filium hominis?* &c. quomodo pro crucifixoribus orat, promittit paradysum Latroni, animam commendat patri, si interim non est securus de suâ salute, ac Deum sibi infensum habet?

Tertio, si vera sentent. Caluini, debuissent aliquæ huius rei præcessisse figuræ, extare aliquod Sacramentum, signum aut festum in memoriam tanti beneficij, depingendus Christus in igne gehennæ, damnatorum medio.

b 4. v. 8.
c 5. v. 7.
d v. 20. εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ δι' αὐτοῦ εἴτε τὰ, &c.
e *vers.* 12.
f *vers.* 18.
g *vers.* 6.
h v. 9.
i 53. *cap.*

Quartò [k] PP. describunt Christi descensum ad Inferos, non vt rei, sed victoris ac triumphantis.

Quintò, pœna damnatorum includit essentialiter desperationem salutis incompossibilem spei, sicut certitudinem fœlicitas. Quare si hanc pœnam Christus sustinuit, grauissime peccauit, quia desperauit: quomodo ergo per peccatum nos redemit? si non desperauit verè, vt videtur velle Caluin. cum ait, ipsum nusquam caruisse fide, & spe in Deum, nec hanc passus est pœnam: Igitur neque nos iuxta Caluin. redemit.

Sexto, falsum est infernum nihil aliud esse, quam timere Deum iratum, tum quia est hæresis [l] Origen. iam dudum damnata, tum quod sequeretur, multos hic viuentes iam in inferno esse: quam multi enim sibi persuadent Deum habere offensum, iãque de suâ salute desperant.

Obiicit primo, Isaiæ 53. [m] quo dicitur Christus à patre percussus.

Respondeo. id non esse quod oderit eum pater, sed quia propter suam nimiam charitatem pro nobis omnibus tradidit illum, ac permisit occidi. Si quidem omnes expositores hanc percussionem referunt ad mortem temporalem.

Secundò, ibid. [n] *Correctio pacis nostræ super eum.* Ergo debuit luere omnes pœnas quas merebamur, & proinde inferni.

Respondeo si quid concluderet, inferret etiam debuisse Christum manere perpetuo in inferno sicut merebamur: vt ergo Caluinus cogitur admittere vnam temporalem pœnam Christi satisfacere potuisse pro morte animarum omniũ, ita mortem corporis satisfacere potuisse. Quia pretiũ redemptionis non debet ex multitudine, aut qualitate vel diuturnitate pœnarum pensari, sed dignitate & charitate patiẽtis personę. Nec sequitur solùm propterea corporũ redemptorem esse, tum quòd animo & corpore passus est

[k] *Cyrill. Catech. 14. Ambros. lib. de mysterio Paschæ cap. 4. Hilar. 10. Trinit. Aug. epist. 99.*

[l] *teste Hier. epist. ad Anitum.*

[m] *vers. 4.*

[n] *v. 5.*

tum quod quælibet corporis pæna erat infiniti pretij.

Tertiò, si tristitia in horto non emanasset ex timore damnationis, fuisset Christus infirmior multis hominibus subeuntibus mortem alacriter.

Respondeo timuisse, ac doluisse quia voluit, non passione victus, sed ratione motus, & inde fuisse omnibus firmiorem quod voluerit ad omnes pænas sensum inclinare, nec valuerit deficere.

Quarto, non potuit in illa verba. *Deus Deus meus vt quid derel.* &c. prorumpere nisi apprehendisset Deum sibi iratum.

Negatur, ita enim exclamauit Christus, vt intelligeremus illum grauissimos dolores pati, non quidem inferni, sed quod Deitas reliquerit humanitatem in pænis crucis, cum illam posset inde eripere.

[o] *v. 24.*

Quintò. Actor. [o] 2. *Quem Deus suscitauit soluti doloribus inferni.* Si enim non pertulit dolores inferni, quomodo potuit ab eis solui?

Respon. 1. haberi in Græco dolores τῦ θανάτου mortis, & sensus est, Christum sua resurrectione dissoluisse ac destruxisse mortem, cum omnibus doloribus illam comitantibus, surrexit enim immortalis, & impassibilis. 2. iuxta nostram editionem, sensum esse doloribus inferni irritis factis, non quibus teneretur Christus, sed ne teneretur. *Quomodo* (inquit [p] Aug.) *solui possunt laquei venantium ne teneant, non quia tenuerunt.* 3. quia soluit Christus dolores inferni, quibus tenebantur alij, non ipse.

[p] *Epist. 99.*

[q] *vers. 5.*

Sexto. Hebr. 5. [q] *In diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus est pro suâ reuerentiâ.* id est, iuxta Caluinum Christus non orabat, vt non moreretur, sed vt non absorberetur tanquam pec-

cator, videlicet ne damnaretur in æternum, & ab hoc metu ἀπὸ τῆς εὐλαβείας perdendæ salutis æternæ, per paternam exauditionem liberatus est. Etsi enim εὐλάβειαν, pietatem, reuerentiam, religionem, & proinde metum reuerentialem significet, tamen quia vox, ἀπὸ, nequit accipi pro particula *pro*, sed *Ex*, vel *Ab*, absurdum est autem, Christum voluisse liberari à pietate, relig. &c. Idcirco de liberatione à metu pœnæ intelligendus est, hic locus.

Respondeo nondum ostendisse aduersarios εὐλάβειαν, accipi pro metu pœnæ. Et certe [r] Chrysost. Theophyl. Oecumenius linguæ Græcæ peritissimi, exponunt illam vocem de Veneratione, quæ vel Christo debebatur, ob suam dignitatem, & merita, vel quam exhibebat Patri: Particula namque ἀπὸ genitiuo iuncta, idem etiã valet, quod διὰ cum accusatiuo. 1. *propter* Actor. [s] 12. ἀπὸ χαρᾶς præ gaudio, siue ob gaudium, Luc. [t] 22. ἀπὸ τῆς λύπης ob tristitiam.

Septimo Hilar. [u] *Crux, mors, inferi, nostra vita sunt.* Item. [x] *Filius Dei in infernis est, sed homo refertur ad cœlum.* [y] Item. *Mortem in inferno perimens.*

Respondeo velle dicere Christum descendisse ad loca inferorum, vt inde sanctos eriperet, & deinde illum locum obstrueret diligentibus Deum: Nam disertè Hilarius Caluinum cõdemnat, cum [z] ait, *Lazaro in Abrahæ sinibus lætante infernum Chaos Christus timeret.* Item. *Dominus communionem ei, Latroni, paradisi pollicetur, tu Christum in inferis sub pœnali errore concludis.*

[r] *in hunc locum.*
[s] *v. 14.*
[t] *ver. 45.*
[u] *2. de Trinit.*
[x] *3 libro.*
[y] *in fine 4. lib.*
[z] *10. Trinit. p. 195*

Tertius error de descensu, probaturque inferos esse loca subterranea distincta à sepulchris.

Cap. IX. & X.

Cap. 9.
[a] *in 27. Matth.*
[b] *in 2. Acter.*

BVCERVS,[a] & [b] Beza contendunt: i. nomine inferni, intelligi in scripturis sepulchrum. 2. in inferis non fuisse, sed in cœlo sanctos ante Christi mortem. 3. descensum Christi ad inferos nihil esse aliud, quam sepultum fuisse. Sed inferos esse loca subterranea, à sepulchris distincta, Probatur.

Cap. 10.

Primò, ex nomine: nam Latinè, infernus, non dubium est quin sit nomen à sepulchro distinctum, significans aliquid nobis inferius, nihil est autem infra nos nisi centum terræ, ac loca subterranea. Græcè est ἅδης quod significare locum infra nos longè distantem, patet ex illâ antithesi, [c] *Et tu Capharnaum usque ad cœlum exaltaberis? usque ad infernum descendes*, vult enim Dominus dicere illam vrbem tam profundè descensuram quam altè videbatur exaltata, quasi in cœlo. Item Luc. 16.[d] dives dicitur sepultus ἐν τῷ ἅδῃ. At animæ non sunt cum corporibus in sepulchris. Plato 2. de Republica ait ἐν ἅδου δίκην δώσομεν in inferno rationem operum nostrorum reddemus, quod certè non fit in sepulchro. Et Lucianus ait, ἅδης, esse locum sub terrâ profundum. Quare imperitè dixit Beza ἅδης ordinariè pro sepulchro sumi, nonnumquam pro loco damnatorum, nam τάφος est sepulchrum Græcè. Infernus Hebraicè est, שְׁאוֹל *sheol*, fi-

[c] *Matthæi* 11. *v.* 23. καὶ σὺ καφαρναοὺμ μὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθῆσα ἕως ἅδου καταβιβασθήσῃ.

[d] *v.* 22. ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος καὶ ἐτάφη. *Mortuus est autem & dives, & sepultus est v.* 23. καὶ ἐν τῷ ἅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς *& in inferno elevans oculos.*

gnificans voraginem, & ordinariè locum animarum ſubterraneum, & rarò ſepulchrum, vel nuſquam. Geneſ. 37. [c] *Deſcendam lugens ad Filium meum ad Infernum.* vbi vox שְׁאוֹל nequit pro ſepulchro accipi: putabat enim Iacob filiũ ſuum deuoratum à beſtia, & proinde caruiſſe ſepulchro. Item Numer. 16. [f] *Deſcenderunt in infernum viuentes*, intelligunt [g] Epiph. [h] & Hierony. doctiſſimi Hebraicè de loco damnatorum. Item Pſal [i] 138. & Iſaiæ [k] 14. Quare ſeptuaginta שְׁאוֹל vbique vertunt ἅδλυ non τάφον. Hieron. Infernum, nuſquam ſepulchrum, Chaldæus גֵּיהִנּוֹם *gehinnom*, *gehennam*: R. [l] Dauid. R. Leui, [m] & [n] Abenezra per שְׁאוֹל exponunt locum animarũ ſubterraneum. Imò etſi Caluin. velit interdum accipi pro ſepulchro, vt plurimum tamen pro ſtatu damnatorum. Propterea falſum eſt, vbique accipi pro ſepulchro, vt fingit Beza, qui aduerſus [o] Caſtalionem, per infernum intelligit ſepulchrum, aduerſus [p] Brentium defendit inferos eſſe verè loca ſubterranea, mira contradictione.

Secundò, rogabant dæmones Chriſtum, ne mitteret eos in abyſſum: quæ nequit eſſe ſepulchrum, nec enim dæmonibus parantur ſepulchra, aut erit aliquid ſpiritual. vbique diffuſum, ſicut vult Brent. nec enim petijſſent non mitti in abyſſum cum iam in eo eſſent: reſtat ergo, vt ſit profundiſſima vorago ſubterranea.

Tertiò, Philipp. 2. [r] *vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Apocalyp. 5. *Omnem creaturam quæ eſt in cœlo, & ſuper terram & ſub terrâ, ὑποκάτω τῆς γῆς, &c. audiui dicentes ſedenti, &c.* At hi qui ſub terrâ dicuntur nequeunt eſſe cadauera: cum hæc nec genu flectant, nec Deum laudent: igitur erunt

[c] *v. 35.* [*Marcus Marinus Brixianus in ſuo Theſauro linguæ Hebraicæ intitul. Arca Noe edition. 1593. ait in* א. אַבַדּוֹן *Abaddon ſignificare propriè infernum ſcheol purgatorium: at in liter.* ש *vult ſcheol Metaphor. tãtum infer. & purgator. ſignificare propriè ſepulchrum, ſed non aliũde probat quam vbi habemus infernum in ſcriptura ipſe vertit ſepulchrum.*

[f] *v. 33.*

[g] *in Ancorato longè à medio.*

[h] *in 4. ad Epheſ.*

[i] *verſ. 8.*

[k] *verſ. 15.*

[l] *in Pſal 9. ad illud Conuertantur peccatores in infernum*

[m] *in 15. Prouerb.*

[n] *in Pſal. 138.*

[o] *lib. de ſua & illius verſione Teſtamenti noui.*

[p] *lib. de omni præſentia carnis Chriſti.*

[q] *Lucæ 8. v. 31.*

[r] *v. 10.* ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων. [s] *verſ. 13.*

spiritus, in locis subterraneis inclusi.

t cap. 31.
v cap. 45.
x 2. contr. gentes.
y in 4. ad Ephes.
z orat. 1. de Resurrect. Domini.
a in 14. Isaiæ.
b cap. 24.
c 42.

Quartò ex PP. Iren. [t] lib. 5. Tertull. in [v] Apolog. quo vocat infernum, arcani ignis subterraneum thesaurum. Cyrill. ad med. de rectâ fide ad Theodos. [x] Arnob. [y] Ambros. [z] Nyssen. [a] Hierony. *Dicimus* (inquit) *quod infernus sub terrâ sit.* Augustin. [b] 2. Retract. Gregor. [c] 4. Dialog. &c.

Quintò, Ratione. nam consonum est, vt locus damnatorum longissimè distet à loco beatorum, nimirum cœlo, à quo longissimè distat centrum terræ.

Animas piorum non fuisse in cœlo ante Ascensionem Christi.

Cap. XI.

PRIMO, quia inauditum est in Ecclesia, antea fuisse in cœlo.

Secundo, pius erat tam Iacob, quam Ioseph, & tamen vtrumque descendisse ad inferos, scriptura docet.

Tertio in eadem voragine fuisse infernum damnatorum, & sinum Abrahæ, quamuis cum magna intercapedine, patet ex [a] Luc. 16. quo Abraham ad diuitem damnatum ait, inter vtrũque magnum hiatum esse, id enim significat χάσμα. Ex quo apparet nihil solidi inter eos interiectum fuisse.

a verſ. 26.

Quarto, anima [b] Samuelis apparens Sauli de terra ascendere visa est, si enim dæmon in eius apparuisset formâ, non esset in textu, [c] *Cum vidisset mulier Samuelē.* [d] *intellexit Saul, quod Samuel esset:* sed putauit vel cogitauit. Deinde [e] in Ecclesiastico ponitur in Samuelis laudibus, quòd

b 1. Reg. 28.
c verſ. 12.
d v. 14.
e cap. 46. v. 23.

prophetauerit, mortuus, & annunciauerit Regi ventura & quidem contingentia, quæ diabolus ignorat, hancque ſententiam ſequuntur [f] Ioſephus, [g] Iuſtin. [h] Baſil. [i] Ambroſ. [k] Hierony. [l] Auguſt. &c.

Obiicitur Primò, non eſt credibile Samuelem ſubiectum fuiſſe Pithoniſſæ, quia artem magicam confirmaſſet. 2. non paſſus fuiſſet ſe adorari. 3. Non dixiſſet. *Cras tu, & filij tui mecum eritis.* Saul enim, non erat futurus in limbo. 4. quia negauerat Deus reſponſum Sauli per oracula, & ſomnia. Non eſt ergo veriſimile dediſſe per Pythoniſſam in perſona Samuelis. Ad 1. Samuelem veniſſe iuſſu Dei, non Pythoniſſa præuenit enim incantationem, vnde turbata fuit Pythoniſſa. Ad 2. illam adorationem non fuiſſe latriæ, ſed dulię, vel ciuilis. Ad 3. non ſignificari eritis mecum in limbo, ſed ſub terra, id eſt mortui eritis. Ad 4. ſe voluiſſe Deum oſtendere iratum, non reſpondendo quando interrogabatur, & reſpondendo quando non interrogabatur.

Quintò, [m] *Tu autem in ſanguine Teſtamenti eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.* At cœlum per lacum nequit intelligi, neque in cœlo ſunt vincti, neque è cælo ſuos Chriſtus eduxit

Vult [n] Caluin. per lacum intelligi profunditatem captiuitatis Babylonicæ, ſed in [o] verbis proximè præcedētibus ponitur vaticinium de Chriſto, inde fit ad eum Apoſtrophe, *Et tu in ſanguine*, &c Deinde in quo ſanguine Teſtamenti, liberati ſunt Iudæi de Babylone?

Vltimo ex PP. Irenæo [p] lib. 5. Tertull. 4. in Marcion. [q] Orig. Cyrill. cathech. 4. Hilar. 10. Trinit Baſilio in pſal. 48. Athanaſ. Epiſtol. ad Epitectum [r] Epiph. [s] Ambroſ. [t] Hieron, &c.

[f] *6. antiq. 15.*
[g] *Dialog. cũ Tryph. explicans illud Pſal. 21. ſerua me ex ore leonis.*
[h] *epiſt. 80.*
[i] *in 1. Lucæ.*
[k] *in 7. Iſaiæ.*
[l] *de curâ pro mortuis cap. 15.*
[m] *Zachar. 9. v. 11.*
[n] *2. Inſtit. 16. § 9.*
[o] *v. 9. cap. 31.*
[p] *cap. 31.*
[q] *in 5. ad Rom.*
[r] *hæreſ. 46.*
[s] *3. de fide 3.*
[t] *in 9. Zachariæ.*

Christum ad inferos verè descendisse, ex scripturis.

CAP. XII. & XIII.

Cap. 12.

[a] v. 40. ὥσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας, καὶ τρεῖς νύκτας· οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς.

[b] *in 2. Ionæ.*

[c] *Actor. 2. vers. 27.* ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου.

[d] *v. 1. & 11.*

[e] *Act. 2. vers. 31.* οὐδὲ ἡ σὰρξ αὐτοῦ εἶδε διαφθοράν.

[f] *in Psal. 15.*

[g] *epist. 99.*

[h] *in 2. Actor.*

PRIMO, [a] Math. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ:* At cor terræ non est mors, aut sepulchrum: sed vt ait [b] Hierony. *Sicut cor in medio est animalis, ita infernus in medio terræ esse perhibetur.*

Secundò, [c] *Non derelinques animam meam in inferno,* vertit equidem Beza, *non derelinques cadauer meum in sepulchro.* Sed obstat vox, ψυχὴ, quæ semper pro animâ, & ᾅδης pro inferno sumitur. Respondet ψυχὴν posse vsurpari pro corpore tripliciter. 1. quia anima accipitur pro vitâ, at corporis respectu, vita videtur obruta sepulchro. 2. ex anima potest intelligi totum compositum, ex composito pars altera, siue cadauer. Et sic erit idem ac dicere non derelinques cadauer meũ. 3. qui ψυχὴ & נֶפֶשׁ Hebræum idem significant, At *Nepheſe* inuenitur acceptum pro cadauere [d] Leuit. 21. Sed quamuis anima accipi posset aliquando pro corpore, non tamen hîc, nam subiungitur de corpore, [e] *Nec caro eius vidit corruptionem.* Deinde ᾅδης sumitur pro inferno, corpus autem Christi, non fuit in inferno, sed anima: denique de animâ, & inferno hunc intelligunt locum. [f] Hierony. [g] August. [h] Beda & alij.

Ad 1. licet anima accipi possit pro vitâ, non tamen pro cadauere: cum in eo sit priuatio vitæ, vnum enim contrarium, nequit pro alio sumi.

Ad 3. non posse partem (sine totum sub ratione vnius partis) pro aliâ parte sumi. Quis enim ferret dicentem pes est homo, homo oculus. Ergo pes est oculus, vel homo pedibus videt, tum quia hoc non patitur vsus loquendi, [tum quòd ideò pars ponitur pro toto, & totum pro parte, quia pars est totius & totũ cõtinet partẽ, at vna pars non est alterius partis, aut se mutuò continent.] Ad 3. negatur, quia *Nepheſc* est generalissima vox, significans sine vllo tropo, tam animam, quam animal, imò & [1] corpus: vnde semper ferè adiungitur adiectiuo viuens. At ψυχὴ proprie animam tantum significat. Deinde quidquid sit *Nepheſc* vt opponitur carni, non potest summi pro carne: At anima in hoc loco opponitur carni.

[1] *Num. 19. v. 19.*

Tertiò, [k] *Ne dicas in corde tuo, Quis descendet in abyssum, id est Christum à mortuis reuocare.* Igitur post mortem fuit in abysso Christus: per abyssum verò nequit intelligi status damnatorum. Nam in illo statu, secundum Caluin. fuit viuens Christus, hic autem agitur de loco, vbi erat, cum esset mortuus, neque sepulchrum, vt patet sup. maximè cum hic abyssus opponatur cælo.

[k] *Rom. 10. vers. 6.* μὴ εἴπῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου τίς ἀναβήσεται εἰς τὸν οὐρανόν, τοῦτέστι χριστὸν καταγαγεῖν. *vers. 7.* ἢ τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον, τοῦτέστι χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἀναγαγεῖν.

Quartò, [l] qui ascendit, ipse est & qui descendit in inferiores partes terræ, quas non esse simpliciter terram, vt vult Marloratus, neque sepulchrum, vt Beza fingit, inde constat 1. quia Hiero. Ambros. Chrys. Theoph. de inferno exponunt 2. quia inferior pars terræ, significat vnam partem aliis inferiorem, non ergo superficiem terræ aut sepulchrum. 3. quia sequitur, *vt adimpleret omnia*, id est, vt præsens visitaret omnes partes Regni, quarum vna est ea, in quâ spiritus infra terram, in nomine Iesu flectunt genu.

[l] *Ephes. 4. vers. 9.* τὸ δὲ ἀνέβη τί ἐστιν εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς, *v. 10.* ὁ καταβὰς αὐτός ἐστι καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα.

Vltimò. 1. Petri 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est iustus*, &c. [m] *in quo his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patien-*

Cap. 13.

[m] *vers. 19.* ἐν ᾧ καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ

πνεύμασι πορευθεὶς ἐκήρυξεν. v. 20. ἀπειθήσασί ποτε, ὅτε ἀπεξεδέχετο ἡ τοῦ Θεοῦ μακροθυμία, ἐν ἡμέραις νῶε.

n v. 6. εἰς τοῦτο γὰρ νεκροῖς εὐηγγελίσθη. ἵνα κριθῶσι μὲν κατὰ ἀνθρώπους σαρκὶ, ζῶσι δὲ κατὰ Θεὸν πνεύματι.

* *Epist. 99.*

tiam in diebus Noe, & cap. 4. *Ideò, & mortuis prædicatum est Euangelium vt iudicentur, & quidem secundum hominem in carne, viuant autem secundum Deum in Spiritu.*

Aug.° & Beda per hæc verba intelligũt prædicationem, siue inspiratione, siue externo ministerio factam, temporibus Noë, illis hominibus à Christo Deo. 1. quia non videtur ratio, cur in inferno Christus prædicauerit solis hominibus tempore Noë cum tot alij essent 2. quia videtur absurdum prædicasse in inferno Christum 3. quia limbus in quo pij erant, erat ab inferno remotissimus. Igitur si prædicauit in inferno, solis certè damnatis, & quia non sine fructu, aliquos ergo conuertit.

Augustus tamen non adeò placuit hæc interpretatio: cum fateatur se hunc locum non intellexisse: refellitur ergo 1. quia contra communem sent. PP. 2. quia in textu Petri distinguitur spiritus, contra carnem, &c. proinde non videtur aliud significare, quam animam. 3. Verbum πορευθεὶς veniens, siue profectus non posset nisi metaphoricè sumi, cum repetitum, P paulò infrà, accipiatur proprie 3. quia est admodum loqui obscurè, ex industriâ poni carcerem pro corpore viuenti, sine vlla explicatione 4. dicitur Christus mortuis prædicasse, præcedens autem sententia, q reddent ratione m ei qui paratus est iudicare viuos, & mortuos: accipit mortuos corpore, ergo & subsequens 5. nulla apparet ratio secundum sent. Augustus. cur hæc dixerit Petrus.

P *vers.* 22. *cap.* 3. ὃς ἐστὶν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ πορευθεὶς εἰς οὐρανὸν. *Qui est in dextera Dei profectus in cælum.*

q *vers.* 5. *cap.* 4. τοῖς ἑτοίμως ἔχοντι κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς.

Ad 1. & 2. Respons. ex verâ sententiâ patebit. ad 3. cognouisse postea r Augustus. sinum Abrahæ in inferno esse. Beza ita exponit, Christus in spiritu, id est, deitate veniens prædicauit aliquando, scilicet tempore Noë, spiritibus qui nunc in carcere sunt: 1. quia tantùm fit mentio incredulorum, quibus nihil profuisset prædica-

r *vt patet ex tract. in Psal.* 85. & 20. *Cimit.* 15.

tio in inferno. 2. quia nihil dicitur de liberatione animarum: Hæc ſentent. quatenus non differt à primâ refutata eſt, quatenus per carcerem admittit infernum, eam admittimus. Ad 1. fieri mentionem eorum qui increduli aliquando fuerant, ſed non cum prædicauit eis Chriſtus. Ad 2. prædicationem Chriſti nihil aliud fuiſſe quam nuncium liberationis.

Caluin. [s] intelligit, Chriſtum prædicaſſe per efficaciam, non præſentiam, ſpiritibus defunctorum, bonis ſcilicet, qui in carcere. i. cælo, erant eos lætificando, & malis, id eſt, qui increduli fuerant eos terrendo. Refellitur 1. quia ijdem ſunt, & qui in carcere, & qui increduli, vt patet ex Græco: ſi ergo boni erant in cœleſti ſpeculâ, vt vult Caluinus nomine carceris, & mali quoque erant ibi, vel ſi mali in inferno, & boni quoque: vnde ſeipſam deſtruit hæc ſent. 2. per ſpiritum nequit intelligi efficacia quia ille carni opponitur, & profectio Chriſti in textu notat mutationem de loco ad locum.

Vera [t] ſententia eſt, Chriſtum prædicaſſe in inferno, omnibus bonis ſpiritibus: exprimi verò eos qui temporibus Noë increduli fuerant, quod maius dubium eſſet, num ex tanto numero per diluuium conſumpto, aliqui pœnitentiam egiſſent: qui etſi iudicentur ſecundum homines in carne, quia corpora eorum aquis necata ſunt, viuant tamen ſpiritu, ſecundum Deum: videtúrque reſpexiſſe Petrum ad illud Iſai. à [u] Iuſtino citatum: *Commemoratus eſt Dominus Sanctus Iſraël mortuorum ſuorum qui dormierant in terrâ ſepultionis, & deſcendit ad eos Euangelizare ſalutem, qui eſt ab eo vt ſaluaret eos.*

[s] *2. Inſtit. 16. §. 9. & in Pſychopann.*

[t] *Clemen. Alex. 6. Strom. Epiph. hæreſi 77. Hilar. in Pſ. 118. Ath. ad Epitect. ad med.* τὸ σῶμα ὡς ἂν ἐν μνημείῳ τεθὲν ὅτι ἀυτῶν ὁ λόγος ἐπορεύθη μὴ χωρισθεὶς ἀυτῶν καὶ τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασιν.

[u] *Dialog. cum Tryph. & Iren. 3. cap. 23. ita Bellarm.* [*verum Iuſtin. ex Hieremia citat & Feuardētius in Irenæum arbitratur poſitum Iſaiam pro Hieremia in Ireneo ſup. Nam ipſe Iren. 4. cap. 39. citat eūd. locum ex Hierem.*]

Probatur ex PP.

CAP. XIIII.

CONCIL. Tolet. [a] 4. *Descendit ad inferos, vt animas quæ illic tenebantur erueret.* [b] Lateranense 4. cap. 1. Ignatius ep. ad Tralli. *Descendit ad infernum solus, regressus cum multitudine.* Iustinus in Dialogo cum Tryph. Irenæ. [c] *Cum Dominus in medio vmbræ mortis abierit, vbi animæ mortuorum erant.* [d] Clemens, Origen. [e] *Vnigenitus filius pro salute mundi vsque ad inferna descendit, & inde protoplastum reuocauit.* Euseb. [f] 4. demonstrat. vterque [g] Cyrill. Athan. [h] *Credite animam interiorem hominem esse*, &c. *cum non solùm nobis, sed etiam in Christi corpore id pateat, corpore non vltra sepulchrum delato animâ ad inferos penetrante, locus ingenti interuallo discriminatis*, &c. [i] Basil. [k] Nyssen. [l] Nazianz. [m] Epiph. [n] Chrysosto. [o] Theodoret. Damasc. Ex Latinis Tertullian. [p] *Si Christus descendit in inferiora terrarum vt illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret habes & regionem inferorum subterraneam credere.* Hyppolit orat. de Antichristo. Cypria. [q] *Passus est Rex illudi, & vitâ occidi descendensque ad inferos captiuam ab antiquo captiuitatem reduxit.* [r] Hilar. [s] Philastrius, [t] Ambros. [u] Hiero-

[a] *cap. 1.*

[b] *sub Innocent. 3.*

[c] *5. in fine.*

[d] *6. Strom.*

[e] *Homil. 15. in Genes.*

[f] *cap. 12.*

[g] *Hieros. catech. 4. Alexand. de recta fide ad Theodos. circa medium.*

[h] *lib. de incarnat. qui incipit Mos pij hominis.* πίστωτε ἓν, ὅτι ὁ ἑωθεν ἡμῶν ἄνθρωπος, ὅστις ἦν ψυχή, &c. ὁ μόνον ἐφ' ἡμῖν τῶν δικαιυμένων, ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῷ τῷ θανάτῳ τῶ χριστῶ ἐδείκνυτο. τὸ μὲν πρῶτον, μάχει τάφου φθάσας πολλῷ μάτρῳ.

[i] *orat. 2. de Paschate.*

[k] *orat. 1. de Resurr.*

[l] *in Pſal. 44.*

[m] *in Ancorato ante medium.*

[n] *hom. 2. de Symbolo*

[o] *in Pſal 15.*

[p] *lib. de animâ c. 32.*

[q] *Serm. de vnctione Chrismatis.*

[r] *in Pſ. 138.*

[s] *Lib. de hæres. cap. de descensu ad inferos.*

[t] *3. de fide 3.*

[u] *in 4. ad Ephes.*

nymus *Inferiora terræ infernus accipitur ad quem Dominus noster saluatórque descendit*, &c. Augustin. [x] *Quis nisi infidelis negauerit fuisse apud inferos Christum. Secundum animam eum fuisse apud inferos apertè scriptura declarat.* Leo serm.1.dè Resurrect. qui omnes ante annos vt minimum 900.floruerunt. [x] *Epist.99.*

Christum propriè, ac reipsa descendisse ad Inferos.

Cap. XV.

DVRANDVS [a] vult Christi animam, descendisse ad inferos, non secundum substantiam, sed per effectus quosdam. Differt à Caluin. quod,id vocet descensum ad inferos, quos reales admittit; quod dicat animas Sanctor.ante Christum fuisse in limbo,& suam sententiam, vt certissimam non asserat Durandus. Refellitur autem: [a] *3.d.22.q.3.*

Primò, quia scriptura & PP. simpliciter dicunt, Christi animam descendisse ad inferna,& carnem sepulchro mansisse. At certum est propriè carnem fuisse conditam tumulo, & anima igitur, realiter ad inferna meauit.

Secundò, si per effectus solùm affuit. Igitur & caro & sanguis qui emundat nos. 1. Ioan. 1. ad inferos descenderunt, cõtra scripturas & PP.

Tertiò, anima Christi hoc modo fuisset simul in cælo,terrâ,limbo. Cur igitur in Symbolo non fit mentio nisi descensus ad inferos?

Quartò, sequeretur animam Christi, vel redijsse eodem die, vel nusquam: nusquam, quia ille effectus,scilicet illuminatio,Patrum semper manet; eodem die, quia cum statim à morte Christi hoc peregerit negotium illicò redijsse,

ad ſuperos diceretur. Obijcit primo, animas ſolum eſſe in loco per operationem, nequeunt autem aliquid operari niſi in proprio corpore, vel per illud.

Secundò, non potuit anima Chriſti in eodem inſtanti eſſe in inferno, quo Chriſtus mortuus eſt: fuiſſet enim in duobus locis. At illo inſtanti fuere beatificatæ animæ in limbo.

Tertiò, in illo triduo anima Chriſti fuit [b] cum latrone in paradiſo, non fuit autem quoad locum, ſed quoad effectum. Ergo pariter cum dicitur fuiſſe eodem tempore in inferno, non debet intelligi quoad locum.

[b] *Luc.23. v.43.*

Ad primum. 1. non eſſe improbabile animas eſſe in loco per ſuam eſſentiam. [2. ſi nequeunt operari niſi cum corpore, quomodo ergo anima Chriſti, fuit in inferno per operationem?] 3. etſi naturaliter, id non valeat præſtari, poſſe tamen ſupernaturaliter: vt patet de Samuelis anima.

Ad 2. [poteſt negari maior, nam illud inſtans fuit quando animo cæpit non amplius eſſe in corpore: at quid prohibet eodem inſtanti potuiſſe eſſe in inferno relicto corpore? hoc enim non eſt niſi in vno loco, in vno inſtanti eſſe.] Ad minorem, quidquid ſit de maiore, non fuiſſe neceſſe, vt eodem inſtanti beatificarentur.

Ad 3. poteſt negari pars poſterior antecedentis: nihil enim aliud inde ſequitur, quam animam Chriſti ſimul fuiſſe in cœlo & inferno: id eſt, duobus locis, quod non repugnat virtute diuinâ fieri, Deinde negatur conſeq. Nam paradiſus, vt importat locum, propriè pomarium ſignificat [vt autem gloriam beatorum, non includit eſſentialiter locum.] At infernus propriè & eſſentialiter rationem loci importat.

Soluuntur

Soluuntur dubia quædam.

CAP. XVI.

PRIMVM ad quæ loca inferni descéderit Christus. D. [a] Thomas vult in solum limbum descendisse præsentialiter, in aliâ per effectum, arguendo scilicet damnatos incredulitatis, & lætificãdo qui purgabantur, probabilius est penetrasse omnes inferiores partes terræ, iuxta [b] Ecclesiasticum: ita enim sentit maxima pars antiquorum [c] PP.

[a] *3.p.q.52.ar.2.*

[b] *cap.24.v.45.*

[c] *August. epist.99. Fulgent.3.ad Trasimund.30. Cyrill. Catech.4. Ambr.li. de myst. Pasch. &c.*

Secundum, an Christo fuerit aliqua pœna esse in inferno. [d] B. Thom. videtur affirmare. [e] Caietan. videtur velle dolores mortis, in Christo durasse vsque ad resurrectionem ratione pœnalitatum quæ relinquuntur ex morte, quæ sunt præcipuè tres. 1. quod anima separata. 2. in loco sibi non conuenienti, 3. in sepulchro maneat.

[d] *sup.ar.1.& 3.*

[e] *in 2. Actor.*

Rectiùs contrarium [f] Bonauentur. quid enim pœnæ corpus incorruptibile habere posset in sepulchro? quid in inferno anima beata? [imò potius non mediocris exultatio fuit victrici manu spolia eleuare inferni, ac palam de inimicis triumphare.]

[f] *in 3. d.22.q.4.*

Tertium, quid contulit animabus iustis, descensus Christi ad inferos.

Respondeo, [g] contulisse essentialem beatitudinem 2. [h] eductionem ex isto carcere.

[g] *Ecclesiast. sup.*

[h] *consensus PP.*

Quartum, an præter animas in sinu Abrahæ, aliæ liberatæ sint.

Respondeo nullas damnatorum & infantium in Originali defunctorum peccato liberatas,

hoc enim eorum ſtatui pugnat. Ex purgatorio putat D. [1] Th. eas liberatas, quibus purgationis tempus abſolutum erat, vel ob peculiarem in Chriſti paſſionem cultum, dignas liberatione. Quamuis nullus eſſet error aſſerere omnes liberatas ſpeciali beneficio Chriſti.

[1] *ſupr. art. 8.*

LIBER QVINTVS

DE CHRISTO

Qui est,

DE MEDIATORE, & eius merito.

Secundam quam naturam Christus sit Mediator.

CAP. PRIMVM.

MEDIATOREM vocamus eum, qui inter dissidentes aliquos, aut certè non coniunctos, medium se interponit, vt eos concordiâ, vel nouo fœdere coniungat. Idque dupliciter, scilicet aut per substantialem mediationem, quomodo personalitas in Christo mediat inter diuinam humanamque naturam: aut per operationem quod contingit quadrupliciter, 1. discernendo, & iudicando causam: quomodo arbitri possunt dici mediatores, talisque Christusque ab [a] Ambrosio vocatur, quod iudicarit fieri pacem posse, si Deum ignosceret primùm, & homo deinceps permaneret in fide. 2. referendo hinc inde pacta: quomodo omnes internuntij vt Moses [b]

[a] *in 2. cap. 1. ad Timoth.*

[b] *v. 5. & Galat. 3. vers. 19.*

Deuteron.5.ac [c] Christus qui nobis voluntatem patris annuntiauit. 3. orando & supplicando parti vni pro alterâ, vt Christus qui [d] interpellat pro nobis, sed hi tres modi sunt illi cum alijs hominibus communes. 4. soluendo & satisfaciendo vni parti pro alterâ. Et hic modus propriè omnino conuenit Christo, iuxta illud, [e] *Vnus mediator Dei & hominum Iesus Christus qui dedit semetipsum redemptionem pro multis.*

Est autem sententia [f] Catholicorum communis, ipsum quidem Mediatorem, siue principium quod operabatur opera mediatoris non fuisse Deum humanatum siue Verbum incarnatum: principium tamen quo operabatur, fuisse humanam naturam non diuinam. Repugnant huic sententiæ duo errores.

[c] *Hebræor.9.v.15. & cap.12.v.24. ac Malach.3.v.1.*
[d] *Rom.8.v.34.*
[e] *1.Timoth.2.v.5.* εἷς γὰρ θεὸς εἷς καὶ μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἄνθρωπος χριστὸς ἰησοῦς. *homo Christus Iesus v.6.* ὁ δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων. *pro omnibus.*
[f] *Magist.3.d.19. & alij ead d.D.Thom. 3.p.q.26.ar.2.*

Refutatur error Stancari de Mediatore.

CAP. II.

PRIOR Francisci Stancari videtur, qui lib.de Trinit.in confutatione 2. Epist. Tigurmorum, ait, in abstracto humanam naturam esse mediatricem & conciliatricem in Christo, vbi videtur totum opus ipsi naturæ tribuere (quasi per se existat & agat) nihil suppositio diuinæ. Refellitur.

Primò quia inde sequitur naturam humanam in Christo per se existentem esse, ac suppositum dicere à diuino distinctum: nam operationes sunt suppositorum.

Secundò opus Mediatoris præcipuum fuit passio Christi. Hæc autem ipsi Deo tribuitur in [a] Scripturis, atque ideò necesse est illi conuenire ratione saltem suppositi.

Tertiò, ex PP. [b] Basil. *Si homo nos redimere non potest, qui nos redemit non est homo.* [c] Nazianz.

[a] *Act.or.20.v.28. & 1.Corinth.2. vers.8.*
[b] *in illud Psal.48. frater non redimet.*
[c] *orat.2.de Pasch. circa finem.*

Indigebamus vt Deus carnem assumeret, & mortem subiret, vt viueremus. [d] Cyrill. *Ex confessio salutaris est mors Christi, sed si non esset Deus, quomodo ipse, & solus sufficeret, ad hoc vt esset pretium.* Augustin. [e] *Neque per ipsum liberaremur vnum Mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum, nisi esset Deus.* Leo. [f] *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium.*

Obiicit Stancarus in Epist. [g] Agathonis negari opus personale, & affirmari naturale in Christo. 1. tribuuntur opera Christi naturis non personæ.

Respondeo, non negare Agath. opera Christi esse opera personæ, sed in Christo vnum esse opus, sicut est vna natura, sed duo esse opera vult sicut duæ naturæ sunt.

[d] *lib. de recta fide ad Reginas cum tractat illud 1. ad Timoth. C. 2. Vnus Deus, vnus mediator Dei & hominū, &c.*

[e] *in Enchirid. cap. 108.*

[f] *Ser. 1. de natali domini.*

[g] *lecta in 6. Conc. act. 4.*

Refellitur error Lutheranor. Caluinistar. de Mediatore ex scriptura.

CAP. III.

ERROR posterior, est [a] asserentium Christum secundum vtramque naturam exercere officium mediatoris, vnde Stanislaus [b] Sarnicius in publico colloquio, ita scribi iussit, *Est Pontifex, & Sacerdos diuina natura, sacrificium verò humana.* Refutatur. Nam Paulus 1. Timoth. *Vnus Deus, vnus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* Quare addidit, *homo*, nisi ad exprimendam naturam, secundum quam Christus est mediator. Præterea, distinguit Paulus Mediatorē à Deo, at Christus tantùm secundum humanam naturam distinguitur à Deo.

Respondent distingui mediatorem à Deo

[a] *Calvin. Epi. duabus ad Polonos Ministri Tigurini in ep. item duab. ad Polo. Kemnit. lib. de duabus natur. Melanch. in locis cap. de filio & liber Concordiæ. pag. 556. & 645.*

[b] *teste Stancore lib. de Trinit. & Mediator.*

patre, aliàs si per Deum intelligerentur tres diuinæ personæ, esset quaternitas. Sed falluntur, nam per vnum Deum, intelliguntur Trinitatem [c] Chrysost. Oecum. Theophyl. & ratio conuincit. Nam non solus pater, sed tota Trinitas erat infensa humano generi. Ad argu. respond. non sequi quaternitatem, quòd idem Christus propter duas naturas, & numeratur inter personas Trinitatis cui debetur satisfactio, & ipse simul est qui satisfacit.

[c] *in hunc locum, & Aug. conc. 1. in Psal. 29. Beda & Ansel. in 2. cap. 1. ad Timoth.*

Refellitur ex Patribus.

Cap. IIII.

Cyrill. [a] *Audiens quod dictus est sacerdos, propter humanitatem erubescisne. Deinde quomodo non admiratus es, quod non secundum sacerdotum morem alteri fecerit sacrificij modum, sed sibi ipsi potius, & Patri.* Non potest autem vnus & idem vt idem sacrificium offerre, & accipere, sed accepit sacrificium vt Deus, ergo non offert vt Deus. Chrysost. [b] *Quid est Mediator, Mediator non est Dominus rei, cuius est Mediator, sed est alia quidem res, Christus autem secundum formam Dei, est Dominus.* Ergo secundum formam serui Mediator. August. [c] *Christus in forma Dei æqualis patri, in formâ serui Mediator Dei & hominum.* Item, [d] *vnde verus ille Mediator, in quantum formam serui accipiens, Mediator effectus est Dei & hominum: cum in forma Dei sacrificium cum patre sumat: cum quo vnus est Deus, tamen in formâ serui sacrificium maluit esse.* Fulgent. [e] *Hic in humanâ naturâ Mediator Dei, & hominum factus est.*

[a] *in Apolog. pro 12. capitibus contra Orientales ad obiect. contra 10. cap. siue Anathematismum in fine.*

[b] *in 9. ad Hebr.*

[c] *1. Trinit. 7.*

[d] *10. Cinit. 20.*

[e] *lib. de Incarnat. & gratiâ Christi cap. 13.*

Refellitur rationibus.

CAP. V.

PRIMA, Mediator debet aliquo modo distare ab vtraque parte, sed Christus vt Deus non distat vlla ratione à Deo: vt homo verò distat à Deo, vt iustus homo à peccatoribus, quos reconciliauit igitur, &c.

Secunda, vel est mediator secundum vtramque naturam simul, aut seorsim: non prius, quia sic nequit à seipso distare, vt Deo, neque posterius, quia diuina natura est pars offensa ad quã placandam Mediatore opus est.

Tertia opera Trinitatis secundum naturam diuinam, sunt communia tribus personis diuinis. Igitur essent tres personæ mediatores, at cuius?

Respondet Iosias Smilerus: quædam esse huiusmodi opera propria personis, nam gignit pater, non filius, & Pater in Baptismo Christi, solus dixit. *Hic est filius meus*, &c. Sed decipitur, nam generare & generari in diuinis non sunt essentiales actiones, sed personales, siue notionales, & vox illa quæ audita, & visa columba in Baptis. Christi à tota Trinitate formata fuit, quamuis hæc ad significandum Spiritum, illa patrem. Non disputamus autem quid significent opera Mediatoris, sed à quo fiant.

Quarta, officium Mediatoris est sacrificare Hebræo. [a] 7.8.& [b] 9. [c] At qui sacrificat, minor est eo cui sacrificat, si quidem ei ministrat, nullo autem minor est Deitas.

[a] *vers.* 27.
[b] *vers.* 3.
[c] *v.* 6.

Soluuntur obiectiones ex ſcriptura.

Cap. VI.

PRIMA, [a] *Ego pono animam meã* (inquit Chriſtus) *Nemo autem habet arbitrium vitæ, & / nec unſi Deus*, ergo hæc dicit, vt Deus.

Reſpondeo cum [b] Aug. ponere vitam, nihil aliud eſſe quam mori, quod hominis ſiue carnis eſt non verbi diuini, quamuis poteſtas ponendi illam ad libitum, & reſumendi ſit conceſſa à Deo.

Secunda. [c] *Omnia autem ex Deo qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum.* Item [d] *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.*

Reſpondeo, aliud eſſe mediatorem, aliud reconciliare per mediatorem, qui enim offenſus procurat de mediatore ad reconciliationem, non eſt mediator: ita Deus nos reconciliauit ſibi, ſed per mediatorem quem miſit [Dici etiam poteſt nos reconciliaſſe ſibi vt mediatorem, ſed ratione humanæ naturæ.]

Tertia, [e] *Habemus pontificem qui penetrauit cœlos* [f] *ſine patre ſine matre ſine genealogia.* Quæ nequeunt dici de Chriſto ſecundum naturam humanam tantum, Dei enim ſolius eſt penetrare cœlos, & carere matre.

Reſpondeo hæc ſolum probare Mediatoris perſonã eſſe diuinã: qui ratione diuinæ generationis caret matre, ratione humanæ caret patre, cœloſque penetrauit. nam reſpectu diuinæ naturæ eſt vbique, & proinde caret motu.

[a] *Ioan. 10. v. 15.* ἐγὼ ψυχήν μου τίθημι ὑπὲρ τῶν προβάτων.

[b] *Tract. 47. in Ioan.*

[c] *2. Corinth. 5. v. 18.* τὰ πάντα δὲ τοῦ θεοῦ τοῦ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ.

[d] *v. 19.* θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ.

[e] *Hebr. 4. verſ. 14.* ἔχοντες ἀρχιερέα μέγαν διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς.

[f] *cap. 7. verſ. 3.* ἀπάτωρ ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος.

Soluitur argument. ex Patribus.

CAP. VII.

PRIMVM, [a] Dionyſ. ait Chriſtum adminiſtraſſe κατ' ἐνέργειαν, operationem Dei virilem. [a] *ep. 4. ad Caium.*

Reſpond. 1. [b] tria eſſe genera operum Chriſti, purè diuina vt creare; purè humana vt comedere, & mixta ſcilicet in quæ concurrant deitatis, & humanitatis ſine confuſione operationes, vt miracula: & de his Dionyſ. loquitur, ſed huius generis non ſunt opera mediatoris, quia omnia humana ſunt. 2. dici κατ' ἐνέργειαν omnem Chriſti operationem ratione ſuppoſiti, ſemper enim Deus homo operabatur. [b] *ita Sophronius orat. ſuâ quæ legitur in 6. Synod. act. 11.*

Secundum proferunt [c] Irenæ. [d] Epiph. Ambroſ. Theodor. in 2. pr. ad Timoth. docentes, mediatorem Dei & hominum, debuiſſe vtramque naturam in ſe habere. [c] *3. cap. 20.* [d] *in Ancorato.*

Reſp. loqui de mediatione ſubſtantiali, quæ neceſſaria fuit ad mediationem per operationem. Niſi enim eſſet Chriſtus Deus homo, non eſſet ſuppoſitum infinitum, & proinde nec eius opera infiniti pretij.

Tertium [e] Auguſt. *Non mediator homo præter diuinitatem.* Item, *diuina humanitas, & humana diuinitas mediatrix.* & 9. Ciuit. 15. Quærendus eſt Mediator, qui non ſolum homo, verum etiam Deus ſit. [e] *Homil. de ouibus 12. cap.*

Reſpon. loqui de perſonâ, quæ operi debebat dignitatem conferre, ſubiungit enim illo Ciuitat. loco. *Nec tamen ob hoc mediator eſt, quia Verbum,* &c. *ſed Mediator per quod homo.*

Soluuntur ex ratione obiectiones.

CAP. VIII.

PRIMA, renouare corda, & dare Spiritum sanctum, sunt opera Mediatoris. Nam teste [a] Augustin. per mediatorem recipimus Spiritum sanctum, at hæc opera solius sunt Dei.

[a] *in Enchirid. cap. 33.*

Resp. dare Spiritum sanctum meritoriè esse mediatoris, non in ratione Dei formaliter, sed hominis: dare efficienter vt authorem doni, solius esse Dei: sed non in ratione mediatoris, sed eius apud quem mediator intercedit, si enim hæc donatio esset mediatoris, Trinitas esset mediator: quia hæc donatio fit à totâ Trinitate.

Secunda, ante lapsum Adæ Christus fuit caput Angelorum, & hominum, Coloss. 1. *Primogenitus omnis creaturæ.* Igitur & mediator fuit, vnde [b] Chrysost. August. Hierony. volunt per Christum mediatorem datam esse legem.

[b] *in 3. epist. ad Galat.*

Admittitur anteced. nam fuit caput in quantum Deus est. Negatur consequens, nam vel loquitur Paulus de Christo secundum formam serui, vel si secundum formam Dei, nihil aliud vult, quam fuisse genitum à patre ante omnem creaturam. PP. verò citati loquuntur de mediatore materialiter, nimirum illam personam quæ postea futura mediatrix erat esse verum Deum & authorem mundi, ac legis.

Ostenditur Christum sibi aliquid meruisse.

CAP. IX.

CONSENTIVNT [a] DD. meruisse sibi Christum, corporis gloriam, & nominis exaltationem.

Philipp. [b] 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem &c. propter quod & Deus exaltauit illum*, & donauit illi nomen Hebr 2 [c] Videmus Iesum propter passionem mortis gloriâ, & honore coronatum.

Respondeo, Caluin. his solùm significari Christum post passionem habuisse gloriam, non tamen vnam, alterius causam fuisse: sicut Lucæ vltimo. [d] *Oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam.* Contra 1. quia & hic Lucæ locus potest pro nobis esse: idem enim est ac dicere oportuit vincere & sic triumphare. 2. non est similis ratio, nam in illo Lucæ non est dictio, *propter*, quæ causam vbique significat. 3. quia sicut exposuimus exposuerunt PP. [e] Chrysost. *Extremam* (inquit) *Christus præstitit obedientiam, propterea accepit & supremum honorem.* Ambros. in 2. Philipp. [f] August. humilitas claritatis est meritū, claritas humilitatis præmium, sed hoc factū est in forma serui, [g] Cyr. [h] Basil.

[a] 3. d. 18.
[b] v. 8. ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ. v. 9. διὸ καὶ ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα.
[c] vers. 9. βλέπομεν Ἰησοῦν διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον.
[d] v. 26. ἔδει παθεῖν τὸν χριστὸν καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ.
[e] *homil. 7. in epist. ad Philippens.*
[f] *Tract.* 104.
[g] 3. *Thesaur.* 2. *iuxta Bellarminum.*
[h] 4. *in Eunom.*

Soluuntur arg. Caluini.

CAP. X.

PRIMVM, quid opus fuit descendere vnicum Dei filium vt sibi aliquid noui acquireret.

Respondeo, descendisse non vt acquireret, sed homo fieret, imò

hominem fieri, est ipsum descendere Dei. At postquam descenderat aliquid acquisiuit sibi, in forma quam assumpserat.

Secundum, gloria corporis sequitur per se ex gloriâ animæ, at accessorium non cadit sub merito [siue gloria animæ non fuit sub merito, ergo neque gloria corporis.]

Respondeo, 1. gloriam corporis non videri absolutè accessoriam: sequitur enim ex gloria animæ secundum Dei determinationem, & meritorum congruentiam. 2. nihil prohibet aliquid duobus modis deberi ac gloriam corporis debitam, & ratione redundantiæ animæ, & ratione præmij.

[a] *v. 32.* [b] *vers. 6.* [c] *vers. 9.* [d] *v. 19.*

Tertium, [a] Rom. 8. [b] Isaiæ 9. [c] Zachar. 9. [d] Ioan. 17. dicitur Christus laborasse pro nobis.

Respondeo, in nullo legi horum, tantum intuitu nostri laborasse: non fit autem mentio gloriæ Christi: quia nos fuimus causa sine quâ non fuisset passus.

[e] *v. 6.*

Quartum, frigeret confirmatio illa amoris quam Paulus commendat Rom. [e] quinto.

Negatur, satis enim suam ostendit pater charitatem cum pro nobis tradidit filium, personam filij, suam, cum nihil ei vtilitatis accessit: denique vt homo in quâtum posset nos sine passione & morte, per alios actus saluare, & sibi mereri gloriam. Quod autem Christus non sui omnino oblitus fuerit, vt somniat Caluinus, patet ex his, [f] *clarifica me pater claritate, &c.*

[f] *Ioan. 17. v. 5.*

Quintum, quibus meritis assequi potuit homo, vt iudex esset mundi, caput Angelorum, atque summo potiretur imperio?

Respondeo, nec hæc meruisse, nisi esse iudicem mundi ad quod, si non sufficiunt actus eius quomodo satis erunt ad redemptionẽ nostram?

PRIMI TOMI

TERTIA CONTROVERSIA GENERALIS, DE Summo Pontifice.

Quinque libris explicata.

INDEX
LIBRORVM, ET CAPITVM TERTIÆ Controuersiæ.

LIBER PRIMVS.

DE ROMANI PONTIFICIS Ecclesiasticâ Monarchia.

Ex Præfat. Qui oppugnarint & defenderint Papæ Primatum.

Cap. I. & II. DE Optimo Regimine. Prima propositio. Monarchiam simplicem, simplici Aristocratiæ & Democratiæ præstare.

III. Propositio secunda. Monarchiam Aristocratiæ, & Democratiæ mixtam vtiliorem esse in hac vitâ monarchiâ simplici.

IIII. Propositio tertia. Circumstantijs sectusis Monarchiam simplicem absolutè, & simpliciter excellere.

V. Debeatne regimen Ecclesiasticum esse monarchicum.

VI. Prima propositio. Ecclesiæ gubernatio non est Democratia.

VII. Secunda propositio. Ecclesiasticum regimen non esse penes Principes sæculares.

VIII. Tertia propositio. Non esse Ecclesiasticum regimen præcipuè penes Episcopos.

IX. Quarta propositio. Regimen Ecclesiasticum præcipuè Monarchicum esse.

X. & XI. *Probatur Petri Monarchia ex Math. 16.*
XII. *Quis sit ille cui dicitur. Tibi dabo claues regni cœlorum.*
XIII. *Quid intelligatur per claues, Math. 16.*
XIIII. *Soli Petro dictum, Pasce oues meas.*
XV. *Quid significet Pasce, Ioan. 21.*
XVI. *Per oues meas significari vniuersam Ecclesiã.*
XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. *Explicantur prærogatiuæ Petri ex scripturis.*
XXIII. & XXIIII. *Aliæ prærogatiuæ ex varijs authoribus.*
XXV. *Ex PP. probatur summa Petri potestas in Ecclesiã, quam significari per caput, & primatum absolute fatentur Aduersarij.*
XVI. *Diluitur argumentum ex comparatione Petri cum Iacobo.*
XXVII. *Soluitur argumentum ex comparatione Petri cum Paulo.*
XXVIII. *Refellitur obiectio ex 15 peccatis sancto Petro à Centuriastis attributis.*

LIBER SECVNDVS.

De summo Pontifice.

Cap. I. & II. PEtrum Romæ fuisse.
III. S. Petrum Romæ mortuum esse.
IIII. Petrum Romæ vsque ad mortem Episcopum fuisse.
V. Soluitur Argumentum primum.
VI. Soluitur secundum.
VII. Soluuntur alia quinque argumenta.
VIII. Soluuntur alia octo.
IX. Soluitur decimum sextum.
X. & XI. Soluitur decimum septimum & decimum octauum.
XII. Romanum Pontificem Petro succedere in Ecclesiastica Monarchia, probatur ex iure diuino, & ratione successionis.

XIII. *Probatur Primatus Romani Pontificis ex Conciliis.*
XIV. *Idem probatur ex testimoniis summorum Pontificum.*
XV. & XVI. *Ex Patribus.*
XVII. *Probatur ex origine, & antiquitate Primatus.*
XVIII. *Probatur ex authoritate quam exercuit Romanus Pontifex in alios Episcopos.*
XIX. *Probatur ex legibus, dispensationibus & censuris.*
XX. *Probatur ex vicariis Papæ.*
XXI. *Probatur ex iure appellationum.*
XXII. XXIII. XXIV. XXV. *Soluuntur de iure appellationum argumenta.*
XXVI. *Probatur Primatus R. Pontif. ex eo quod à nemine iudicetur.*
XXVII. *Soluuntur argumenta Nili contra præcedens caput.*
XXVIII. XXIX. XXX. *Soluuntur obiectiones hæreticorũ.*
XXXI. *Probatur Primatus ex omnibus attributis Pontificis Romani.*

LIBER TERTIVS.

De summo Pontifice: in quo tractatur de Antichristo.

Cap. I. *De ipso nomine quod est Antichristus.*
II. *Antichristum certum quendam hominem futurum.*
3. 4. 5. 6. 8. 9. *Ostenditur Antichristum nondum venisse.*
X. *De proprio nomine Antichristi.*
XI. *De caractere Antichristi.*
XII. *De Generatione Antichristi.*
XIII. *De sede Antichristi.*
XIIII. *De doctrina Antichristi.*
XV. *De Miraculis Antichristi.*
XVI. & XVII. *De Regno, & Præliis Antichristi.*

XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. *Refelluntur deliria hæreticorum.*

XXIIII. *Refelluntur argumenta quibus probant alios Papam Episcopum amplius non esse.*

LIBER QVARTVS.

De potestate spirituali summi Pontificis.

Cap. I. *PApam esse summum iudicem in controuersiis fidei & morum.*

II. & III. *Prima propositio, De certitudine iudicij Papæ.*

IIII. *Secunda propositio.*

V. & VI. *Tertia Propositio, & Quarta.*

VII. *Soluuntur obiectiones.*

VIII. *De erroribus falsò ascriptis Lino, Anacleto, Telesphoro, Victori, Zepherino, Vrbano, Pontiano, Cornelio, Marcellino Pontificibus Romanis.*

IX. *De Liberio & Fœlice.*

X. *De aliis septem Pontificibus.*

XI. *De Honorio.*

XII. *De aliis septem.*

XIII. *De Gregorio septimo.*

XIIII. *De cæteris Pontificibus.*

XV. *An summus Pontifex, vt Pontifex totius Ecclesiæ possit leges condere quæ obligent in cõscientia & iudicare ac punire transgressores pœna spirituali.*

XVI. *Probatur posse Pontifices veras leges condere.*

XVII. XVIII. XIX. XX. *Soluuntur argumenta aduersariorum.*

XXI. *Soluuntur argumenta ex PP.*

XXII. XXIII. XXIIII. *Apostolos à Christo Iurisdictionem omnem accepisse, at Episcopos à Papa.*

XXV. *Soluuntur Argumenta.*

INDEX

LIBER QVINTVS.

De potestate Pontificis Temporali.

Cap. I. & II. *Prima propositio. Papam non esse dominum totius mundi.*

III. *Secunda propositio. Papam non esse dominum totius Christiani orbis.*

IIII. *Tertia propositio. Papam non habere vllam merè temporalem iurisdictionem directè de iure diuino.*

V. *Soluuntur argumenta.*

VI. & VII. *Papam habere summam temporalem potestatem indirectè.*

VIII. *Idem exemplis probatur.*

IX. *Non pugnare cum verbo Dei, vt vnus homo sit princeps Ecclesiasticus & politicus simul.*

X. *Soluuntur argumenta.*

DE TRANSLATIONE ROMANI IMPERII.

SVMMA

LIBRI PRIMI.

Romanum Imperium à Græcis ad Francos, ſummi Pontificis authoritate tranſlatum.

Cap. I. *Complectitur contradictiones Illyrici in libro ſuo de Tranſlatione Imperij.*

II. *Mendacia Illirici.*

III. *Refelluntur Illyrici Prolegomena.*

IIII. *Imperium Romanum tranſlatum à Græcis ad Francos ſummi Pontificis authoritate, hiſtoricorum teſtimoniis probatur.*

V. *Confeſſione Principum probatur tranſlatum Imperium à Græcis ad Francos per Rom. Pontificem.*

VI. *Idem aſſeritur teſtimoniis Pontificum.*

VIII. & IX. *Neque immediatè à Deo, neque hæreditario iure Imperium Carolo contigiſſe.*

X. *Non accepiſſe Carolum magnum imperij dignitate authore, S. P. Q. R.*

XI. *Non deueniſſe ad Germanos Imperium donatione Græcorum.*

XII. *Romanum Pontificem iure ſuo tranſtuliſſe à Græcis ad Germanos Imperium.*

XIII. *Soluuntur quæ ſuperſunt Illyrici argumenta.*

LIBER SECVNDVS.

SVMMA.

Imperium Romanum de gente Francorum Summi Pontificis authoritate ad gentem Saxonum transiisse.

Cap. I. EXprimitur *successio Caroli Magni.*
II. *Othonem* I. *non autem Henricum fuisse primum Imperatorem ex gente Saxonum.*
III. *Othonem* I. *à summo Pontifice Ioanne* 12. *ad imperiũ prouectum probatur ex historicis.*
IIII. *Soluuntur obiectiones Illyrici.*

LIBER TERTIVS.

SVMMA.

Septem Electores Imperij à Romano Pontifice constitutos.

Cap. I. ELectores *ante Gregorium* 10. *& Fridericum* 2. *designatos.*
II. *Refelluntur obiectiones Onuphrij.*
III. *Electores Imperij non ab Imperatore scilicet Othone* 3. *sed à Papa, id est Gregorio V. electos, quamuis non negemus consensum Imperatoris.*
IIII. *Soluuntur obiectiones Illyrici.*

EX PRÆFATIONE

Qui primatum Papæ oppugnarunt & qui propugnarunt.

PRIMI qui ſerio primatum Pōtificis Romani oppugnarunt, videntur fuiſſe Græci. [a] Ipſi enim iam inde ab anno Domini trecenteſimo octuageſimo primo Epiſcop. Conſtantinopolit. (qui antea nec quidem Patriarcha erat) tribus Patriarchis Orientis anteponere, & ſecundum à Romano Pontifice facere voluerunt. Deinde anno quadringenteſimo quinquageſimo primo parem Rom. Pontifici efficere [b] conati ſunt: temporibus verò Pelagij ſecundi, & Gregorij Magni Epiſcopum Conſtantinop. appellare cæperunt Oecumenicum, id eſt, orbis terræ vniuerſalem Epiſcopum.

[a] *vt intelligi poteſt ex Concil. 2. Generali can. 5.*

[b] *in Concil. Chalcedon. act. 16.*

Denique anno milleſimo quinquageſimo quarto, apertè pronunciarunt. Rom. Epiſcopum de ſuo gradu excidiſſe, ob additionē particulæ, *filioque*, ad ſymbolum Conſtantinop. contra decretum Epheſinæ ſynodi. Et propterea iam ſummum ac primum Epiſcoporum omnium, eſſe Pontificem Conſtantinopolit. Ex Latinis, primi ſunt vvaldenſes, qui ſe ab obedientia Romani Pontif. ſubtraxerunt, [c] exorti anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo. Anno deinde milleſimo trecenteſimo, quidam, qui [d] Fraticelli dicebantur, Petri authoritatem in Romana Eccleſia iamdudum ceſſaſſe, atque ad ſectam Fraticellorum ef-

[c] *vt refert Reynerius qui ante 300. annos floruit.*

[d] *de quibus Ioannes Turrecremata 4. Eccl. p. 2. cap. 37.*

se translatum asserebant. Non diu post Marsilius Paduanus,& Ioannes de Ianduno,non solum Episcopos, sed omnes etiam Presbyteros Rom. Pontifici pares esse contendebant. Circiter verò annum millesimum trecentesimum nonagesimum, Ioannes vviclef, & post eum Ioannes Hus contra primatum Papæ debacchati sunt. Ad extremum Martinus [c] Lutherus & quotquot [f] hæretici postea secuti, affirmant Rom. Episcopum fuisse aliquando Pastorem, & Concionatorem Ecclesiæ Romanæ, atque vnum de cæteris non supra cæteros, nunc vero nihil aliud esse quam Antichristum.

Pro summi Pontificis authoritate,scripserunt ex Polonia [g] Stanislaus,Hosius Cardinalis, Ex [h] Gallia,Remundus Ruffus, & [i] Robertus Arboricensis. Ex Germania, [k] Ioannes Eckius, Ioannes [l] Faber,Ioannes [m] Cochlæus,Gaspar [n] Schatzgerus, & Conradus [o] Clingius.Ex Inferiori Germaniâ,Ioannes [p] Driedo, [q] Albertus Pighius, [r] Ioannes à Louanio, Iacobus [s] Latomus, Gulielmus [t] Lindanus, & Ioannes [u] Bunderius. Ex Anglia Thomas [x] vvaldensis, [y] Ioannes Roffensis,Reginaldus [z] Polus,Alanus [a] Copus,Nicolaus [b] Sanderus,& Thomas [c] Stapletonus.Ex Hispania,Ioannes [d] de Turrecremata, Alphonsus [e] à castro, [f] Melchior Canus,Petrus [g] de Soto,Franciscus [h] Horan-

[c] *lib. de potestate Papæ.*
[f] *Melanch.lib. de potest. & primat. Papæ (si tamen eius est)nomine Synodi Smalcadensis. Calu. 4.Instit. 6. Brent. confess. witemberg. cap. de sum.Pontifice, &c.*
[g] *in explicatione Symboli cap.16. & libr. de authorit. sum.Pontific.*
[h] *lib. aduersus Carolum Molinæum pro summo Pontifice.*
[i] *1.Tom. de vtriusque gladij potestate.*
[k] *libris tribus de primatu Petri.*
[l] *in refut. lib. Lutheri de Pontific. potestate.*
[m] *4. Philippica.*
[n] *in controuersiis.*
[o] *lib.3.de locis communibus.*
[p] *lib.4.cap.3.p.2.de scriptur. & dogm. Eccl.*
[q] *lib.3.& 4. 5. Ecclesiast. Hierarch.*
[r] *de perpetua cathedræ Petri protectione.*
[s] *lib.de primatu Petri.*
[t] *Panopliæ.*
[v] *compend. concertationum tit.3.*
[x] *2.doctrinal.fidei ar.1.& 3.*
[y] *refut. ar. 25.*
[z] *lib. de summo Pontif.*
[a] *dialog. 1.*
[b] *libris de visibili Monarch.*
[c] *6.controuers.*
[d] *2.de Ecclesia.*
[e] *lib.12.contr. hæretic.*
[f] *6.de locis.*
[g] *defensione suæ confess. à cap. 74. ad finem.*
[h] *6. de locis Catholic.*

tius & Franciſcus [l] Turrianus. Ex Italia [k] D. Thomas, Auguſtinus [l] Triumphus Anconitanus, [m] Antoninus, Thomas [n] Caietanus, Gaſpar [o] Cotarenus, [p] Thomas Campegius, & Ioannes [q] Antonius Delphinus Ex Græcia [r] Gennadius Scholarius.

[l] *libris contra Antonium Sadeelem. item Gregorius à Valentia in ſua Analyſi p. 7. & 8.*

[k] *Epiſt. contra Græcos.*

[l] *in Summa de Papæ poteſt.*

[m] *3. p. tit. 22.*

[n] *de inſtit. & author. R. Pontif.*

[o] *de poteſt. R. Pontif.*

[p] *lib. eiuſd. tituli.*

[q] *1. & 2. de Eccleſia.*

[r] *in defenſ. capituli 5.*

LIBER PRIMVS.

DE ROMANI PONTIFICIS.

ECCLESIASTICA MONARCHIA.

Caput primum, & secundum.

De optimo regimine.

PRIMA PROPOSITIO.

Monarchiam simplicem, simplici Aristocraticæ & Democratiæ præstare.

Cap. 1.

DVBIVM esse non potest quin potuerit, & voluerit Christus, Ecclesiam suam optimo omnium regimine gubernari. [a] Tres autem sunt bonæ gubernationis simplicis formæ: Monarchia, vnius principatus: Aristocratia, regimen optimatum, & Democratia, populi totius imperium: quatuor verò formæ mixti regiminis, vna temperata ex omnibus tribus: altera ex Monarchiâ, & Aristocratiâ, Tertia ex Monarchia, & Democratia: Quarta ex Democratia, & Aristocratia. Nascitur autem quæstio, quæ sit harum omnium optima.

[a] *Artic. 3. polit. 5. & lib. 8. Ethic. 10.*

Caluinus [b] Aristocratiam, ex formis simplicibus: ex mixtis verò temperatam ex Aristocratiâ & Democratia, omnibus anteponit, [c] deterrimam omnium vult esse Monarchiam.

[b] *4. Instit. 20. §. 8.*

[c] *Præsertim si in toto terrar. orbe, aut in vniuersa Ecclesia constituatur ita. 4. Instit. 6. §. 9.*

Cap. 11.

At nihilominus nostrâ primâ propositionem

veram esse probatur.

Primò consensu omnium veterum scriptorum. Ex Hebræis: [d] Philo, *Illud* (inquit) *multos imperitare malum est, Rex vnicus esto: non ad ciuitates & homines magis pertinet, quam ad mundum & Deum.*

Ex Græcis: [e] Iustinus, *Vnius* (inquit) *principatus à bellis, dissidiisque solutus, ac liber esse solet.* [f] Athanas: *Vt* (inquit) *multitudo deorum, nullitas est deorum, ita quoque necesse est multitudinem principum id efficere, vt nullus esse princeps videatur. Vbi autem non est princeps, ibi prorsus disturbatio nascitur.*

Ex Latinis Cyprian. qui tract. de idolorum vanitate, ex eo potissimum probat Deum esse vnum quia Monarchia, sit optimum regimen: [g] Hierony. ad Rusticum & D. Thom. prima [h] parte, & quarto contra gentes cap. 76.

Ex Philosophis: [i] Plato, *Vnius* (inquit) *dominatio bonis instructa legibus, lex illarum omnium optima est.* [k] Aristoteles. *Harum* (inquit) *optima regnum, pessima Respublica est.* Seneca de beneficijs: [l] Plutarchus, *Si* (inquit) *optio eligendi concessa fuerit, non aliud eligat, quam vnius potestatem.*

Ex Oratoribus, Isocrates in Nicocle: Stobæus sermone ὅτι κρεῖττον ἡ μοναρχία Ex historicis Herodotus in Thalia. Ex Poetis [m] Homerus.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς.

Ad hoc testimoniũ: *Facilis est* [a] (inquit Caluinus) *responsio, non enim hoc sensu, vel ab Homerico Vlysse, vel ab alijs laudatur monarchia, quasi vnus debeat totum orbem Imperio regere, sed indicare volunt regnum duos non capere & potestatem* (vt ait ille) *impatientem esse consortis.* Sed vel nihil dicit, vel dicit quod dicimus, vel falsum dicit, ac sibi contradicit. Si enim vim facit in verbo, *Regnum*: velitque dicere regnum propriè dictum non capere duos, quia si duo sunt, iam non erit regnum, nihil omnino dicit, idem enim est ac si

[d] *lib. de confusione linguarum.*

[e] *orat. exhortatoria ad gentes.*

[f] *orat. aduers. Idola.*

[g] *Vnus imperator, iudex vnus prouinciæ. Roma vt condita est simul habere duos reges non potuit.*

[h] *q. 103. art. 3.*

[i] *in politico.*

[k] *8. Ethic. 10.*

[l] *Epist. de Monarchia cæterisque formis regiminis.*

[m] *2. Iliados.*

[a] *4. Instit. 6. §. 8.*

diceret regimen vnius non est regimen duorum, & vnus homo, non sunt duo homines: ad quod pronuntiandum, nihil opus erat sapientia Vlyssis. Si vero per regnum intelligit multitudinem regendam, tum id dicit, quod dicimus: idcirco enim asserimus Monarchiam præstare Politiæ, & Aristocratiæ, quod multitudo non commodè regatur à multis, & potestas impatiens sit consortis.

Si tamen per regnum, non quamuis multitudinem, sed vnam aliquam prouinciam, siue vnum exiguum regnum intelligit, non autem idem iudicium esse de toto orbe terrarum, falsum dicit. Nam Homericus Vlysses non agit de vnâ aliquâ prouinciâ, aut exiguo regno, sed de toto exercitu Græcorum pugnantiũ ad Troiam in quo & reges, & diuersi principes erãt. Quare sensus huius sententiæ erit in quauis vna multitudine vnum debere esse rectorem primarium: quod quidem æquè locum habet in maximis Imperiis, ac exiguo regno. Non enim vni exiguo regno vnus debetur Rex, quod illud sit exiguum, sed quod vnum. Sibi etiam contradicit: nam quarto instituit. [b] vndecimo, &c. non solum in toto orbe terrarum non existimat vtilem esse Monarchiam, sed neque in aliqua ciuitate vnâ, quomodo ergo hic hunc Homeri locum admittit de vnâ prouincia, aut exiguo regno?

[b] §. 6.

Secundò, probatur authoritate diuinâ, primò quia Deus ex vno fecit omne genus, nimirum vt esset teste [c] Chrysost. inter homines non Democratia, sed regnum, etenim si plures homines simul ex humo producti fuissent, omnes illi ex æquo principes suæ posteritatis esse debuissent. Deinde naturalis propensio, sine dubio est à Deo: At omnibus penè rebus insita est naturalis ad monarchiam inclinatio. vnus est paterfamilias in quâlibet domo, qui omnibus

[c] *hom. 34. in 1 ad Corinth. 13.*

quæ domus ſunt præeſt. [d] *Principio rerum, gentium nationumque imperium penes reges erat.* Et maxima pars orbis terrarum à regibus gubernatur, & ſi placet ad ipſa animantia deſcendere, *Rex vnus apibus, Dux vnus in gregibus, & in armentis Rector vnus* [e] (ait Cyprian.) *Et grues vnum ſequuntur ordine literato* : [f] ait Hierony. Reſpondet Caluin. [g] *ſed an ex toto orbe conſtituunt apes, vt regem vnum eligant ? ſuis alueariibus contenti ſunt reges ſinguli: ita quoque in gruibus, vnaquæque cauerua proprium regem habet : quid inde aliud euincent, quam ſingulis Eccleſiis, debere ſuos Epiſcopos attribui*: Hæc ille, vt primatum Papæ euertat. Sed non minus Eccleſia eſt vnum ouile, vna caterua, & (vt ita dicam) vnum alueare, quam ſit quæcumque ſingularis caterua animalium. Et proinde cui non minus debetur vnus qui præſit, ſi propenſionem naturæ ſequamur: Deinde ſi his exemplis fatetur Caluinus euinci debere, ſingulis Eccleſiis ſuos Epiſcopos: cur ipſe illos non patitur, niſi fortè ſolo nomine: re autem ipſâ omnem Eccleſiaſticam poteſtatem cætui ſeniorum attribuat. Tertio quia Monarchicum regimen in populo Hebræo Deus ipſe inſtituit. Principes apud Hebræos fuerunt primi Patriarchæ, quos regiâ poteſtate fuiſſe præditos res geſtæ declarant: Abraham bellum [h] geſſit aduerſus quatuor reges: Iudas nurum [i] adiudicat igni. Moſes vt ſummus Princeps, [k] multa milia Iudæorum vna die, iuſſit occidi. Et hæc omnia ſine vllo ſenatuſconſulto, aut plebiſcito. Idem omnibus de iudicibus dici poteſt, de regibus autem, & qui eos ſequuti ſunt, ducibus, nulla dubitatio manet: Sed obiiciętur fortaſſe à Deo [l] reprehendi Iſraelitas, quod regem poſtulaſſent.

Reſpondemus duobus modis poſſe aliquem toti Reipub. præfici: vno, vt dominum & regem abſolutè, ſcilicet qui à nullo dependeat, [cuius

[d] *Iuſtinus lib. 1.*
[e] *tractat. de idolorum vanitate.*
[f] *epiſt. ad Ruſticũ.*
[g] *ſup. cap. 6. § 8.*
[h] *Geneſ. 14.*
[i] *Geneſ. 38. ad finẽ.*
[k] *Exod. 32. verſus finem.*
[l] *1. Reg. 8.*

voluntatem aut ordinationem in gubernatione expectet.] Altero vt proregem, seu ducem primarium, qui toti quidem populo præsit, sed ad voluntatem & ordinationem Regis cui obsequitur: hoc posteriori modo Rempub. Iudæorum instituerat Deus tempore ducum, & iudicum: Erat enim Deus peculiaris Rex illius populi, Duces verò & iudices, veluti proreges: priori autem, postularunt postea Regem Israelitæ, scilicet sicuti gentes habebant. Quod etsi non placuerit Deo, quia inquit ad Samuelem: [m] Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Non tamen ita displicuit, vt iusserit eos potius ad Aristocratiam aut democratiam inclinare, sed constituit super eos Regem.

[m] *sup. v. 7.*

Postrema ratio, ducitur ab enumeratione proprietatum quæ proculdubio optimo regimini conueniunt.

Prima *est, ordo*, eo siquidem melior gubernatio, quo magis ordinata. Ordo autem in eo positus est vt alij præsit, alij subiiciantur, nec enim inter pares ordo dignoscitur: At in Monarchia omnes omnino aliquem ordinem habent, in Aristocratia verò plebes quidem ordinem suũ habent, sed optimates inter se nullum habent, In Dimocratia minus erit ordo, cum ciues omnes æque sint superiores.

Secunda. *Assequutio proprij finis*, quæ enim commodius & facilius propositum finem assequitur gubernatio, illa melior erit: finis porro gubernationis, est ciuium inter se coniunctio, & pax, in eo potissimum sita: vt idem ciues sciant, idem velint. At vbi multi imperant, vix fieri potest vt hi de rebus iisdem eodem iudicent modo: vnde sequitur vel plebem in varias distrahi factiones, vel vni ex imperantibus vel pluribus, non parere: vbi autem imperat vnus, sicut vnicum habet iudicium, & decretum, sic vnum ciues sentiunt & sequuntur.

Tertia, *Robur ac potentia Reipublicæ*: melior enim ea gubernatio, quę potentiorem Rempub. facit atque fortiorem: illa vero fortior in qua maior ciuium inter se coniunctio, & conspiratio, vires siquidem vnitæ fortiores sunt seipsis dissipatis. At maior est coniunctio vbi ab vno pendent omnes, quam vbi à multis, vt demonstratū est.

Quarta, *stabilitas, & diuturnitas*, melior enim gubernatio quæ diuturnior, ex se autem Monarchia aliis stabilior est. [n] *Omne namque regnum in se diuisum desolabitur.* Difficilius autem potest diuidi Monarchica gubernatio, quam vlla alia. Id enim minus diuisibile, quod magis vnum: Magis autem vnum est, ipsum simplex, & per se vnum cuiusmodi est gubernatio Monarchica: quam vnum compositum ex multis per se, siue vnum per accidens, cuiusmodi est multitudo conspirans in vnum: igitur Monarchia minus diuisibilis est, &c. vnde Monarchia Assyriorum à Nino ad Sardanapalim durauit sine interruptione mille [o] ducentis quadraginta annis vel mille [p] trecentis, aut supra [q] mille quadringentos. Scytharum regnum [r] est habitum omnium vetustissimum, nec ab vllo externo hoste destrui potuit, nec est per se vllo vnquam tempore dissolutum. Nulla autem Respub. diuturna, & stabilis fuit: Romana vix annos quadringentos octuaginta numerare [s] potuit, scilicet ab exactis regibus ad Iulium Cæsarem: à Iulio autem, vsque ad Constantinum vltimum, numerat sub Augustis mille quadringentos nonaginta quinque annos in Oriente. In Occidente verò, ab eodem Iulio ad Augustulum supra quingentos, & à Carolo magno ad Rodulphum. 2. annos 801. & aliquot menses.

Respublica quidē Veneta numerat annos supra mille, & centum, sed nondum peruenit ad annos regni Scytharum, vel Assyriorum, imò nec Francorum. Deinde Respublica Veneta

[n] *Math. 12. v. 25.* πᾶσα βασιλεία μερισθεῖσα καθ' ἑαυτῆς ἐρημοῦται.

[o] *iuxta Euseb. in Chronico.*

[p] *Iustinus lib. 1.*

[q] *Diodor. 2. cap. 7.*

[r] *Iustin. lib. 2.*

[s] *Nec conseruare potuit eandem regiminis formam. Initiò fuēre Consules, paulò post additi Tribuni. His & illis sublatis creati decemuiri: illis reiectis. Consul & Tribuni reuocati, non raro etiam dictatores, & Tribuni militares cum potestate consulari.*

† *quam formam laudat Caluinus.*

† non est admixta Aristocratia Democratiæ. Sed Aristocratia Monarchiæ mixta.

Quinta proprietas, *est facilitas gubernationis.* Facilius autem ab vno multitudinem regi, quam à multis probatur. Tum quod faciliùs est vnum hominem bonum reperire, quam multos: tum quia facilius vni populus, quam multis paret. Item, Magistratus annui, aut ad breue tempus, sæpè, prius coguntur prouinciâ deponere quam rectè calleant negotia Reipub. Rex verò qui semper eodem fungitur officio, vsu, & experientiâ, non potest non rectè illa percipere. Deinde huiusmodi magistratus negotia Reip. eo quod non propria, sed communia sint, quasi aliena respiciunt: & dum vnusquisque in collegas onus reijcit, nemo satis diligenter curam adhibet ciuitati. Rex autem tanquam sua, & propria tractat, & cum sciat à se vno pendere omnia, cogitur nihil negligere. Adde vbi multi regunt vix fieri potest vt absit æmulatio, & dissentiones, vnde multa mala in rempubl. Rex nullus habet in regno cui inuideat.

PROPOSITIO SECVNDA.

Monarchiam Aristocratiæ, & Democratiæ mixtam vtiliorem esse in hac vita, monarchia simplici.

CAP. III.

MONARCHIA Aristocratiæ, & Democratiæ admixta erit si in Republ. sit summus aliquis princeps, qui & omnibus imperet, & nulli subijciatur. Præterea sint Præsides prouinciarum, non quidem annui iudices, vel ad nutum amouibiles, sed veri principes: qui,

& imperio ſummi Principis obediant, & interim prouinciam, vel ciuitatem non tanquam alienam ſed vt propriam curent. Denique vt neque Rex, neque principes hæreditariâ ſucceſſione dignitates illas poſſideant, ſed ex vniuerſo populo optimi quique ad eas eligantur. Hanc eſſe optimam in hâc vitâ gubernationem probatur.

Primò, quia ea omnia bona quæ ſuprâ demonſtrata ſunt ineſſe Monarchiæ, huic regimini conuenient, & erit gubernatio in hâc vitâ gratior. Omnes enim maximè illud genus regiminis appetunt, cuius participes eſſe poſſunt. vtilior quoque, quia non poteſt vnus aliquis per ſe prouincias & ciuitates ſingulas adminiſtrare: ſed velit, nolit, cogitur per alios id præſtare, at melius id præſtabitur per Principes qui curent res vt proprias, quam per vicarios, qui vt alienas.

Secundò, quia Deus in Eccleſiâ vtriuſque teſtamenti hoc inſtituit regimen. Habuit enim populus Hebræus ſemper vnum ſiue Ducem, ſiue Iudicem, aut Regem: quod ad monarchiam ſpectat: habuit præterea multos Principes minores Exodi [a] decimo octauo: Denique ex omni plebe, non ex aliqua ſpeciali tribu principes aſſumebantur. Probaturi autem ſumus in Eccleſia noui Teſtamenti eſſe ſummi Pontificis monarchiam: eſt etiam Epiſcoporum Ariſtocratia, ac demum ſuum locum in ea habet Dimocratia, quod nullus ſit ex Chriſtiana multitudine qui ad Epiſcopatum vocari non poſſit, ſi tamen dignus ſit.

[a] *v.25. quod ſpectat ad Ariſtocratiam.*

PROPOSITIO TERTIA.

Circunſtantijs ſecluſis Monarchiam ſimplicem abſolutè, & ſimpliciter excellere.

CAP. IIII.

PROBATVR primò: ea de cauſa mixtum regimen inter homines Monarchiæ ſimplici anteponitur, quod nequeat vnus homo omnibus locis adeſſe, & neceſſario cogatur adminiſtrare per vicarios, vel principes. Secluſa ergo hâc circunſtantiâ, & ſi quæ ſint aliæ huius generis, nulla erit ratio, cur ſimplex Monarchia alijs formis regiminis non præferatur.

Secundò, debent Deo, & Chriſto optima quæque attribui. At Monarchia ſimplex in imperio Dei, & Chriſti locum habet, ergo eſt optima omnium regiminis formarum. Ex quibus apparet falſam eſſe [a] Caluini ſententiam.

[a] *Inſtit. 20. §. 6. edition. anni 1554. qua Ariſtocratiam ſecluſis circumſtantijs præfert alijs formis regiminis.*

Debeatne regimen Eccleſiaſticum eſſe monarchicum.

CAP. V.

IN tribus nobis cum aduerſarijs conuenit. Primò, [a] in Eccleſia eſſe aliquod regimen. Secundo, [b] illud eſſe ſpirituale, diſtinctum à politico. Tertiò regem abſolutum, & liberum totius Eccleſiæ ſolum Chriſtum eſſe: Itaque non quæritur in Eccleſia, abſoluta & libera

[a] *Canticor. 6. v. 3. Actor. 20. v. 28. Hebræor. 13. v. 17.*
[b] *tempore enim Apoſtol. aut nulli, autrari erant principes ſæcular. in Eccleſia.*

& libera gubernatio: sed qualis esse potest ministrorum, & dispensatorum.

Aduersarij existimant regimen Ecclesiasticum hominibus commissum à Christo, esse Aristocraticum, & Democraticum: quamuis non satis inter se conueniant: Illyricus enim qui docuerat Centur. [c] prima totam Ecclesiasticam authoritatem tum in ministris, tum in populo esse: Libro *de Episcop. electione*, summam potestatem attribuit multitudini totius Ecclesiæ atque primas partes, Aristocratiæ verò secundas, id est, cætui seniorum. [d] Caluinus contra summam in Ecclesia potestatem tribuit cætui seniorum, cui vult Episcopum [e] præesse: plebi tribuit equidem aliquid, sed minus. [f] Brentius concedit summam potestatem optimatibus, non Episcopis, sed principibus sæcularibus. Doctores [g] autem Catholici regimen dumtaxat volunt esse Monarchicum, mixtum ex Aristocratia, & Democratia.

[c] *lib. 2. cap. 7.*

[d] *4. cap. 11. §. 6. Instit.*

[e] *vt Consulem Senatui ac maiorem esse authoritatem cætus seniorum quàm Episcopi.*

[f] *in Prolegomen. contra Petrum à Soto.*

[g] *D. Thom. 4. contra gent. 76. Turrecrem 1. de Eccles. 2. Sanderus lib. de visibili Monarchia.*

PRIMA PROPOSITIO.

Ecclesiæ gubernatio non est Democratia.

CAP. VII.

PROBATVR Primò vbi est popularе regimen hæc quatuor inueniuntur: primo Magistratus [a] ab ipsa plebe creari & ab eâ authoritatē sumere: [b] secundo appellari à magistratu ad plebem in rebus grauioribus: tertio, [c] leges quidem à magistratu proponi, sed à populo iuberi, quartò [d] accusari solent magistratus ad populum, & puniri etiam morte, si ita populo videatur. Sed horum nihil competit Christianæ plebi,

[a] *Tullius in 2. Agrariæ.*

[b] *Vide Liuium lib. 2. & 4. & Plutarch. in Solone.*

[c] *Liuius lib. 3.*

[d] *Liuius lib. 2.*

non primum, quia non solum nullum inuenitur verbum in scriptura quo detur authoritas plebi Episcopos vel presbyteros creandi: Sed [c] constat primos Episcopos scilicet Apostolos fuisse à Christo constitutos : ab his [f] proximè sequentes, & sic deinceps. Episcopis autem interesse presbyteros creare, cõstat ex primo ad Titum, vers. quinto.

Non secundum: nusquam enim auditum fuit ab Episcopis ad populum appellari, populum absoluisse quos Episcopi ligauerant, vel ligasse quos soluerant, aut iudicasse aliquando de controuersiis fidei. Sed è contra sunt [5] quamplurima Scripturæ & Conciliorum ac PP. testimonia, quibus probatur non licere plebi Christianæ exercere iudicia Ecclesiastica.

Non tertium; Omnes enim leges Ecclesiasticæ inueniuntur latæ aut à Pontificibus, aut à Conciliis.

Non quartũ. Nullus enim potest ostendi Episcopus qui à populo fuerit depositus vel excõmunicatus, cum plurimi inueniantur depositi & excõmunicati à summis Põtificib. & Conciliis.

Secundò probatur, nõ est credibile Christum instituisse in Ecclesia regimen omnium deterrimum. Hoc autem est Democratia vt ex antiquis philosophis [h] Platone [i] Aristotele, ex PP. [k] Ambros. [l] Hierony. & [m] Chrysost. patet, & ratio conuincit. Non potest enim non esse regimen pessimum vbi sapientes reguntur à stultis, periti ab imperitis, boni à malis, vbi autem viget Democratia plurium suffragiis omnia constituuntur, at semper plures sunt stulti quam sapientes, mali quam boni, &c.

Denique si plebs habet aliquam authoritatem gubernandi in Ecclesiâ, vel hanc à se, vel ab alio habet, non à se, hęc enim authoritas non est de iure naturæ, vel gentium : sed diuino, & supernaturali. Nõ ab alio: haberet enim à Deo,

[c] *Marc.6.v.7.*

[f] *vt patet etiam ex ipsis Centuriatis Centur.1.lib.2.cap.2.col 15.& cap. 10. col. 624. Irenæus lib.3.cap.3. Linum à Petro, & Paulo. Tertullianus de præscript. Clementem à Petro Euseb. 3.cap.4. hist. Tim. & Titum à Paulo factum Episcopum docent.*

[5] *Vide q. de Iudice Ecclesiastico & qq. de Conciliis.*

[h] *in Axiocho. Quis beatus esse possit vulgi viuens arbitrio, tametsi faueatur ei plaudatúrque.*

[i] *8.Eth.10.*

[k] *5.Hexamer. 21.*

[l] *in 21. Matth.*

[m] *hom.2. in Ioannem.*

ſed neque aut ſcripturis aut traditione probari poteſt à Deo habere ſed ſemper in ſcripturis populus vocatur Grex qui paſci debeat, igitur, &c.

Obiicitur primo illud Mat. [n] decimo octauo: *Dic Eccleſiæ*: quo videtur ſummum tribunal Eccleſiæ penes fidelium vniuerſitatem eſſe.

[n] *verſ.17.*

Reſpondeo: per Eccleſiam, intelligi eos qui publicam perſonam Eccleſiæ gerunt. Nec enim vſquam viſum eſt aliquem criminoſum cauſam dixiſſe apud populum, ſed benè apud Epiſcopum, vel Epiſcopos.

Secundo, ex ſcripturis conſtat [o] Matthiam fuiſſe à tota Eccleſiâ electum, item ſeptem [p] Diaconos, & PP. paſſim docent Epiſcoporum electionem ad populum pertinere.

[o] *Actor.1.* [p] *cap. 6.*

Reſpondeo quidquid ſit de illis exẽplis, ſi populus aliquando habuit aliquid in electione Epiſcoporum, id nihil aliud fuiſſe quam deſignare, ſiue vt veteres loquuntur poſtulare eos, quos [q] ordinari cupiebat ab Epiſcopis: hoc autem non eſt creare, aut eis aliquam poteſtatem tribuere. Deinde etiamſi crearent, vt tamen eſſet regimen Democraticum requireretur vltra, vt ſumma poteſtas penes populum remaneret. Nam primi reges à populo, & imperatores Romani à militibus creati fuere, & tamen vtrinque fuit Monarchicum regimen, plebs autem fidelium nuſquam habuit aut habet ſummam in Eccleſia, poſt Chriſtum, poteſtatem.

[q] *Vnde Actor.6. v. 3. Conſiderate viros boni teſtimonij, quos conſtituamus ſuper hoc opus. & Cyprian.3.epiſt. 9. Apoſtolos Dominus elegit, Diaconos Apoſtoli ſibi conſtituerunt.*

Tertiò: [r] Cyprianus ſcribens de quibuſdam turbulentis, *interim* (inquit) *prohibeantur offerre, acturi, & apud nos, & apud plebem vniuerſam cauſam ſuam.* Et [s] Ambroſ. *Iſte populus* (inquit) *iudicat.*

[r] *3.Epiſt.14.* [s] *Epiſt.32.*

Reſpondeo Cyprianum [t] conſueuiſſe omnia maiora negotia tractare coram populo, & clero, ac nihil agere ſine eorum conſenſu, ſed hoc

[t] *vt patet lib.3. Epiſt.10. Ego à primordio Epiſc. mei ſtatueram nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis, mea priuata ſententia gerere.*

faciebat sponte suâ, nec propterea erat subiectus illis sicut nec [v] Assuerus suis sapientibus: Et quamuis se subiecisset illis Cyprian. non tamen potuisset legem præscribere toti Ecclesiæ. Ambros. autem loquitur de iudicio priuato, & non de publico quod authoritatem habeat cæteros obligandi, *veniant* (inquit ibidem) *plane si qui sunt ad Ecclesiam, audiant cum populo, non vt quisque iudex resideat, sed vnusquisque de suo effectu habeat examen.*

[u] 1. *Esth.* 1. *v.* 13.

SECVNDA PROPOSITIO.

Ecclesiasticum regimen non esse penes Principes sæculares.

CAP. VII.

PROBATVR primò, Principes sæculares non sunt optimates Ecclesiæ, ergo ad eos non spectat Aristocratia Ecclesiæ: vtrũque est contra. Brentium Antecedens probatur. Tum quia [a] Dauid, in spiritu Prophetico non alios agnouit Principes Ecclesiæ, præter Episcopos, *Pro patribus tuis* (inquit) id est, Apostolis, *nati sunt tibi filij*, id est, fideles multi, quos Deus condidit Episcopos, & eo modo Principes super omnem terram: ita [b] Aug. exponit, ita Hierony. Tum quod [c] Apostolus testatur Deum posuisse primò in Ecclesia sua Apostolos, (& proinde non Reges & Principes sæculares) Apostolis autem Episcopi succedunt, non reges, & sæculares principes: Tum etiam quod [d] Ignatius doceat nihil esse honorabilius in Ecclesia Episcopo, & primum honorem deberi Deo, deinde Episcopo:

[a] *Ps.* 44. *v.* 17.

[b] *in hunc locum.*

[c] 1. *Corinth.* 12. *v.* 28.

[d] *Epist.* 7. *ad Smyrnens.*

tertium Regi, idem [e] Nazianz. atque [f] Chryſoſtom. [g] Gelaſ. [h] Gregor. [i] Nicolaus primus. Deinde id patet ex praxi. [k] Fabianus Papa Philippum imperatorem à communione excluſit: [l] Ambroſ. Theodoſium à liminibus Eccleſiæ, publicamque pœnitentiam ſubire coegit: [m] Conſtantinus aperte profeſſus eſt de Epiſcopis ſe iudicare nõ poſſe, ſed potius eorũ ſe ſtare ſubiectum iudicio. Præterea, [n] *Sine contradictione minor à meliore benedicitur*: Sed Epiſcopus inungit, docet, ligat, ſoluit, benedicit, Regem: Denique Principatus ſæcularis, & Eccleſiaſticus ſunt omnino diuerſi, quomodo ergo Principes ſæculares, vt ſæculares, erunt Eccleſiæ principes? ſæcularis, ab hominibus & de iure gentium eſt, regit homines vt tantum homines, finis eius eſt pax temporalis vtitur legibus naturalibus, inſtitutiſque humanis, & cum paucis hoſtibus bella gerit. Eccleſiaſticus à ſolo Deo eſt, & de iure diuino, regit homines vt Chriſtiani ſunt: finis, vita, paxque ſempiterna, diuis legibus atque Sacramentis vtitur, atque bella tractat cum innumerabilibus & inuiſibilibus hoſtibus.

[e] *orat. ad ciues timore perculſos.*
[f] *3. de Sacerdotio.*
[g] *Ep. ad Anaſtaſ.*
[h] *14. Moral. 19.*
[i] *Epiſt. ad Michaelem Imperatorem.*
[k] *apud Euſeb. 6. c. 25. hiſtor.*
[l] *Theodor. 5. hiſt. 17.*
[m] *Ruffi. 1. hiſt. 2.*
[n] *Hebr. 7. v. 7.*

Obiicit Brent. Paulum [o] ſe vocare fidelium ſeruum quanto magis regum, quibus tanquam præcellentibus iubet obediri [p] Petrus.

[o] *2. Corinth. 4. verſ. 5.*
[p] *1. Petr. 2. v. 13.*

Reſpondeo duplex eſſe genus ſeruitutis, omnes ſiquidem qui laborant in alterius commodum, ei ſeruire dicuntur, vnum eorum qui ſeruiunt aliis eos regendo, atque præſidendo: alterum eorum, qui obediendo, & parendo: Prioris generis ſunt Epiſcopi Eccleſiæ ſerui. Nam & quorum ſe ſeruum dixerat Paulus, eorum ſe eſſe rectorem docet cum ait, [q] *Quid vultis? in virga veniam*, &c. & Actor. vigeſimo ait Spiritum ſanctum *poſuiſſe Epiſcopos regere Eccleſiam* Dei: poſterioris generis, ſerui, mancipia ſunt, &c. Reges autem præcellunt equidem, ſed tan-

[q] *1. Corinth. 4. verſ. 21.*

tum in iis quæ inter fideles ad ſtatum politicum pertinent: præſunt enim Chriſtianis, non inquantum Chriſtiani ſunt, ſed in quantum homines: in rebus autem Eccleſiaſticis, & in quantum reges Chriſtiani ſunt, Epiſcopis ſubiiciuntur. Iam ergo probato antecedente, conſequēs manifeſtè verum erit, primò inde.

Secundò, Regimen Eccleſiæ ſupernaturale eſt, nemini igitur conuenit, niſi cui Deus commiſit: legimus autem in ſcripturis commiſſum illud Apoſtolis, ac eorum ſucceſſoribus, ſcilicet Epiſcopis, de regibus autem nihil ſimile nec ſcriptura neque traditione habetur, igitur, &c.

Tertio ad annos trecentos à Chriſto nato negari non poteſt quin fuerit in Eccleſia regimen perfectum quod ei debetur: Sed per id tempus excepto Philippo imperatore, & fortè quibuſdam aliis in prouinciis non ſubiectis imperio Romano, nullus fuit Princeps ſæcularis in Eccleſia: igitur Princeps ſæcularis non eſt reginem Eccleſiæ.

Quartò, qui habent ſummam poteſtatem in Republicâ, poſſunt omnia quæ inferiores magiſtratus poſſunt: quid enim prohiberet regem cauſas cognoſcere, & iudicare ſi vellet, quas inferioribus iudicibus commiſit. At non poſſunt reges præſtare Epiſcoporum officia, vt prædicare, conſecrare, &c. Nam regiam dignitatem etiam mulieres conſequi poſſunt, at illas [r] prohibet Paulus publicè docere. Deinde in veteri Teſtamento, diſtincta erant officia Sacerdotis, & regis, vt patet ex ſecundo [s] Paralipomen. cúmque Ozias [t] Rex vellet adolere thus prohibuit Pontifex, dicens, *Non eſt tui officij Ozia, &c.* Et cum perſiſteret, lepra percuſſus eſt. Item in Synodo [u], Matiſconenſi puniuntur grauiſſimè clerici, qui cauſam Eccleſiæ ad iudicem ſæcularem deferunt. Et Ambroſ. [x] *Purpura* (inquit) *Imperatores facit, non ſacerdotes.* Idem

[r] 1. *Cor.* 4. *v.* 34.

[s] 19 *v.* 10. *&* 11.

[t] 2. *Paral.* 26. *poſt medium.*

[u] *can.* 9. *Milenit. can.* 19. *Toletan.* 3. *can.* 13.

[x] *Epiſt.* 33.

y Athanaſ. z Aug. a & Gregor. b docent.

Obiicit c Brentius exemplum Moſis, Ioſuë, Dauidis, Salomonis, & Ioſiæ qui ſe negotiis Eccleſiaſticis miſcuerunt. Id confirmat, quòd Regibus à Deo fuit commiſſa legis diuinæ cuſtodia cum dicit Paulus, *Non ſine cauſa gladium portat. Miniſter enim eſt*, &c.

Reſpondeo, Moſem ſummum ſacerdotem fuiſſe: cæteros id extraordinaria authoritate egiſſe, non tam vt reges, quam prophetas: nec paucorum priuilegia poſſunt infringere legem, quâ in dubiis religionis d remittebantur homines ad Sacerdotem. Reges autem equidē ſunt legum diuinarum cuſtodes, ſed non interpretes, ſicut enim ipſorum eſt impedire blaſphemias, hæreſes, &c. ſic eorum eſt ab Epiſcopis diſcere quæ ſint hæreſes, & quæ orthodoxa fides.

y *Epiſt. ad ſolitariam vitam agentes. in Epiſt. Hoſii ad Conſtantium Imperatorem, poſt mediū & iterum poſt vnā paginam.*

z *Epiſt.* 48. 50. & 165.

a 5. *Epiſt.* 25.

b *Cuius opinio & Henrici* 8. *Angli eſt contraria noſtræ.*

c *Rom.* 13. *verſ.* 4. εἰ δὲ τὸ κακὸν ποιῇς, φοβοῦ· οὐ γὰρ εἰκῇ τὴν μάχαιραν φορεῖ· θεοῦ γὰρ διάκονός ἐστιν.

d *Deuter.* 17. *a verſu* 9.

TERTIA PROPOSITIO.

Non eſſe Eccleſiaſticum regimen præcipuè penes Epiſcopos.

CAP. VIII.

PROBATVR primò. Quia nuſquam legimus in ſcripturis collatam fuiſſe ſummam Eccleſiæ poteſtatem Sacerdotum Cōcilio. Quæcumque enim authoritas Apoſtolis cæteriſque diſcipulis conceſſa fuit à Chriſto: non ſolum omnibus, ſed etiam ſingulis ſeorſum in ſolidū cōceſſa eſt, neque ad eam exercendam erat neceſſe, vt ſimul conuenirent. Math. quidem decimo octauo, cum ait Chriſtus, *vbi fuerint duo vel tres*, &c. videtur aliquid Concilio tribui, verum hîc non explicatur quæ ſit Concilij

poteſtas ſummane an mediocris, an infima: nec Caluinus, contra quem eſt præcipuè hæc propoſitio, adeo [a] magni facit hunc locum.

[a] 4. *Inſtit.* 9. §. 2.

Secundò, ſi penes optimates eſſet ſummum Eccleſiæ regimen, ſequeretur Eccleſiam ferè ſemper carere rectoribus, qui eam adminiſtrare poſſent: & proinde habere rempubl. omnium miſerrimam. Optimates enim cum ſint pares inter ſe, nequeunt commune bonum vt par eſt adminiſtrare, niſi vel congregati ſint vel aliquem eligant qui nomine omnium præſit, vt Conſules inter Romanos. Sed rariſſimè congregantur optimates Eccleſiæ ad generale Cõcilium. Primis enim trecentis annis nulla fuit congregatio generalis, poſtea vix centeſimo quoque anno. Magiſtratum autem cui Eccleſia vniuerſa ſaltem ad tempus pareret, nuſquam optimates iſti crearunt ſi creditur aduerſarijs: Is enim fuiſſet vnus ex primarijs quinque Patriarchis. At Romanum nuſquam hanc habuiſſe poteſtatem aduerſarij contendunt: de cæteris eſt res certiſſima, nuſquam enim vllus eorum habuit ius in aliorum regiones.

Tertio, ſi eſſet in cætu optimatum ſumma poteſtas quo numeroſius cogeretur Concilium eo maioris eſſet authoritatis: ſed Ariminenſe Epiſcoporum Sexcentorum, nullius vnquam fuit authoritatis Conſtantinopolitanum quinquaginta & centum, ſummæ ſemper authoritatis fuit: Nec dicas primum erraſſe, alterum non: quæritur enim: quare illud errauerit, cum ſit numeroſius, & vbi maior numerus, debeat eſſe maior authoritas, ſi ad optimates ſpectat ſumma authoritas.

Quartò, tametſi Democratia ſit abſolutè regimen peſſimum, tamen Eccleſiæ perniciofior eſſe videtur Ariſtocratia. Si quidem grauiſſimũ Eccleſiæ malum eſt hæreſis: hæreſes autem ab optimatibus potius quam à plebeis excitantur:

sunt enim quasi optimatum factiones, sine quibus nullæ essent in populo seditiones. Quare Heresiarchæ ferè omnes aut Episcopi aut Presbyteri fuerunt: factiones autem nunquam facilius, & frequentius oriuntur quam cum [b] optimates regnant. [b] *vt etiam fatetur Caluin. 4. Inst. 10. §. 8.*

Obijcitur primò, controuersiam primam in Ecclesia exortam, non ab vno aliquo iudice summo definitam fuisse, sed à [c] Conuentu seniorum, & Apostolorum. [c] *Actor. 15.*

Respondeo definitam quidem fuisse illo communi consensu: sed præsidente summo capite, scilicet Petro, nec enim Petrus in aliena diœcesi & Episcopo præsente Iacobo loqui primus ausus fuisset, nisi ipse toti Concilio præfuisset. Monarchiæ autem non repugnat quod aliquid in publico conuentu statuatur communi principium concilio, & consensu, vt fit in Comitijs Imperialibus.

Secundo Paulus [d] docet posuisse Spiritum sanctum Episcopos regere Ecclesiam Dei: & [e] Petrus non se summum, sed tantùm consenio-rem Episcopis & Presbyteris appellat; quibus ait [f] interesse pascere gregem Domini. [d] *Actor. 20.* [e] *1. Petri. 5. v. 1.* [f] *vers. 2.*

Respondeo, nos non negare quin Episcopis, & presbyteris conueniat regere, & pascere Ecclesiam: sed quæstio est de summâ Ecclesiæ potestate. Quod autem Petrus non se summum nominauit id fecit humilitatis & benignitatis gratia, sicut non raro Rex solet vocare Principes sibi subditos fratres suos vel socios, se autem conseniórem vocauit quia etiam & presbyter, & Episcopus erat.

Tertio [g] Cyprianus ad Clerum, *Quæres* (inquit) *cum omnium nostrum consilium, & sententiam spectet: præiudicare ego, & solum mihi rem omnem vendicare non audeo*: & [h] Ambros. *Et Synagoga* (inquit) *& postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur.* Denique [i] Hierony. [g] *3. ep. 19.* [h] *in 5. cap. 1. ad Timoth.* [i] *in 1. ad Titum.*

Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent & diceretur in populis: Ego sum Pauli, Ego Apollo, Ego verò Cephas: communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam verò vnusquisque eos quos baptizauerat, suos putabat esse non Christi, in toto orbe decretū est, vt vnus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & Schismatum semina tollerentur. Ex quibus patet, initio viguisse in Ecclesia Aristocratiam. Respondeo ad Cypr. vt supra cap. 6. in Resp. ad 3.

Ad Ambros. non magis ex illius verbis probari posse Aristocratiam Ecclesiasticam, quem ex senatu, & consilio regio nullam esse Monarchiam in regnis. Deinde quod prisci illi Episcopi sine presbyterorum cōsilio nihil agerent: vtile, ac salutare, non tamen necessarium fuisse, vel eo intelligi potest quod id Ambrosij tempore non fiebat, cum tamen Ecclesia non interiisset.

Ad Hieronynum videtur quidem velle iure tātum Ecclesiastico Episcopos presbyteris esse maiores, quod aliàs refelletur. Interim tamen nihil Caluini Aristocratiam Presbyterorū iuuat. Non enim ait, in primâ Ecclesiâ viguisse Aristocratiam illam, & paulatim abusu Monarchiam introductam, sed Aristocratiam quæ initiò erat, cum malè succederet, quod multa pareret incommoda mutatam consensu communi totius Ecclesiæ in Monarchiam, eo ipso-met tempore, quo cæpit dici, *Ego sum Pauli, ego Apollo*, id est, ipso tempore nascentis Ecclesiæ. Nam & ipse [k] Hierony. fatetur Iacobum statim à passione Domini creatum ab Apostolis Episcopum Hierosolymitanum: Adde Hieron. non loqui de regimine vniuersalis Ecclesiæ, sed solum particularium, quod nihil officit propositioni nostræ.

[k] *lib. de viris illustribus in Iacobo.*

QVARTA PROPOSITIO.

Regimen Eccleſiaſticum præcipue Monarchicum eſſe.

Cap. IX.

PROBATVR primò, tum quod ſi neque Ariſtocraticum ſit, neque Democraticum, reſtet vt ſit Monarchicum: tum quod Monarchia ſit omnium optimum regimen, & proinde quòd Chriſtus in gubernatione ſuæ Eccleſiæ inſtituerit. Verùm [a] Caluinus occurrit, & negat inde ſequi, deberi ab vno aliquo homine regi Eccleſiam, cum Chriſtus ſit eius Monarcha: Sed hoc nonobſtante, eget tamen Eccleſia vno aliquo viſibili iudice ſummo à quo viſibiliter lites de religione exortæ componantur, quique omnes inferiores præfectos in officio contineat. Alioqui, non ſolùm ſummus Pontifex, ſed etiam epiſcopi, ac doctores omnes ſuperuacanei eſſent, nam Chriſtus & [b] Epiſcopus, & [c] Doctor noſter eſt.

[a] *4. Inſtit. 6. §. 9.*

[b] *1. Petr. 2. v. 25.*
[c] *ſiue magiſter.*

Secundò, Eccleſia beatorum Angelorum eſt exemplar, & quaſi idea quædam Eccleſiæ militantis: At inter Angelos præter ſummum regem Deum, eſt vnus qui omnibus aliis præſit. Et quidem initio fuiſſe eum qui nunc Diabolus dicitur, teſtantur multi PP. [d] nunc verò eſſe Sanctum Michaëlem colligitur ex Apocalyp. cum dicitur [e] *Michael, & Angeli eius:* Quid eſt enim, niſi Michaël, & exercitus eius, ei ſcilicet ſubiectus, quomodo dicitur ibidem, *Diabolus & Angeli eius.*

[d] *Tertull. 2. contr. Marcion. Gregor. homil. 34. in Euang. Iſidor. 1. de ſummo bonor. 12.*
[e] *Apocal. 12. v. 7.*

Tertiò Eccleſia Teſtamenti veteris fuit

Ecclesiæ noui figura: at in veteri testamento semper fuit vnus qui omnibus præerat in iis quę ad legem & religionem pertinebant: præsertim ab egressu ex Ægyto, quo cæpit populus gubernari legibus, & magistratibus, nec id aduersarij negant.

[f] 4. cap. 6. insist.

Respondet [f] Caluinus, primo, non eandem esse rationem vnius exigui populi Iudaici, & vniuersi orbis Christiani: quia *Debuit* (inquit) *vnus populus Iudæorũ obsessus circumcirca ab idololatris habere vnum summum principem qui omnes in vnitate contineret, ne variis religionibus distraheretur. At populo Christiano toto orbe diffuso vel dare vnum caput absurdissimum est sicut non propterea debet totus mundus committi vni homini, quia vnus ager ab vno homine colitur.*

Secundo ait Caluin. Aaron figuram gessisse non Pontificis Testamenti noui, sed Christi.

Sed prior responsio est contra Caluin. Nam ibi magis requiritur vnum caput, vbi difficilius seruatur vnitas, & maius instat periculum ne distrahatur populus varijs religionibus: hoc autem euenit vbi multitudo maior, & plures sunt fidei hostes: multitudinem autẽ Ecclesiæ Christianorum maiorem esse multitudine illâ Iudaici populi satis patet, & plures habere quam illa hostes habuerit: non solum enim versatur inter idololatras, Turcas, Iudæos, *&c.* sed etiam inter innumeras hæreticorum sectas.

Secunda solutio nihil officit. Nos enim non tam vrgemus figuram Aaronis, quam totius veteris Testamenti. Deinde sicut sacrificia veteris legis, & sacrificium crucis significabant & illud quod nunc offertur in Ecclesia, teste [g] Augustino, sic Aaron non solùm Christi, sed Petri quoque ac successorum eius figuram gessit: eadem enim sacrificij, & sacerdotij est ratio.

[g] 2. contr. Faustum 18.

[h] Cantic. 6, v. 9.
[i] cap. 7.

Quartò, in scripturis Ecclesia comparatur [h] *Exercitui ordinato*, *Mulieri* [i] *speciosæ ac sponsæ.*

Regno, [k] *Ouili*, [l] *Domui*, [m] *& Naui* [n] *seu arcæ Noë*. At in omni exercitu ordinato est quidam dux generalis etiam præter Regem, mulier siue sponsa secluso etiam sponso suum caput habet. vnde Cantic. septimo inter alia sponsæ membra numeratur caput. *Caput* [o] *tuum* (inquit sponsus ad sponsam) *sicut Carmelus*. Et sponsa de sponso. *Caput* [p] *eius aurum optimum*: in regno est Rex & in eius absentia visibili Prorex, sæpè etiam præsente est quidam generalis vicarius. In ouili vnus debet esse visibilis Pastor: in domo vnus Oeconomus, in naui vnus gubernator. Nisi enim in his esset qui visibiliter præesset, quique quid faciendum, diceret, & ostenderet, omnia essent incertitudine & confusione plena: Igitur vt comparatio quadrare possit, erit in Ecclesia vnus Imperator, Caput, Prorex, Pastor ac Gubernator visibilis, cui obediant cæteri fideles.

[k] *Daniel 2. v. 44.*
[l] *Ioan. 10. v. 16.*
[m] *1. Timoth. 3. v. 15.*
[n] *1. Petr. 3. ad finē.*
[o] *vers. 5.*
[p] *cap. 5. v. 11.*

Quintò Ecclesia, quæ nunc est, eadem ciuitas Dei est, ac quæ initio erat. Sed initiò gubernatio eius, erat visibilis Monarchia: Ergo etiam nunc: nec enim eadem ciuitas remanere potest nisi remaneat idem gubernandi modus, quo mutato, & mutatur ciuitatis species, teste [q] Aristotele in Politicis.

[q] *3. Politic. 2.*

Sextò, in locis singulis rectè constituuntur singuli Episcopi, qui cæteris omnibus eius loci ministris & pastoribus præsit: rectè in prouincijs singulis singuli Metropolitani, & in maioribus vrbibus Primates seu Patriarchæ, igitur æquum est vt sit etiam vnus aliquis qui toti Ecclesiæ præsit: tum quia nulla est ratio quare partes Monarchicè totum vero Aristocraticè gubernaretur: tum quia ideo Parochis Episcopus, Episcopis Archiepiscopus, Archiepiscopis Patriarcha præest, vt vnitas conseruetur melius, & lites faciliùs componantur, at hæc ratio suum

etiam pondus habet in generali Ecclesiæ regimine.

[r] *4.Instit.4.§.2.*

Nec valet quod ait [r] Caluin. scilicet Episcopos presbyteris, Episcopis Archiepiscopos, *&c.* maiores esse honore, non authoritate: dignitate, non potestate: omnis enim iudex maior est potestate, eo qui iure, eius iudicio subditur: maior etiam ille potestate, qui de alterius subiecto disponere potest, altero inuito. Sed Episcoporum iudicio presbyteri iure subijciuntur, ex prima ad [s] Timoth. & [t] Antiocheno Concilio. In [v] Carthaginensi vero asserunt Patres licere Primati ex quauis Diœcesi Episcoporum, assumere clericos ad Episcopatū, inuito Episcopo, cui clericus ille subiectus est. Adde S. [x] Leonem apertè docere, omnes Episcopos non esse potestate pares. Igitur, *&c.*

[s] *cap.5.v.19.*
[t] *Can.16.*
[u] *3.cap.45.*
[x] *Epist.ad Anastasium Thessalonicens.84.*
[y] *Matth.24.v.14.*

Septimò Ecclesia semper creuit, & [y] crescere debet, donec in toto mundo prædicatum sit Euangelium. At non potest id fieri nisi sit vnus summus Ecclesiæ Præsul, cui solicitudo incumbat totius huius corporis conseruandi, & propagandi. Nam nemo debet prædicare nisi mittatur, mittere autem in alienas prouincias non est Episcoporum particularium: habent enim suos certos fines extra quos nullum ius habent. Igitur, *&c.*

[z] *Ephesior.4.v.5.*

Octauo, necesse est omnes fideles idem omnino sentire in rebus fidei, est enim [z] *vnus Deus, vna fides,* &c. At vna fides in Ecclesia esse non potest, nisi sit vnus summus iudex, cui omnes ex imperio acquiescere teneantur. Quod certè satis docet dissentio ipsa Lutheranorum, & ratio suadet: cum enim multi sint pares, vix fieri potest, vt in rebus obscuris & difficilibus vllus velit alterius iudicium suum anteponi. Nec dicas terminari posse quæstiones de fide à Concilio generali, quod omnes maiori parti Episcoporum acquiescere teneantur. Nam experien-

tia comprobatum est etiam maiorem partem Episcoporum secluſa authoritate ſummi Paſtoris errare poſſe. Adde non ſemper poſſe cogi generalia Concilia.

Primo obijcit [a] Caluin.illud [b] Euangelij, *facta est contentio inter eos quis eorum videretur esse maior. Dominus autem ait, Reges gentium dominantur eorum: Vos autem non sic.* Ergo Monarchiam remouet ab Eccleſia Chriſtus.

Reſpondeo hoc loco,& [c] ſimili; Dominum potius inſtituere Monarchiam, monere tamen diuerſam eſſe à Monarchia ciuili gẽtium. Tum quia non ait vos non præſidebitis vllo modo, ſed,non ſic vt reges gentium. Qui autem dicit, tu non ſic præeris vt ille, nonne ſignificat præeris quidem ſed aliter quam ille. Tum quod ſubiungit,*Qui inter* [d] *vos maior est, fiat sicut minor, & qui præcessor ἡγούμενος (Dux,princeps) sicut ministrator*, vnus igitur erat à Domino dux deſignatus: denique quod ſe Dominus in exemplum adduxerit, *sicut* [e] *ego* (inquit)*non veni ministrari*, &c. veluti ergo Chriſtus etſi miniſtraret & laboraret,tamen verè præerat,ita quoque vult vnum ex ſuis verè præeſſe, ſed abſque libidine dominandi, qualis eſt in regibus gentium quique Eccleſiam adminiſtret non tanquam hæreditatem quam poſſit cui voluerit relinquere, ſed tanquam amplam familiam cui Oeconomus præſit,non lucrum & honorem quærens ſed commodum eorum qui in familia ſunt, & ideò præter cæteros laboret.

Secundò [f] Apoſtolus Epheſ. 4. delineauit nobis Eccleſiaſticam Hierarch. Chriſti in terris, *Et* [g] *ipse* (inquit) *dedit quosdam quidem Apostolos*, &c. ibi autem nullam mentionem facit vnius capitis. ſed multis in commune traditur regimen Eccleſiæ. Item *vnum* [h] *corpus, & vnus spiritus, &c. non dixit vnus pontifex maximus.* Denique. *Vnicuique* [i] *nostrum* (inquit) *data est gra-*

[a] 4.*cap.*20. §.7. *Inſtit.*

[b] *Luc.*22.*verſ.*24. ἐγένετο δὲ καὶ φιλονεικία ἐν αὐτοῖς τὸ τίς αὐτῶν δοκεῖ εἶναι μείζων. 25. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς οἱ βασιλεῖς τῶν ἐθνῶν κυριεύουσιν αὐτῶν, &c. *v.* 26. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως.

[c] *Math.*20.*v.*25. & 26.

[d] *Luc.*22.*v.*26. *Math.*20.*v.*26. & 27.

[e] *Luc.*22.*v.* 27. *Math.* 20.*v.* 28.

[f] *Inſtit.*4.*cap.*6. §.1.

[g] *v.* 11.

[h] *v.* 4. ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα καθὼς καὶ ἐκλήθητε ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν.

[i] *verſ.*7. ἑνὶ δὲ ἑκάστῳ ἡμῶν ἐδόθη ἡ χάρις κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ.

tia secundum mensuram donationis Christi, non dixit, vni data est plenitudo potestatis, & vt vices Christi gerat.

Respondeo Pontificem summum contineri in illis verbis, *ipse dedit quosdam Apostolos*, & clarius [k] Corinth. *ipse posuit in Ecclesia primum Apostolos*. Si quidem summa potestas Ecclesiastica, non solùm data est Petro, sed etiam aliis Apostolis: sed Petro vt ordinario pastori cui perpetuò succederetur, aliis vt deligatis cui non succederetur, vnde solus Romanus Episcopus, vocatus [l] est Apostolicus Pontifex, & sedes eius Apostolicâ simpliciter, & per antonomasiam. Potest etiam responderi Apostolum hoc loco non delineasse hierarchiam Ecclesiæ, sed tãtùm enumerasse varia dona quæ sunt in Ecclesia: primo enim posuit qui primi à Deo missi sunt, secundo qui futura prædicant, &c.

[k] 12.v.28.

[l] *Epist. plurimorum Episcop. Gallorum ad Leonem. 52. inter epist. Leonis. Aug epist. 162.*

Ad illud de vno corpore, &c. dico Papam in illis verbis *vnum corpus & vnus spiritus*, esse comprehensum, vt enim in corpore naturali ideo seruatur vnitas membrorum, quia omnia capiti parent, ita quoque tũc in Ecclesia seruatur vnitas, cum omnes obediunt vni. Et quamquam caput Ecclesiæ totius est Christus, tamen quia ipse à militante Ecclesia abest secundum visibilem præsentiam. Exigitur necessario vnus aliquis Christi loco. Ad illud de plenitudine potestat. nec etiam Pontificem si conferatur cum Christo accepisse plenitudinem, sed secundum mensuram donationis portionem quandam, quamuis maiorem quam alij Episcopi acceperint.

[m] *Caluin. sup. §. 9.*

Tertiò, [m] Christus est caput Ecclesiæ, ergo iniuriam facit Christo qui aliud nominat caput.

[n] *Matth. 1. v. 14.*
[o] *Ephes. 2. v. 20.*

Respõdeo, non maiorem fieri iniuriam Christo, quam cum Apostoli dicuntur *Lux*, [n] *fundamentum*, [o] & alij appellantur Episcopi pastores, doctores etsi Christus sit *Lux*, *fundamentum*,

Episcopus

& pastor ac *doctor noster*. Quia papa non dicitur caput Ecclesiæ cum Christo, sed sub Christo vt eius Minister, vnde potius hoc vergit in gloriam Christi. Omnes enim qui audiunt Papam esse caput sub Christo, cogitant caput esse longè nobilius. At (inquiũt) nusquã dicitur Ecclesia corpus Petri aut Papæ, sed tantum Christi.

Respondeo id esse, quod solus Christus sit principale caput, & perpetuum totius Ecclesiæ, vt enim regnum non dicitur proregis, sed regis, & domus non est Oeconomi, sed Domini. Sic Ecclesia non est corpus Petri aut Papæ, sed Christi.

Quartò [p] summum Pontificem totius Ecclesiæ regimen habere est impossibile, quia est hominem Deo parem facere.

[p] *ita Beza in confess. cap. 5. ar. 5.*

Respondeo fieri non posse, sine miraculo, vt vnus homo solus totam Ecclesiam per se regat, neque id vllus catholicorum docet. Vt autem vnus per multos sibi subiectos ministros id faciat & possibile est, quia si possibile fuit potentissima & amplissima sæcularia regna ab vno regi, quomodo non erit possibile hoc regimen in Ecclesia, quæ super humanam prudentiam & generalem Dei prouidentiam, specialem habet Spiritus sancti assistentiam? Et vtile est, vt patet ex superioribus, & longè commodius quam sit Democratia, & Aristocratia aduersariorum, in illa enim essent congregandi ad suffragium ferendum omnes Christiani totius mundi, in hâc omnes Episcopi & presbyteri, quod quâ ratione fieri possit non satis appareat.

Quinta, [q] Paulus. 1. [r] Corinth. Ministros omnes exæquat, & ecclesiam supra ministros esse docet, cum ait *omnia vestra sunt siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas*. Ergo nullus est qui authoritate omnes antecedat.

[q] *Synodus Smalchaldica Lutheranorum.*

[r] *3. v. 22.*

Negatur antecedens si enim ministri Ecclesiæ

essent æquales, quia Paulus eos simul annumerat, pares quoque essent duces Consules Imperatores quia [s] Chrysost. eos etiam simul annumerat: Et si Ecclesia esset super ministros, quia ministri Ecclesiæ propter Ecclesiã, populus etiã esset supra regẽ, & discipuli supra magistrũ.

[s] *homil. 83. in Mathæum.*

[t] *eiusdem Synodæ.*

Sextò, [t] Christus omnes Apostolos pariter misit cum ait, [u] *Ego mitto vos*, Non igitur vnum cæteris præposuit. Respondeo illis verbis equidem non haberi primatum: haberi tamen aliis in locis.

[v] *Ioan. 20. v. 21.*

Vltimò, si mundus debet gubernari ab vno in iis quæ ad religionem pertinent, vtile etiam esset vt regeretur ab vno in iis quę ad politiam. At hoc neque factum est vnquam, neque expedit vt fiat: vnde Augustinus. [x] *felliciores essent res humanæ si omnia regna parua essent, & concordi vicinitate lætantia.*

[x] *4. Ciuit. 15.*

Dupliciter respondeo primo negando consequentiam. Nam necessario non debet orbis terrarum, vti in Politicis ijsdem legibus & ritibus, ac vnum esse regnum. at Ecclesia necessario est vnum regnum, ciuitas, & domus, ijsdémque legibus & sacramentis vti debet. Secundo admissa consequentia, ad assumptionem fatemur id quidem nusquam factum nec expedire secundum quid, scilicet in quantum iam id nequit fieri sine magnis cladibus & vsurpatione alienorum bonorum, quomodo est intelligendus Augustinus. Simpliciter autem expedire si possit eo perueniri sine aliorum iniuriã, atque vnus summus Monarcha habens sub se veros & fideles Principes.

Probatur Petri Monarchia ex Math. 16.

CAP. X. & XI.

PRIMATVM Petri negant Hæretici ſupra citati, affirmant catholici citati. Probatur autem ex illo Math. [a] *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis.* Per Petram intelligi Petrum demonſtratur, primò, quia illud pronomen, *Hanc*, demonſtrat aliquam petram, de quâ paulo ante ſit loquutus Dominus: proximè autem Dominus vocauerat Petrum, nomine quod illi indiderat, nempe [b] Cepha petra. Ergo illud, *Hanc*, refertur ad Petrum, ita enim Chriſtus: *Tu es Cepha, & ſuper hoc Cepha*: ac ſi Latinè, *Tu es petra, & ſuper hanc petram.* Interpres tamen Latinus non poſuit, *Tu es petra*: quia ex Græco non ex Syriaco vertit, Græcus autem non habet σὺ εἶ πέτρα καὶ ἐπὶ ταύτῃ πέτρᾳ ſed σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, quoniam apud Græcos tam πέτρος quam πέτρα ſignificat lapidem: viſum eſt autem interpreti commodius homini nomen maſculinum, quam fœmininum tribuere, deinde verò ad explicandam metaphoram, ſecundo loco noluit dicere ἐπὶ τῷ πέτρῳ quod ambiguum fuiſſet, ſed ἐπὶ τῇ πέτρᾳ quod nihil aliud quam ſaxum ſignificat.

Secundò, ex conſenſu Eccleſiæ Græcor. & Latinor. Concil. Chalced. [c] appellat Petrum, petram & crepidinem Eccleſiæ. Ambroſ. [d] Origen. Homil. 5. in Exod. Athanas. [e] *Tu es Petrus, & ſuper fundamentum tuum, Eccleſiæ columnæ, id eſt Epiſcopi ſunt confirmatæ.* Baſil. 2. in Eunom. [f]

[a] *Math. 16. v. 18.* σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. *v. 19.* καὶ δώσω σοι τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν. καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. καὶ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

[b] *Syriacè* ܟܹܐܦܵܐ *Cepha qua lingua loquebatur Chriſtus. Hebraice* כֵּלַע *ſelag* [*hinc ſignificat etiam* כֵּפָא *fortitudinem & robur ac munitionem teſte R. Elias in Thesbi.*]

[c] *Act. 3.*

[d] *in Hymno laudis diei dominicæ.*

[e] *Epiſt. ad Fœlicem nomine ſuo, & Synodi Alexandrinæ* [*iuxta Bellar. non enim habetur in recentiorib. editionibus Athanaſii.*]

[f] *orat. de moderatione ſeruandâ in diſputationibus.*

Nazianz. *Petrus petra vocatur, atque Ecclesiæ fundamẽta, fidei suæ credita habet.* g Epiph. h Chrysost. *Dominus ait, tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam:* i Cyrill. k Ptell. l Theophyl. m Tertull. *Latuit aliquid Petrum, ædificandæ Ecclesiæ Petrum dictum.* n Cyprian. *Petrum Dominus primum elegit, & super eum ædificauit Ecclesiam suam,* o Hilar. *O in nuncupatione noui nominis fœlix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra,* &c. *O beatus cœli ianitor.* p Hierony. q Aug. *Petrum itaque fundamentum Ecclesiæ Dominus nominauit,* &c. r Maximus Paulinus Epist. ad Seuer. Leo ser. 2. de ann. Assump. Greg. 6. ep. 37. Erasm. tamen per Petram, intelligit omnes fideles ex s Origene: *Petra est* (inquit) *omnis qui imitator est Christi,* &c. Sed Origen. hic non explicat, nisi allegoricè locum Math. nec enim potest referri ad omnes fideles, tùm quia Christus descripsit Petrum notis aptissimis, quibus singularis persona soleat describi, tùm quod si omnes fundamentum, vbi parietes?

Caiui. u per petram Christum intelligit primò, ex Apostolo: x *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Secundò ex y Aug. *Super hanc* (inquit) *petram quam confessus es ædificabo Ecclesiam meam.* lib. 1. etiam retractat. 21. retractat quod dixerat super Petrũ ædificatã Ecclesiam. Verùm, nemo dubitat quin Christus sit Ecclesiæ principale fundamentum: nihilominus sensu literali, & immediato hîc non intelligi Christum, probatur 1. quia pronomen, *Hanc*, debet referri ad aliquid proximum, petram nominatum. 2. quia sequeretur hæc frustra dici, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus* quorsum enim? 3. quòd non dixisset Christus ædificabo sed ædifico: nam in se iam ædificauerat Apostolos.

Ad primum Caluin. Resp. loqui Apostol. de primario fundamento, alioquin secum pugna-

g *in Ancorato.*
h *homil. 55. in Matth.*
i *lib. 2. cap. 12. in Ioan.*
k *in cap 5. Cantic.*
l *in 22. Lucæ.*
m *de præscriptionib.*
n *Epist. ad Quintũ.*
o *in 16. Math.*
p *in idem.*
q *serm. 15. de sanctis.*
r *serm. 1. de SS. Petro & Paulo.*
s *Tract. 1. in Math.*

x 1. Cor. 3. v. 11. θεμέλιον ἄλλον οὐδεὶς δύναται θεῖναι παρὰ τὸν κείμενον, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς ὁ Χριστός.
y *Tract. vlt. in Ioan.*
v *4. Instit. 6 §. 6.*
x *1. Cor. 3. v. 11.*
y *Tract. vlt. in Ioan.*

ret cum cum dicat: [z] *Superædificati supra fundam. Apostolor.*

[z] *Ephesior. 2. v. 20.*

Ad 2. non reprobare nostram sent. Augustinum, sed aliâ productâ Retr. 1. cap. 12. dicere: *Harum autem duarum sententiam quæ sit probabilior, eligat lector,* deceptus autem fuit hâc aliâ senten. ob ignorantiam linguæ Hebraicè, quod fuerit ratus Dominum non dixisse: *Tu es petra, sed, tu es Petrus:* quasi Petrus non idem esset dumtaxat ac petra, sed aliquid minus: quod tamen falsum est.

Lutherani ferè omnes volunt petram, hic significare fidei confessionem. 1. Ita [a] Hilar. 6. Trinit. b Ambros. lib. 6. in Lucã. [c] Chrysost. *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, id est fidem, atque confessionem.* Cyrill. [d] *petram opinor nihil aliud quàm inconcussam, & firmissimam discipuli fidem vocauit.* 2. si super Petrum, & non fidei confess. fundata esset Ecclesia, continuò corruisset in abnegatione Petri: imò ante, cum dictum est ei *vade post me Sathana Math.* 16. *v.* 23.

[a] *super hanc confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est. Item Hæc fides, Ecclesiæ est fundamentum, &c.*

[b] *Fundamentum Ecclesiæ fides est.*

[c] *Homil. 55. in Math.*

[d] *4. Trin. lib. post initium.*

Respondeo fidem, siue confess. fidei dupliciter considerari posse: scilicet absolutè secundum se: & cum relatione ad Petrum: priori modo volunt fidem esse fundament. Ecclesiæ, sed falluntur. 1. quia dixisset Christus ædifico vel ædificaui, iam enim quidam crediderant eum filium Dei viui. 2. quia etsi fides possit dici fundamentum iustificationis, non tamen Ecclesiæ: debet enim fundament. esse eiusd. generis cum reliquo ædificio. 3 quia pronomen, *Hanc,* nequit referri ad fidem, nisi saltem posteriori modo acceptam, quod coincidit cum nostra sententia. Petrus enim duplici ratione fundamentum dicitur, vnâ, ob meritum eius fidei 2. quòd cum eius fides deficere non valeat, ipse omnes alios in fide debeat confirmare & sustentare.

Ad 1. loqui PP. de fide posteriori modo, Hilar. enim postea subiungit: *Supereminentem bea-*

te fidei suæ confessionem promeruit. Ambros. *Etiam* (inquit) *discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, vt ipse sit Petrus,* &c. Chrysost. Explicans quid sit ædificari Eccles. super confess. Petri, introducit Dominum dicentem. *Ego super te ædificabo Ecclesiam meam.* Cyrill. verò non cuiuslibet fidem, sed tantum Petri, dixit fundam. esse.

Cap. 11.

Ad 2. tunc nondum fuisse Petrum Ecclesiæ fundamentum. Deinde non erasse in fide, quando negauit tract. de Eccles. dicetur & multo minus quando dictum est *Vade post me,* &c. vide infr. cap. 23. Ædificari autem Ecclesiam supra petram, catholici communiter docent idem esse, ac committi Petro totius Ecclesiæ regimẽ, præcipuè circa fidem. Petræ siquidem fundamentali proprium est totum ædificium regere, & sustentare, ita [c] Chrysost. [f] Ambros. Gregorius. 4. epist. 32.

[c] *Hom. 55. in Mat.*
[f] *Serm. 47. Petra dicitur Petrus eo quod tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemque sustineat.*

Obiicitur [5] Primò, istam non valere consequentiam : super petrum ædificatur Ecclesia. Igitur Petrus est Ecclesiæ rector: quia nec ista valet: Ecclesia ædificatur supra fidem. Igitur fides Ecclesiæ rectrix.

[5] *ita Luther. lib. de potestate Papæ.*

Negatur ratio à simili. 1. quia negatur anteced. secundi Entymematis: est enim impropria loquutio. 2. negatur consequens. Nam sunt omnia intelligenda accommodatè ad naturas rerum. Itaque si dicatur Ecclesia ædificari supra fidem, sensus esse debet Ecclesiam pendere à fide, vt à principio iustificationis, & à dono quodam sine quo sponsa Christi non esset: si autem ædificari supra Petrum sensus erit, pendere à Petro vt à rectore: talis est enim dependentia hominis vnius ab alio.

Secundo, sicut Petrus dicitur fundamẽtũ Ecclesiæ, sic [h] & Apostoli alij.

[h] *Psal. 86. vers. 1. Apoc. 21. v. 14. Eph secundo v. 20.*

R. tribus modis Apostolos dici fundament. Primò, quia ipsi primi Ecclesias vbique fundarunt. Nec enim Petrus conuertit totum orbem

Secundò, ratione doctrinæ reuelatæ, Ecclesia siquidem nititur reuelatione facta Apostolis, & prophetis. Tertiò ratione gubernationis. Duobus prioribus, omnes sunt æquales, in tertio hæc intersedit differentia, quod Petrus fuerit vt ordinarius pastor, vniuersalis, & caput à quo cæteri Apostoli penderent. Illi verò vt delegati, vnde soli dicitur Petro: *& super hanc Petram*, &c.

Quis sit ille cui dicitur Tibi dabo claues regni cælor.

Cap. XII.

HOC in loco personam Ecclesiæ gerere B. Petrum dubium non est. Quod tamen dupliciter fieri potuit, historicè, videlicet, quando [1] aliquis re aliquâ verè à se gestâ rem ab alio gerendam significat, & Parabolicè, quando [k] res verè gesta nulla proponitur, sed aliquid verisimile fingitur ad aliud significandum: hoc posteriori modo [l] Luther. [m] Caluin. [n] Magdeb. volunt hîc B. Petrum gessisse personam Ecclesiæ, & proinde datas primò claues ipsi Ecclesiæ, deinde per Ecclesiam ipsis pastoribus. Nos priori modo: ita vt verè, & principaliter claues acceperit Petrus, & simul significauerit illas, Ecclesiam suo modo accepturam esse.

Primò, quia personam Petri tot Christus designauit circunstantijs vt non pluribus notarij soleant. Nam expressit substantiam personę singularis per pronomen, *Tibi*, deinde nomen à natiuitate inditum, *Simon*, adiunxit & nomen patris, *Iona*, ac nomen à se recens impositum, *Petrus*.

[1] *vt Abraham qui duos filios habuit, significantes duos populos.*

[k] *Quomodo, qui seminat bonum semẽ Christum prædicantem significat in Euangelio. Et legati principum interdum claues vrbium accipiunt, cum tamẽ nihil acquirant sibi.*

[l] *l. de potest. 1. Papæ.*

[m] *4. Instit. 6. §. 4. & seqq.*

[n] *Centur. 1. lib. 1. & 2. & alij omnes huius temporis hæretici.*

Secundò, tunc Petrus non erat Ecclesiæ vicarius. Quis enim illi huiusmodi prouinciam cõmiserat? Ergo suo nomine claues accepit.

Tertio, illi promittuntur claues qui dixerat: *Tu es Christus filius Dei viui* (id enim significant illa verba: *Et ego dico tibi*, &c.) Et cui postea dictum, *Vade post me Sathana*: At hic erat Petrus in propriâ personâ.

Quartò, si ideò negandæ Petro promissæ claues, quòd Ecclesiæ figuram gereret. Igitur & negandum Abraham duos habuisse filios qui duos significabant populos.

o *supra.*

Obiicit Luth. o primò dictum est Petro in propria pers. *Vade post me Sathana*, &c. At hoc minimè conuenit ei cui reuelauit Pater secreta cælestia, cuique claues commissæ. Igitur nomine alterius huius. claues accepit.

Respond. eandem esse vtrinque personam, sed quæ alia Dei instinctu alia ex propriâ dicat infirmitate. Nec moueat Sathanæ nomen, non enim semper diabolum significat, sed aduersarium: שָׂטָן *Scathan*, siquidem aduersari est.

Secundò, Petrus nomine omnium discipulorum dixit: *Tu es Christus fili.* &c. vt docent p Chrysost. & Hieron. & colligitur ex textu: interrogatis enim omnibus, vnus respondet. Igitur & nomine omnium audiuit, *Tibi dabo claues.*

p *in hunc locum & Aug. serm* 13. *de verbis domini.*

Respond. nomine quidem omnium respondisse, non vt eorum præconem, sed *vt princeps caputque cæterorum exclamat Tu es Christus*, &c. ait q Cyrillus. Et proinde accepit etiam claues vt aliorum caput.

q 12. *in Ioan.* 64.

Tertiò, claues promittuntur Petro, non vt filio Ionæ, sed vt cælestis auditori patris. At de nullo nobis constat, exceptâ solâ Ecclesiâ, sitne patris auditor.

Negatur maior, tum quòd pugnet cum Euangelij textu; tum quòd etsi patris esse auditorem fuerit causa meritoria, cur Petro præ cæteris cla-

ues darentur, non tamen est formalis ratio, alioquin [r] penderent claues à ministrorum probitate.

[r] *Error Donatistarum.*

Quartò, *Quòd Abrahæ reputata sit fides ad iustitiam*, ideò [s] Apostol. concludit omnibus credentibus fidem reputand. ad iustitiam. Ergo à simili omnibus confitentibus Christum filium Dei viui, claues communicantur.

[s] *Rom. 4. v. 24.*

Negatur conseq. Nam fides formata, ducit naturâ suâ ad iustitiam. At confessio fidei non ducit per se ad claues [alias & mulieribus ministratio clauium competeret.] Sicut Abraham non solum iustificatus est per fidem, sed etiam meruit fieri pater multarum gentium, quod tamen non competit omnibus credentibus.

Quintò, cum eligitur Pontifex, aut affert secum claues, aut non. Si primum, ergo fuit Pontifex antequam fieret, si posterius igitur eas ab Ecclesiâ mutuat.

Respond. moriente Pontifice remanere claues in manibus Christi, à quo nouus Pontifex accipit non traditione nouâ, sed institutione antiquâ, veluti si Rex cum Proregem constituit ediceret se velle, vt Prorege mortuo, alium eligant proceres, seque illi iam potestatem eandem conferre quam priori concesserat.

Sextò, Math. 16. claues non dantur sed promittuntur, dantur verò [t] 18. *Quæcumque alligaueritis super terram*, &c. & Ioan. 20. [u] *Accipite Spiritum sanctum*, &c. At tunc non soli Petro sed omnibus conferuntur.

[t] *v. 18.* ὅσα ἐὰν δήσητε ὃπὶ τῆς γῆς ἔσαι δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ.

[u] *v. 22.*

Resp. loco postremo, solam fieri mentionem potestatis ordinis ad remittenda peccata vt docent [x] PP. de Matth. autem 18. etsi [y] multiplex PP. sentent. tamen [z] fatemur, ibi quidem tractari de potestate clauium: at non exhiberi; sed alijs vt delegatis dari. Ioan. 20. *Pax vobis sicut misit me pater*, Petro verò vt ordinario Pastori. Ioan. 21. cui alij subijcerentur.

[x] *Chrysost. in hunc locum & Cyrill. 12. in Ioan. l. 56. ante finem. Hieron. ad Hedibiam. q. 9.*

[y] *Origen. in hunc locum tractatu 6. post initium vult commendari tantum correptionem fraternam. Theophylact. loqui dominum ad eos qui iniuriam patiuntur, & eos ligar. cum iniuriam retinent soluere dū remittunt.*

[z] *cum Hilar. Hier. Ansel. in hunc locum August. tract. 22. & 49. in Ioan.*

vltimò, obiiciunt PP. [a] Cyprian. [b] Hilar. [c] Hierony. [d] Leonem, qui Apostolos æquales Petro faciunt.

Respondeo, fuisse pares potestate erga populum fidelem, non autem inter se.

Superest [e] August. testim. *Si in Petro* (inquit) *non esset Ecclesiæ sacramentum, non ei diceret dominus, tibi dabo claues regni cælorum. Si hoc Petro tantùm* (*quam vocem prætermisit* Caluin.) *dictũ est, non facit hoc Ecclesia: si autem hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claues accepit Ecclesiam sanctam significauit.*

Respondeo nihil aliud velle quam Petrum in accipiendis clauibus, Ecclesiæ personam historicè gessisse (sicut Iudas Psal. 108. fuit Iudæorum ingratorum figura) non quidem tanquam vicarium, sed principem: ita enim [f] in Psal. 108. *Cuius* (inquit scilicet Ecclesiæ) *ille agnoscitur gessisse personam, propter primatum quem in discipulis habuit.* Petrus enim accipiens claues vt summus Ecclesiæ præsul, significauit omnes præsules eadem habituras, sed à Petro, & non sine mensurâ communicatas, propterea dixit Aug. *Si hoc Petro tantùm dictũ est,* &c. id est vt ipse solus debeat ligare & soluere, sequitur reliquos ministros hoc non facere quod factum cum sit, concludit Petrum accepisse vt repræsentantem, sicut caput, vniuersam Ecclesiam.

[a] *lib. de simplicit. pastor.*
[b] *6. Trinit.*
[c] *1 in Iouinian.*
[d] *serm. 3. de anniuersar. assumption.*
[e] *tract. 50. in Ioan.*
[f] *Item tract. vlt. in Ioan. & ser. 13. de verbis Domini.*

Quid intelligatur per Claues Math. 16.

CAP. XIII.

[a] 4. *instit. cap. 6. §. 3.*

CALVIN. [a] per claues intelligit nudũ Euangelizandi ministeriũ. Quod ligare, & soluere sit retinere ac remittere peccata. Remittuntur autem cum per Euangel. prædicationem testamur il-

luminari homines, ac liberari à vitiis [b] 2. Corinth. 5. *posuit in nobis verbum reconciliationis*, &c. retinentur verò cum obstinati declarantur sempiternis pœnis mancipati.

[b] *v.* 19. Θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς.

Catholici omnes intelligunt per claues summam Petro collatam potestatem in vniuersam Ecclesiam.

Primò, ex ipsa metaphorâ clauium, vt in scripturis accipi solet Isaiæ [c] 22. *potestatem tuam dabo in manu eius*, &c. *Et dabo clauem domus* Dauid *super humerum eius.* Apocaly. 3. [d] *Hæc dicit sanctus, & verus qui habet clauem Dauid*, &c. ibi enim clauis principatum ac potestat. significat vt etiam in rebus prophanis: quando enim principi deduntur vrbes, offeruntur ei claues in signum subiectionis.

[c] *v.* 21.

[d] *v.* 7. τάδε λέγει ὁ ἅγιος ὁ ἀληθινὸς ὁ ἔχων τὴν κλεῖν τοῦ Δαυίδ.

Secundo in scripturis ligare dicitur, qui præcipit, vt Matthæi 23. [e] *Alligant onera grauia*, &c. & qui punit Math. 18. [f] *Quæcunque alligaueritis*: quo agi de censurâ excommunicat. fatetur etiam Caluin. Soluere dicitur qui remittit peccata, liberat à pœna, dispensat à lege, &c. Ergo cum dicitur Petro generaliter. *Quidquid solueris*, ei datur potestas præcipiendi, puniendi, remittendi, &c. & proinde fit iudex omniũ fidelium.

[e] *v.* 4.

[f] *v.* 18.

Tertio ex PP. Chrysost. Hom. 55. in Ioan. [g] Gregor. *Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod voce dominica sancto, & communi Apostolorum principi Petro totius Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur, tibi dabo claues*, &c.

[g] 4. *Epist.* 32.

Obiiciunt [h] Magdeburs. si ita esset, non dubitassent postea Apostoli quis eorum esset maior.

[h] *Centur.* 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *col.* 526.

Respondeo suspicatos quidem fuisse Petrum maiorem, & propterea [i] contendebant: sed id non satis intellexisse, nisi post resurrectionem.

[i] *vt docent Origen. Chrysost Hiero. in* 18. *Math.*

Ad rationem Caluin. falsam esse nam amplius est ligare, ac soluere, quam retinere, & dimittere peccata: nec remittuntur per Euangel. præ-

dicationem, sed solùm concione mouentur homines ad reconciliandum se Deo per Sacramenta, sicut intelligendus est Paulus à Caluin. citatus.

Soli Petro dictum pasce oues meas.

CAP. XIIII.

PRIMO, soli Simoni Ioannis loquebatur Christus. Solus verò Petrus inter Apostolos ita vocabatur.

Secundò, cui dicitur. *Diligis me plus his. Et crucifixio* prædicitur, dicitur quoque, *Pasce oues meas*, hic autem solus erat Petrus.

Tertiò, quia nusquam interrogasset Petrus, quid Ioannes acturus esset, si intellexisset omnibus dictum, *pasce oues meas*, nec respondisset Christus, *Quid ad te*, sed, faciet quod tu.

[a] *in vltimum Luc.*
[b] *serm. de SS. Petro & Paulo.*
[c] *Epist. 89.*
[d] *4. inst. 6. §. 3.*
[e] *1. Pet. c. 5. v. 2.*

Quarto ex PP. Chrysost. Cyrill. August. in hunc locum [a] Ambros. [b] Maximo, [c] Leone: *Cui cum* (inquit) *præ cæteris soluendi, & ligandi potestas tradita sit pascendarum tamen ouium cura speciali mandata est.*

Obiicit [d] Caluin Petrum [e] hortari conpresbyteros suos vt pascant gregem Dei. Igitur vel dictum est omnibus: *Pasce oues meas*, &c. vel suum ius transtulit in alios Petrus.

[f] *libro de agone Christiano cap. 30.*
[g] *persuasurus Basilio vt Episcopatum susciperet.*

Respondeo hortari vt pascant gregem non vniuersalem, sed qui in eis est, id est, particularem: quomodo intelligendus est [f] August. dum ait: *Cùm ei dicitur, omnibus dicitur pasce oues meas*, & Chrysost. simili locutione, [g] lib. 2. de Sacerdotio.

Quid significet Pasce Joan. 21.

CAP. XV.

EVTHERVS [a] per hanc vocem intelligit tantùm munus Petro iniunctum diligendi, prædicandi, docendi.

Primo, quia pascere non est præesse, sed cibum præbere, quod ab inferiori potest.

Secundò, non imperat Christus fidelibus vt obediant Petro, sed tantùm vt alimenta præbeat ipsis.

Tertiò, si per hæc verba, pontificatus institueretur, sequeretur non esse pontifices qui nec diligunt nec pascunt.

Nihilominus per, *Pasce*, intelligi summam potestatem probatur, Primò, quia pascere non significat simplicitet cibum præbere, sed prouidere, ac procurare de cibo, quod præpositi & gubernatoris est. Lucæ [b] 12. *Quis putas est fidelis dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram?*

Secundò, ex vsu loquendi, significat omnem pastoralem actum, inter quos regere est. Psal. 2. [c] Reges תְּרֹעֵם *pascies eos in virgâ ferreâ. Matth.* 2. [d] οὐ σὲ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος ὅστις ποιμανεῖ *pascat* τὸν λαόν μου. Ισραὴλ apud Michæam 5. vnde accepit Math. מִמְּךָ לִי יֵצֵא לִהְיוֹת מוֹשֵׁל בְּיִשְׂרָאֵל at מָשַׁל *Maschal dominari* significat.

Tertiò, ex PP. Chrysost. qui non semel 2. de sacerdot. vocat præfecturam officium Petro commissum per illud, *Pasce*. August. in hunc locum. Gregor. de cura pastorali.

Ad 1. Luth. patet responsio. Ad 2. subesse ac præesse: regere, regi: pascere pasci esse correlata.

[a] *supr.*

[b] *v. 42.* τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς οἰκονόμος, ὃν καταστήσει ὁ κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ δοῦναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον.

[c] *v. 9. Therogem, siue Confringes eos.*

[d] *v. 6.*

[e] *v. 2.* [*Mimmechali ietse lihioth moschel Beiischrael. Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, siue vt habent 70.* τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα. *vt sit in principem.*]

Quare quo verbo dicitur Petro vt pascat, ac regat, alijs præcipitur obedire. Ad 3. negatur conseq. Nam potestas collata per illa verba, non pendet ab obseruatione præcepti: sicut non vacat officio Prorex etiamsi non rectè prouinciam regat, nisi reuocetur à rege.

Per oues meas significari vniuersam Ecclesiam.

CAP. XVI.

PRIMÒ, quia Christus bis dixit, *Pasce agnos meos*, id est Gentes, & Iudæos semel, *oues*, id est Episcopos: siue vt legit [a] Ambros. agnos, ouiculas, oues, incipientes, proficientes, perfectos, vel laicos, presbyteros ac parochos, & Episcopos: aut iuxta [b] Leon. Gentes, Patres, Apostolos: hi autem omnes vniuersitatem Ecclesiæ constituunt.

Secundò, pronomen *meas*, omnes Christi comprehendit oues, id est quoscumque fideles.

Tertiò, pasce oues meas & meum ouile idem sunt: At Christi vnum est ouile.

Quartò, ita sentiunt PP. Epiph. in Ancorato [c] Chrysost. *Aliis omissis Petrum, dumtaxat, affatur, fratrum ei curam committit.* Ambros. in vlt. Luc. [d] Leo. *De toto mundo vnus* [e] &c. [f] Greg. [g] Theophyl. *Finito prandio præfectum omnium totius mundi Petro commendabat, non autem alij, sed huic tradidit.* à Bernar. 2. de consider.

Obijcitur primò, non dixisse Christum, omnes oues meas, sicut alibi dixit, *docete omnes gentes.*

R. pron. *Meas*, æquipollere dumtaxat signo vniuersali. Nullus est enim in Ecclesia, qui se

[a] *in vltimum Lucæ, ἀρνία, προβάτια, πρόβατα.*

[b] *Serm. 3 de anniuersar. assumpt. suæ.*

[c] *in hunc locum.*
[d] *sup.*
[e] *Petrus eligitur qui & vniuersar. gentium vocationi & omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ patribus præponatur.*
[f] *4. ep. 31.*
[g] *in vltim. Ioan.*

Christi ouem esse non glorietur.

Secundò, debuisset ergo Petrus pascere omnes, quod tamen non fecit: nam cæteri Apostoli partem gregis & ipsi pauerunt, non à Petro, sed à Christo missi.

Respondeo etsi Apostolos Dominus miserit, tamen hoc ipso quod eorum curam Petro commisit, quidquid dumtaxat agebant Petrus per illos præstabat, à quo illi tanquam à capite pendebant.

Tertio Paulus [h] ad Galat nullam agnoscit subiectionem ad Petrum aut Iacobũ, aut Ioannem, [i] *Quibus* (inquit) *neque ad horam cessimus subiectioni.* Item, [k] *Mea nihil refert, quales fuerint qui aliquid esse videntur.* Itẽ: [l] *Qui videbantur esse aliquid nulla mihi mãdata dederunt.* Rursi. *Nihil mihi contulerunt.* Item: [m] *Dexteram dederunt societatis.*

Resp. hic Paulum loqui non de gubernationis dignitate sed Euangelij, vultque Euangelium suum æquè verum & diuinum esse, à Christo immediatè acceptum, quàm cæterorum Apostolorum: propterea dixit: *Qui videbantur esse aliquid, nihil mihi contulerunt.* Illud enim, *nulla mihi mandata dederunt*, ex suo addiderunt hæretici. Dextera vero societatis, Paulum Petrum socios in prædicatione Euangelij ostendit, non tamen gubernationis: sicut nec illud. 1. [n] Reg. *Iuit Saul & socij eius.* Primus locus, *Quibus neque* &c. refertur ad pseudoprophetas, de quibus præmiserat *sed propter subintroductos falsos fratres*, &c. Secundus non ad contemptum Petri, & Ioannis dicitur, vt putat liber Smalchaldicus, sed laudem. Causam enim reddit Paulus, cur cum illis voluerit suum conferre Euangel. ac dicit nihil referre quales aliquando fuerint, scilicet viles piscatores, cùm iam columnæ quædam Ecclesiæ, Dei gratia, essent.

Quarto. Apostol. [o] docet iure diuino & humano diuisam fuisse iurisdictionem inter se, &

[h] *cap. 2.*

[i] *v. 5. οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ.*

[k] *v. 6. ὁποῖοί ποτε ἦσαν οὐδέν μοι διαφέρει.*

[l] *v. Eodem. ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες εἶναί τι οὐδὲν προσανέθεντο.*

[m] *v. 6. δεξιὰς ἔδωκαν ἐμοὶ, καὶ βαρνάβᾳ κοινωνίας.*

[n] *23. v. 25.*

[o] *ad Galat. 29.*

Petrum: sibi Gentes, Petro Iudæos commissos: & proinde nos qui ex Gentibus sumus nihil ad Petrum spectare.

Respondeo hanc diuisionem non iurisdictionis, sed prouinciarum fuisse ad commodius Euangelium promulgandum. Nam nihilominus Petrus [p] Gentibus, Paulus [q] Iudæis prædicauit.

Quintò, [r] Paulus ait se Petro in faciem restitisse.

Respondeo posse à minori maiorem reprehendi, modo id res postulet, & debita seruetur reuerentia.

Sextò, Apostoli sine vllo Petri mandato Diaconos [s] constituerunt, Petrumque in Samariam [t] misere. Ambigit [v] Petrus num sibi liceat prædicare gentibus, & quia id fecit à cæteris [x] reprehenditur discipulis.

Respondeo quod in communi Apostoli fecerunt credendum est id actum consensu Petri solũ si inuito id egisse probaretur præiudicaret eius primatui, mitti autem potest etiam superior ab inferiori, sicut Rex à consiliariis ad bellum, & [y] Phinees summus sacerdos à Iosue, ad filios Gad & Ruben. Nusquam [z] autem dubitauit Petrus an liceret sibi gentibus prædicare, sed solùm de tempore statuto.

p *Actor.15.v.7.*
q *actor.13.14.17.18.*
1.*Corinth.9.v.20.*
r *ad Galat.2.v.11.*

s *Act.6.v.5.*
t *Actor.8.v.14.*
v *Actor.10.*
x *Actor.11.v.2.*
y *Iosue 22.v.13.*
z *Nam Lucæ vlt. v.45. & 46.47. aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas scilicet Apostol. Et mox subiungitur: Quoniam oportebat Christum pati, &c. prædicare in nomine eius pœnitentiam in omnes gentes. item Math. Marci vltimo.*

Explicantur prærogatiuæ Petri ex scripturis.

CAP. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII.

a Cap. 17.
b *Chrysost. in illud Ioan.1.Tu es Simon Filius Ionæ: tu vocaberis Cephas.*

PRIMA [a] prærogat. est mutatio nominis, vt enim [b] Chrysost. obseruat Deus nusquam imponit nomina noua, nisi maximis de causis, & ad significanda

gnificanda priuilegia conceſſa eis quibus nomina mutantur. In hâc autem prærogatiua duo conſideranda ſunt, vnum quod ſoli Petro Chriſtus mutauerit nomen. Etſi enim filij Zebedæi [c] Bonaerges vocati fuerint, id tamen cognomen, non proprium nomen fuit: vnde non vocantur poſtea Bonaerges: Petrus ferè vbique nominatur Petrus. Aliud, quod vnum ex ſuis celebertimis nominibus Chriſtus ei impoſuerit videlicet [d] Petram.

Secunda, [e] ſemper primo loco Petrum poni, cùm numerantur Apoſtoli vel omnes, vel quidam, non certè quòd ſit primus vocatus, hic enim [f] Andræas fuit. Ergo quòd primus omnium.

Reſpondeo [g] Centuriaſtæ, vocari primum, vel propter inſignia ſua dona, vel ætatem, vel id accidiſſe caſu. Quo ad primum, vel loquuntur de donis quæ Petrus habuit in ordine ad Eccleſiam, vt, eſſe vniuerſalem paſtorem, & conueniunt nobiſcum: vel donis perſonalibus, & falluntur. Nec enim Euangeliſta facilè potuit ſcire quis inter Apoſtolos melior, ſecundum pugnat cum traditione veterum, nam [h] Epiph. docet Andræam Petro ſeniorem. Tertium falſum eſſe patet, quia [i] Math. vocat Petrum nominatim primum, cæteros vero ſine notâ numerali ſubiungit, quòd omnes eſſent pares. Deinde aliorum ordo ſæpe mutatur, nuſquam Petri: niſi [k] Galat. 2. quo primus ponitur Iacobus: ſed non eſt certum an ita ſit loquutus Paulus: nam [l] Ambroſ. Hierony. Auguſt Chryſoſt. legunt, Petrum, Iacobum & Ioannem, vel id fecit Paulus, quòd Iacobus fuerit Hieroſolymorum antiſtes: vel ordinis rationem noluit habere. Nam aliàs primum agnouiſſe Petrum ex eadem [m] Epiſt. conſtat. *Deinde* (inquit) *poſt annos tres veni Hieroſoly. videre Petrum*, non dixit Iacobum.

[c] *Marci tertio. v. 17.*

[d] *Iſaiæ 8. Daniel 2. Rom. 9. 1. Corinth. 10. &c.*

[e] Cap. 18.

[f] *Ioan. 1. v. 40.*

[g] *Centur. 1. lib. 2. cap. 7. col. 524.*

[h] *Hæreſ. 52. quæ eſt Alogorum, Occurſus Andrææ primus contigit, cum eſſet Petrus minor tempore ætatis.*

[i] *Math. 10. v. 2.*

[k] *v. 9.*

[l] *in hunc locum.*

[m] *cap. 1. verſ. 18.* ἵστορησαι Πέτρον. μετὰ ἔτη τρία ἀνῆλθον εἰς Ἱεροσόλυμα

Neque Petrus solùm ponitur primus, sed describitur passim, vt paterfamilias, & reliquorum princeps. Sicut enim Apocaly. [n] 12. dicitur Michaël, & Angeli eius, id est dux, & milites eius, ita: [o] *Et prosecutus est eum Simon, & qui cum eo erant.* Item [p] Lucæ 8. [q] Marci. 16. Actor. 2. & 1. [r] Corinth. 9. Ad id etiam spectat, quòd ferè semper, nomine omnium [s] loquitur Petrus.

[t] Tertia, [u] Math. 14. de quâ D. [x] Bernard. *Instar Domini* (inquit) *gradiens super aquas vnicum se Christi Vicarium designauit, qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet, si quidem aquæ multæ populi multi.*

[y] Quarta, primum omnium Apostolorum teste [z] Hylar. [a] Athanas. [b] Cyrillo, [c] Aug. edoctum à Deo summum Trinitatis, & incarnationis mysterium cum dixit: σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, τοῦ ζῶντος Math. 16. v. 16.

Quinta, sedem Petri nũquam ruituram Math. [d] 16. *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, id est, non solùm aduersus Ecclesiam vniuersam, sed etiam Petram, supra quam fundatur, vt [e] Origenes obseruat: quam promissionem si habuissent Apostoli, cæteri adhuc staret sedes Iacobi, Ioannis, Mathæi, &c.

Sexta, [f] solutum tributum simul pro Christo, & Petro, vnde cæteri apostoli primatum eius collegerunt teste [g] Orig. Chrysost. Hierony. quamuis errarent quòd suspicarentur Petrum temporalem principem. Quare vt [h] (inquit Hierony.) *Dominus causam erroris intelligens, gloriæ desiderium, humilitatis contentione sanare voluit.*

[i] Septima duplex piscatio Petri, vna Luc. 5. Ecclesiam militantem, alia Ioan. 21. triumphantem

[n] *v. 7.*
[o] *Marci 1. v. 36.*
[p] *v. 45. Dixit Petrus, & qui cum illo erant.*
[q] *v. 7.*
[r] *v. 5. Numquid nõ habemus potestatẽ circunducendi, &c. sicut cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas. Quare posuit ita distinctè Petrum, cum tamen esset Apostolus, nisi quia, princeps aliorum?*
[s] *vt Math. 19. v. 17*
[t] *Luc. 12. v. 41.*
[v] Cap. 19.
[x] *v. 28. & 29.*
[y] *2. de considerat.*
[z] *in Psal. 131. & 6. Trinit.*
[a] *serm. 4. contr. Arian. longè vltra medium.*
[b] *12. in Ioan. 64.*
[c] *serm. 124. de tempore, & Leo serm. 2 de natali SS. Petri & Pauli.*
[d] *vers. 18.*
[e] *in hunc locum.*
[f] *Matth. 17. vers. vltimo.*
[g] *in 16. Matth. 1.*
[h] *in 18. Mathæi.*
[i] Caput 20.

[k] significans, & quòd, cùm vidiſſet Dominus plures nauiculas, intrauerit in vnam quæ erat Simonis, ex eaque doceret: vt [l] intelligeremus in ea tantum eſſe, & docere Chriſtum Eccleſia, cuius gubernator Petrus.

Octaua, quòd pro Petro rogauerit Chriſtus, vt non deficeret eius fides, eique ſoli dixerit. *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Lucæ 22. v. 32.

Nona, quod Chriſtus reſurgens, primo omnium ex Apoſtolis Petro ſe videndum præbuerit, vt colligitur ex. 1. [m] Corinth. 15. docetque ibi Chryſoſt.

Decima, quòd Petro primo lauerit pedes Chriſtus, iuxta Aug. in 13. Ioannis.

Vndecima, quòd illi ſoli mortem Chriſtus [o] prædixerit, mortem autem Crucis, eique dixerit *ſequere me*, id eſt eſto id quod fui viuens, & moriens, nimirum age paſtorem animarum dum viuis: & poſtea per crucis mortem tranſi ad patrem.

Duodecima [p] Petrum tanquam patrem familias collegiſſe Actor. 1. cœtum diſcipulorum ac declaraſſe vnum loco Iudæ eligendum eſſe.

Decima tertia. Actor 2. primum promulgaſſe Euangelium, poſt acceptum Spiritum ſanctum.

Decima quarta, [q] primum patraſſe miraculum in teſtimonium fidei, ſolidatione pedum, cuiuſdam claudi ab vtero matris, vt oſtenderet ſe fundamentum eſſe totius Eccleſiæ.

Decima quinta vt ſummum iudicem [r] hypocriſim Ananiæ & Saphiræ agnouiſſe, damnaſſe, verbo illos occidiſſe.

Decima ſexta, [s] *Factum eſt cum Petrus tranſiret per omnes &c. Quemadmodum dux in exercitu* [t] (inquit Chryſoſt.) *obambulans, conſiderabat quæ pars ſit coadunata, quæ ſuo aduentu egeat: Vide vtique illum circumcurſare, & primum inueniri.*

Decima ſeptima, primum vt Iudæis, ſic & gē-

[k] *Vt monet Auguſtin. tract. 122. in Ioan. 1. In prima ante Reſurrectionem, non dicitur ad quam partem, rete ſit emiſſum, vt intelligeremus ad Eccleſiam venire malos, & bonos: rumpebatur rete, quod ſignificat hæreſes & ſchiſmata, &c. ſine numero comprehendūtur piſces, introducuntúrque in fluctuantem nauem: in ſecunda, iacitur rete ad dextram, non eſt ruptum, certus piſcium numerus comprehenditur 153. trahuntúrque ad littus: idque poſt Reſurrectionem factam.*

[l] *ita Ambr. ſer. 11.*

[m] *v. 5. reſurrexit die tertiâ & quia viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim: deinde, &c.*

[n] Caput. 21.

[o] *Ioan. 21. v. 18. & 19.*

[p] Caput 22.

[q] *Actor. 3. v. 7.*

[r] *Act. 5. à v. 1. ad 2.*

[s] *Actor. 9. v. 32.*

[t] *In hunc locum.*

tibus prædicasse Acto.10. Nam Eunuchus quem [u] conuertit Philippus non erat Gentilis, [x] sed proselytus: Et Paulus, cùm dicitur Actor. 9. loquutus gentibus, non erat, eos ad fidem pertrahendo, sed fidem ab eorum calumnis defendendo. Itaque Lucas scribit nullos fuisse conuersos, sed potiùs graui odio in Paulum accensos.

Decima octaua quod de solo Petro scriptura [y] dicat. *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo.*

Decima nona, primum loquutum in Concilio Actor 15. eiusque sententiam [z] omnes alios secutos: vigesima, quod ascenderit [a] Paulus Hierosoly. videre Petrum, scilicet tanquam maiorem vt docent [b] Oecum. [c] Chrysost. [d] Ambros. [e] Hierony.

[u] *Actor. 8.a.v.26. ad finem vsque.*

[x] *Nam Philippus erat vnus ex diuersis post Martyrium Stephani qui nemini loquebantur nisi solis Iudæis, & Eunuchus venerat adorare in Hieruſ. legebatque Isaiam quæ sunt Iudaismi signa.*

[y] *Actor. 12. v. 5.* προσευχὴ δὲ ἦν ἀκτενὴς γινομένη ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, πρὸς τὸν θεὸν περὶ αὐτοῦ.

[z] *ita Hieron. epist. ad August. 11. inter epist. August. & Theodoret. epist. ad Leonem sentiunt.*

[a] *Galat. 1. v. 18.*

[b] *in 1. ad Galat.*

[c] *Homil. 87. in Ioan.*

[d] *in 1. ad Galat.*

[e] *sup.*

Aliæ prærogatiuæ ex variis authoribus.

Cap. XXIII. & XXIIII.

VIGES. [a] prima, solum Petrum ex viris baptizatum a Christo. Ita [b] Euodius, & Nicephorus 2. cap. 1. Vigesi. 2. solum Petrum à Christo ordinatum Episcopum [c] Primò quia Dominus vel nullum, vel omnes, vel aliquos, aut vnum ordinauit inter Apostolos non primum, quia nullum habuisset Episcopum Ecclesia non secundum quia Paulum non ordinauit, vt docent [d] Leo & [e] Chrysost. ex Actor. 13. neque Iacobum vt tradunt [f] Anaclet. [g] Clemens Alexandr. [h] Hierony. neque tertium, cùm enim, excepto Petro, essent pares, non erat maior ratio vnius quam alterius. Ergo vltimum, quis autem ille vnus, nisi

[a] Cap. 23.

[b] *in epist.* τὸ φῶς.

[c] *vide Ioann. de Turrecr. 2. summæ de Ecclesiâ cap. 32.*

[d] *ep. ad Dioscor. 81.*

[e] *in 13. Actor.*

[f] *Epist. 2.*

[g] *apud Euseb. 2. hist. 1.*

[h] *in Iacobo.*

Petrus? Secundo docent [1] veteres passim Romanam Ecclesiam esse omnium Ecclesiarū matrem, ab câque omnes Episcopos habuisse consecrationem. Quod verum non videtur, nisi Petrus omnes Apostolos, omnésque alios Episcopos vel per se, vel per alios ordinauerit.

Obijcitur primò In Apostolatu Episcopatus includitur: alias verum non esset Episcopos Apostolis succedere. At Apostolos omnes Christus fecit.

Secundò, de Iuda [k] intelligitur illud Psal. [l] 108. *Et Episcopatum eius accipiat alter.* At certè Iudam Petrus non ordinauit.

Ad 1. negatur maior. Nam Luc 6. Dominus duodecim elegit, quos Apostolos nominauit nondum sacerdotes, nedum Episcopos. ad probationem veram esse; quòd omnes Apostoli fuerint primi Episcopi Ecclesiç, non tamen propterea ordinati à Christo, sed à Petro.

Ad 2. haberi in Hebræo [m] פקידה quod visitationem, seu præfecturam significat. in Græco Septuaginta, quos secutus est Lucas, τὴν ἐπισκοπὴν: quâ [n] voce non nisi etiam præfectura in genere intelligi potest: cùm tempore Septuag. non fuerint verè Episcopi, de quibus agimus. Nisi velis dicere loqui Psal. de Episcopatu, non quem Iudas habuerit, sed habiturus erat, nisi prodidisset Dominum.

Vigesimatertia, quòd Petrus Simonem Magum primum [o] Hereſiarcham [p] detexerit, damnauerit, extinxerit, vt tradunt Egesipp. 3. de excid. Hieros. 2. Clemens 6. const. 7. 8. 9. [q] Arnob. [r] Damasus, [s] Cyrill. [t] Theodor. [u] Ambros. [x] Hieron. [y] Sulpitius [z] Gregor. Turonensis, [a] Aug. Quare cum idem Augusst. [b] ait: *Est quidem & hæc opinio plurimorum, quamuis eam falsam esse perhibent plerique Romani, quod Apostol. Petrus cum Simone Mago die Dominico pugnaturus, &c. pridie cum eiusdem vrbis Ecclesiâ iciu-*

[1] *Anaclet. Epist. 1. Cyprian. 4. Epist. 8. Innocen. 1. Epist. ad Carthag 91. inter Aug. Epist. Iulius 1. Epist. 1.*

[k] *Actor. 1. v. 20.* καὶ τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ λάβοι ἕτερος.

[l] *v. 8.*

[m] *Pekudah.*

[n] *Cicero 7. Epist. ad Atticum hoc nomine vtitur cum dicit se à Pompeio totius Campaniæ Episcopum constitutum.*

[o] *ac patrem omnium Hæreticorum.*

[p] *Actor. 8. v. 20. vsque ad 24.*

[q] *2. contr. gentes. Egesipp. 3. de excid. Hiero. 2. Clemens 6. const. 7. 8. 9. Arnob.*

[r] *Damasus in vita Petri*

[s] *Cathech. 6.*

[t] *1. Hæretic. fabul.*

[u] *orat. in Auxent.*

[x] *in Simone Petro.*

[y] *2. sacræ histor.*

[z] *1. histor. 25.*

[a] *lib. de Hæres. ca. 1.*

[b] *Ep. 86. ad Casulanum.*

nauerit, &c. non vult dicere contentionem Petri cum Simone esse incertam opinionem, sed quòd die Sabbathi ieiunauerit Petrus, & hinc morem deductum fuisse ipso die ieiunandi: de hoc enim ieiunio ibi Aug. tractat.

Vigesima quarta, Romæ vrbium reginæ Petrum [c] collocasse sedem diuino iussu.

Vigesima quinta, Petro [d] sub finem vitæ suæ interroganti Christum, *Domine quo vadis*, respondisse: *Venio Romam iterum crucifigi.* nimirum vt ostenderet Petrum suum esse vicarium, & quod Petro fit sibi ipsi fieri.

Vigesima [e] sexta, solas illas Ecclesias quas Petrus fundauit habitas fuisse Patriarchales, & primas, Romanam, quam per se vsque ad mortem, Alexandrinam, per se primò, vt vult [f] Niceph. vel per S. Marcum iuxta [g] B. Gregor. Antiochenam, primò per se, deinde per Euodium administrauit. Si quidem veteres tantùm has tres vt propriè Patriarchales agnoscebant, vt patet [h] ex Concil. Niceno can. 6. neque id Luth. & Caluin. negant. Hierosolymit. per annos ferè quingentos habita quidem est Patriarchalis, sed honore non potestate. Sedebat enim Hierosolym. Episcopus quarto loco, sed nulli Episcopo, vel Archiepiscopo præerat, imò Metropolitano Cæsarienſi, & Antiocheno Patriarchæ subijciebatur, ficut colligitur ex Concil. Nicæn. [i] can. 7. Constantinopolit. verò non ante Iustiniani [k] tempora cœpit annumerari inter Patriarchas.

Vigesima septima, solius Cathedræ Petrifestum, & quidem antiquissimum vt patet ex [l] August. & [m] Beda, celebrari. Argumentum enim est sedem Petri singulariter omnibus alijs præstare.

Vigesima octaua, quòd in literis formatis,

[c] *Vide infra lib. 2. de sum. Pontifice.*
[d] *ita Egesi. sup. cap. 2. lib. 3. & Ambr. sup. Gregor. explicat. 4. Psal. pœnit.*
[e] Cap. 24.
[f] 14. *cap.* 3.
[g] 6. *ep.* 37. *& Gelasium decreto de libris canon. & Apocryp.*
[h] *Et Chalced. act.* 16. *Anacl. epist.* 3. *Leon* 53.
[i] *quo decernitur vt Episcop. Hierosol. habeat honorem post Romanũ, Alexand. Antiochen. nihil tamen propterea detrahatur de authoritate Metropolitani, qui erat Cæsarienſis. Patriarcha autem Antiochenus præerat omnibus Archiep. & Episc. Orientis inter quos Hierosolymitanus.*

[k] *post annum Domini* 50. [l] *ser.* 15. *de SS.* [m] *in Martyrolog.*

poſt nomen Patris, Filij & Spiritus ſancti adiungerent antiqui nomen principis Apoſtolorum vt ſcribit [n] Atticus.

[n] *ſicut legitur ad finem Concil. Chalced.*

Ex PP. probatur ſumma Petri poteſtas in Eccleſia, quam ſignificari per caput, & primatum abſolutè, fatentur aduerſarij.

CAP. XXV.

EX Græcis [a] Origen. *Petro* (inquit) *cum ſummâ rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum velut ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo niſi charitatis exigitur.*

Euſeb. [b] *Petrus Apoſtolus natione Galilæus, & Chriſtianorum Pontifex primus*: non dixit Rom. Epiſcopus primus, ſicut dixerat ibidem Eccleſ. Hieroſoly. primus Epiſcopus Iacobus. Baſil. [c] *Ille beatus qui cæteris prælatus diſcipulis fuit, cui claues regni cæleſtis commiſſæ.* [d] Nazianz. *Vides quemad. ex Chriſti diſcipulis magnis vtique omnibus & excelſis, atque electione dignis hic petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habeat, ac reliqui diſcipuli poſt haberi ſe, tranquillo animo ferant* [e] Epiph. hæreſ. 51. [f] Cyrill. vterque, Chryſoſt. [g] *Deus concedere ſolus poteſt vt futura Eccleſia, tot tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat: cuius paſtor, & caput homo piſcator.* [h] Euthym. [i] Theophil. *Tu Petre conuerſus bonum exemplum pœnitentiæ eris omnibus, qui cum Apoſtolus fueris & negaueris, iterum receperis primatum omnium, & præfecturam orbis.* Hugo [k] Etherianus lib. 3. de proceſſ. Spiritusſancti cap. 17.

Ex Latinis Cyprian. [l] *Nos vnius Eccleſiæ caput*

[a] *in cap. 6. ad Ro. ſemipaginâ ante librum ſextum.*
[b] *in chronico anni 44. à Chriſto nato.*
[c] *ſerm. de iudicio Dei loquens de Petro.*
[d] *orat. de moderatione in diſputatio. ſeruandâ.*
[e] *& in Ancorato.*
[f] *Hieroſoly. catech. 2. Alexand. 12. in Ioan. 64.*
[g] *Homil. 55. in Math.*
[h] *in vlt. Ioannis.*
[i] *in 22. Lucæ.*
[k] *ſiue Heretrianus circa annum 1160. tempore Emmanuelis imperatoris.*
[l] *loquens de Petro Epiſt. ad Iubaianũ.*

& radicem tenemus.

Maximus. 3. serm. de Apostol. [m] Optat. *Cathedra vna est & negare non audes scire te, Petro primùm in vrbe Roma Cathedram esse collocatam, vbi sederit omnium Apostolorum caput Petrus*, &c. [n] Ambros. *Prior Andræas sequutus est Saluatorem, sed primatum non accepit Andræas, sed Petrus.*

[o] Hieron. *Inter duodecim vnus eligitur vt capite constituto Schismatis tolleretur occasio*, &c [p] Augustin. *Quis nescit illum Apostolatus* (scilicet Petri) *principatum cuilibet Episcopatui præferendum.* Item. *Sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur Ipsum enim constituit caput eorum vt pastor esset gregis Dominici.* Leo. serm. 3. de suâ assumpt. [q] &c. *De toto mundo vnus eligitur Petrus, qui & vniuersarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes sint multique pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

[m] 2. *contra Parmenianum.*

[n] *in* 1. *ad Corinth. cap.* 12.

[o] 1. *in Iouinian.*

[p] 2. *cap* 1. *de baptis.* 1. *author qq. veteris & noui Testamenti in* 4. *Tomo operum Augustini. q* 75.

[q] *Prosper lib. de ingratis Arator in* 1. *Actor. Gregorius mag.* 4. *Epist.* 32. *Beda homilia in Vigilia S. Petri, Bernardus Epist.* 237. *locus Petri* (inquit) *est locus principis Apostolorum.*

Diluitur argumentum ex comparatione Petri cum Iacobo.

CAP. XXVI.

ARGVMENT. [a] Christus fuit Episcopus non Romæ, sed Hierosolymæ, & Apostoli, eius Presbiteri fuerunt. Igitur Iacobus post Christi passionē Hierosoly. Episcopus Christo successit, vel certè eius fuit vicarius, non Petrus. Confirmatur. Primò quia Hieruſ. est omnium Ecclesiarum mater. Isaiæ [b] 2. *De Sion exibit lex* &c. Igitur Iacobus omnium Ecclesiar. pater.

[a] *Lutheri de potest. Papæ.*

[b] *v.* 3.

Secundò Nicænum Concil. can. 7. Episcopo Hierosoly. primatum tribuit ex antiquâ traditione. Tertiò Clemens [c] apud Euseb. *Petrus* (inquit) *Iacobus, & Ioannes post assumptionem Saluatoris, quamuis ab ipso fuerunit omnibus penè prælati, tamen non sibi vendicabant primatus gloriam, sed Iacobum qui dicebatur Iustus Apostolorum Episcopum statuunt.* Quartò [d] Chrysost. *Vide Iacobi modestiam is acceperat Hierosolymis Episcopi munus & tamen hîc nihil loquitur. Considera & aliorum discipulorum singularem modestiam, quo pacto concedunt ei solium, nec amplius ambigunt disceptantes inter se.*

[c] 2. *histor.* 1.

[d] *Homil.* 3. *in Acta.*

Ad arg. negatur anteced. Nec enim Christus fuit Episcopus alicuius particularis vrbis, sed totius Ecclesiæ. Ad conseq. nullum succedere Christo, quia semper viuit. Magis autem decuit suum generalem vicarium alibi, quàm Hierosoly. constitui: quòd sicut mutabatur per Christi aduentum lex & sacerdotium, sic locus summi sacerdotis mutaretur.

Ad 1. confirmat Hierusalem esse Ecclesiar. matrem antiquitate, præsentiâ visibili Saluatoris, & mysterijs nostræ redemptionis: non autem ratione primatus.

Ad 2. negatur [e] vt patet supra. Ad 3. locum esse corruptum & si enim in Basileensi codice, versionis Ruffini, habeatur vt supra, tamen in Colonienſi, ab homine catholico edito non habetur primatus nomen, & pro illis verbis: *Apostolorum Episcopum*, habetur; *Hierosolymorum Episcopũ*. Quæ lectio congruit cum Nicephoro [f] allegante locum, Euseb. & cum Eusebio qui [g] cod. lib. ait Petrum fuisse Apostolorũ principem: denique cum ipso textu Græco, tàm Vaticanæ Bibliothecæ, quàm Parisiensis, non dudum edito. Πέτρον γάρ φησι καὶ Ἰάκωβον τὸν Ἰωάννου μὲν τοῦ ἀπαλλαγῆναι τοῦ σωτῆρος ὡς ἂν τὸν ἐπὶ τοῦ κυρίου προτετιμημένους μὴ διαφερόντως δόξης, ἀλλὰ Ἰάκωβον τὸν δίκαιον ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων ἐλέσθαι.

[e] *in vigesimsexta Petri prærogatiua.*

[f] 2. *cap.* 3.

[g] 2. *cap.* 13. *in Ruffino* 14.

Ad 4. loqui Chryſoſt. de ſolio particularis Eccleſiæ. [h] *Quod ſi quis percunctaretur quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis acceperit? Reſponderem* (inquit Chryſoſt) *hunc, Petrum totius orbis magiſtrum conſtituiſſe.*

[h] *Chryſoſt. Homil. vlt. in Ioan.*

Soluitur argumentum ex comparatione Petri cum Paulo.

Cap. XXVII.

ARGVM. Paulus per antomoſiam vocatur Apoſtolus. Item in antiquis ſigillis, quibus diplomata ſummi Pontificis obſignantur, Petrus à ſiniſtris, Paulus à dextris effingitur. At teſte [a] Ambroſ. atque [b] Hierony. ſedere ad dextram eſt maioris ſignum honoris.

Ad 1. argum. partem. ita vocari Paulum, quia vt (inquit [c] Auguſt.) *pluribus epiſtolis eſt notior, & plus omnibus alijs laborauit*: id eſt perſe pluribus in locis fidem plantauit.

Ad 2. Reſp. 1. etſi conſtaret Paulum Petro in omnibus anteponendum: tamen hoc non obſtare ſummo Pontificatui Petri, & Romanorum Pontificum: ſicut nec ex eo quòd Moſes maior erat Aarone impedit ſummum Aaronis, & filiorum eius Pontificatum. Nam Pauli poteſtas extraordinaria fuiſſet, Petri ordinaria: cui Petro Rom. Pontifices ſuccedunt. 2. in quibuſdam etiam diplomatum ſignis, & in numiſmatibus cõmuniter cerni ad ſiniſtram Paulum. 3. in inceſſu, digniorem eſſe ad lævam, locum: olim enim cùm incederent duo, ſenior, & honoratior ad lævam erat, & iunior latus ei dextrum claudebat, præcedebatque nonnihil in ſi-

[a] *ſerm. de Pentecoſ. qui eſt. 61.*
[b] *in 1. ad Epheſ.*
[c] *3. ad Bonifacium cap. 3.*

gnum obſequij [d] vnde Ouidius:

Et medius iuuenum non indignantibus illis
Ibat, & interior ſic comes vnus erat.

Interior, id eſt ad læuam iuxta illud [e] Virgilij,

Ille inter nauémque Gyæ, ſcopulóſque ſonantes
Radit iter læuum interior. &c.

Teſtatúrque [f] Euſeb. ſe vidiſſe Conſtantinum adoleſcentem incedentem cum ſeniore Auguſto ad dexteram. Ita ergo Paulus ad Petri dexteram collocatur vt eum præcedat, & fermè totum tegat. certè argumentum obſequij in Paulo, dignitatis in Petro. Quod autem poſtea ſit Paulus depictus ad dexteram cum Petrum non tegit, & collocantur veluti in ſedibus, imperitiâ factum eſt arbitrantium poni in ſignis diplomatum Paulum à dextris, honoris gratiâ. Ambroſ. autem, & Hierony. loquuntur de dextera abſolutè, vel ratione confeſſus, non inceſſus. 4. etſi honoris gratiâ Paulus collocaretur à dextris: id vel quia plures per ſe ex Gentibus ad fidem conuertit: Eccleſia enim in colendis SS. feſtis non tam [g] gradum honoris, quam vtilitatis poſteris allatæ reſpicit: vel quòd Paulus præcipuè doctor gentium fuerit, vt hinc oſtenderetur Gentiles Iudæis præpoſitos: aut quia Petrus à Chriſto fuit vocatus adhuc mortali, & quodammodo in ſiniſtris conſtituto, Paulus immortali & regnante à dextris Patris: vel quia Paulus de tribu Benjamin erat à Patre vocati Filij dexteræ, & à Ioſeph antepoſiti fratribus.

[d] 5. *Faſtor. vide Antonium Nebriſſenſem annot. ad 50. loca ſcripturæ.*

[e] *Aeneid. 5.*

[f] 1. *de vita Conſt. cap. 13.*

[g] *Iacobus erat Epiſcopus, Sixtus Rom. Pontifex, tamen feſtum Diaconorum eorum Stephani, & Laurētij cū octauis celebrat Eccle. illorum minimè.*

Refellitur objectio ex 15. peccatis sancto Petro à [a] *Centuriatis attributis.*

CAP. XXVIII.

PRIMVM peccatum, ex curiositate petiisse Petrum à Domino euocari in mare, & postea dubitasse Math. 14.

Respondeo si peccasset non fuisset euocatus: nec enim miracula Dei cooperantur peccatis: quare, [b] *vt fidelis posset & vt dilectus emeruit. Clamando dum mergitur, Domine libera me, de se diffusus est, non de Domino dubitauit ne quis ergo timorem huc glorioss. Petri ducat in vitium.*

Secundum, quod [c] dixerit Christo, *Absit à te Domine non erit tibi hoc.*

Resp. cum [d] Hier. *In omnibus locis ardentissimæ fidei inuenitur Petrus, interrogatis discipulis &c. volentem ad passionem pergere prohibet, & licet erret in sensu, tamen non errat in affectu.* [e] *Mihi hic error Apostolicus & de pietatis affectu veniens, nunquam incentiuum Diaboli videbitur.*

Tertium, quod [f] dixerit: *Domine bonum est nos hic esse &c.*

Respondeo Marcus cap. 9. [g] *Nesciebat quid diceret, erant enim timore exterriti.* & Chrysost. *vides quanto Christi feruore incendebatur, &c.*

Quartum quod fuerit ex numero [i] quærentium quis eorum esset maior.

Respondeo hoc somniasse Magdeburg. nec enim Euangelista Petrum nominat, imò insinuat absentem fuisse: postquam enim [k] dixisset Matth. Petrum ad mare missum, subiungit: *in illa hora accesserunt*, &c. Quare [l] Orig. Chrysost.

[a] 1. *Centur. lib. 2. cap. 10. colum. 558. 559. & 560.*

[b] *Maximus serm. 1. de natali Apost.*

[c] *Matth. 16. v. 22.* ἵλεως σοι κύριε, οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο.

[d] *in 14. Matth.*

[e] *in cap. 16.*

[f] *Matth. 17. v. 4.* κύριε, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι.

[g] *v. 6.* οὐ γὰρ ᾔδει τί λαλήσῃ ἔκφοβοι.

[h] *in hunc locum.*

[i] *Matth. 18.*

[k] *cap. 17.*

[l] *in 18. Math.*

Hierony. & alij docent non Petrum, ſed alios diſcipulos hanc quæſtionem mouiſſe. Quintum, quod [m] voluerit reſtringere remiſſionem peccatorum ad ſeptenarium numerum. Sed vnde hoc, quia fortaſſe interrogat præceptorem? Nugæ!

[m] *Math.18.*

Sextum quod in hæc [n] eruperit: *Ecce nos reliquimus omnia quid ergo erit nobis?* videtur enim atroganter loquutus, & carnalia præmia ſomniaſſe.

[n] *Math.19.v.27.* ἰδοὺ ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι. τί ἄρα ἔσται ἡμῖν.

Sed audi [o] Chryſ. *Non ambitione, aut inani gloria, verùm vt pauperum plebem introducat hæc dicit.* Nec Dominus Petrum reprehendit, ſed contra maxima ei pollicetur præmia.

[o] *in commentario.*

Septim. [p] *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Reſpondeo cum [q] Chryſoſt. *Non parui amoris & reuerentiæ argumentum fuit*, & [r] Baſilio: *Nullius peccati, nullius contemptus ſignificationem dedit, verùm potius excellenti erga Dominum honore vſus eſt.*

[p] *Ioan.13. verſ.8.* οὐ μὴ νίψῃς τοὺς πόδας μου εἰς τὸν αἰῶνα.

[q] *in hunc locum.*

[r] *ſer. de iudicio Dei.*

Octauum. [s] *Etiamſi oportuerit me mori tecum non te negabo.*

[s] *Math.26.v.35.* κἂν δέῃ με συναποθανεῖν σοι, οὐ μή σε ἀπαρνήσομαι.

Audi [t] Hierony. *Non eſt temeritas, neque mendacium, ſed fides eſt Apoſtoli Petri, & ardens affectus erga ſaluatorem.*

[t] *in hunc locum.*

Nonum, quod [u] in horto iuſſus vigilare obdormierit. Sed eum & ſocios excuſat Euangeliſt. cum ait: [x] *Erant enim oculi eorum grauati.*

[u] *Matth.26.*

[x] *v.43.* Ἦσαν γὰρ αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοὶ βεβαρημένοι.

Decimum, quod contra Chriſti interdictum, gladio [y] vſus, Malcho amputauerit auriculam.

[y] *Matth.26.v.51.*

Reſpondeo de hoc interdicto nihil legi. Etſi autem Dominus factum improbauerit, non tamen affectum, de quo [z] Cyrill. *Intentio* (inquit) *Petri qui gladium aduerſus hoſtes accepit à mandato legis non fuit aliena:* idem [a] Ambroſ. & Chryſoſt. homil. 85. in Matthæum.

[z] *11. in Ioan.35.*

[a] *in 22. Luc.*

Vndecimum, abnegatio: quam certè non negamus peccatum, ſed nihil officit primatui ſi-

quidem: *magnum actum esse pietatis dispensatione cognoscimus* [b] (inquit Gregor.) *vt is qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in suâ culpa disceret qualiter alios misereri debuisset.*

[b] *Homil. 21. in Euangel.*

Duodecimum, comprehenso Domino [c] arripuisse fugam.

[c] *Matth. 26.*

Respondeo nullum in hac fugâ peccatum vel enim sequi debebat vt defenderet, vel vt se morti obiiceret: non prius, quia intellexerat id nolle Dominum, neque posterius, non enim tenebatur, ad quid precor tunc se morti obiecisset? imò mandatum acceperat fugiendi Math. [d] 10.

[d] *v. 23.*

Decimum tertium, cum [e] cucurrisset ad sepulchrum cum Ioanne, non rectè percepisse articulum resurrectionis.

[e] *Ioan. 20.*

Respondeo cum Ioanne: [f] *Nondum sciebant scripturas*, quæ ignorantia, tunc absque culpa erat.

[f] *v. 9. οὐδέπω γὰρ ἤδεισαν τὴν γραφήν.*

Decimum quartum, quod curiosè quæsierit Ioan. [g] 21. *Hic autem quid?*

[g] *v. 21.*

Respond. cum [h] Chrysost. hanc curiositatem profectam fuisse ex nimiâ charitate Petri erga Ioannem, & proinde veniâ dignissimam.

[h] *in hunc locum.*

Postremum, quod Antiochiæ ambulauerit [i] ad Euangelij veritatem, meritò reprehensus à Paulo.

[i] *ad Galat. 2.*

Respond. quòd, aduenientibus Iudæis, à Iacobo missis, Petrus abstinuerit à gentibus, cum quibus antea cibum capiebat. Patres Græcos nullum peccatum agnoscere: Latini [k] plerique, etsi aliquod agnoscant, tamen vel veniale, aut tantùm materialiter peccatum fuit. In eligendo si quidem errauit: id autem vel ob aliquam inconsiderationem, & sic veniale, vel defectu luminis, & ignorantiâ quâdam inuoluntariâ, & sic nullum peccatum nisi materialiter.

[k] *Tertull. 4. in Marcion. Cyprian. epist. ad Quintum Ambros. in 2. ad Galat. Aug. epist. 8. & 19.*

LIBER SECVNDVS
DE SVMMO PONTIFICE.

Quo agitur de vero Petri successore in Primatu.

Petrum Romæ fuisse.
CAP. I. & II.

GVILIELMVS [a] quidam wicleſi præceptor apud waldenſ. 2. doctr. art. 1. cap. 7. videtur primus negaſſe Petrum fuiſſe Romæ, aut Epiſcopum Romanum, quem ſequuti ſunt Valdaricus, [b] Velenus Lutheranus, atque [c] Illyricus, fuiſſe tamen probatur.

Primò, [d] Petri ipſius teſtimonio [e] *Salutat vos* (inquit) *Eccleſia in Babylone collecta*, id eſt, figuratè Roma, vt docent [f] Papias & [g] Hieron. *Petrus* (inquit) *in epiſtolâ prima ſub nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans*, &c. colligiturque ex [h] Apocaly. quâ deſcribitur Babylon. ſedere ſupra 7. colles & habere Imperium ſuper reges terræ. hæc enim ſola Roma erat. vnde vana eſt Veleni reſponſio, duplicem ſcilicet eſſe veram Babylonem, vnam in Aſſyriâ, alteram in Ægypto: figuratè enim loquitur Petrus. Concludit tamen Velenus, ergo rectè faciunt qui re-

[a] CAP. I.

[b] *lib. integro de hâc re.*

[c] *lib. contra primatum Papæ.*

[d] CAP. II.

[e] 1. *Petr. vlt. v. 13.* ἀσπάζεται ὑμᾶς ἡ ἐν βαβυλῶνι συνεκλεκτὴ.

[f] *apud Euſeb. 2. hiſt. 14. in Ruffino.*

[g] *in Marco.*

[h] *cap. 17. vide Tertull. 3. contr. Marci. & lib. contra Iudæos.*

cedunt à Româ, iuxta illud Apocaly. [l] 18. Exite de illâ, &c. Respond. Babylonem vocari, non Romanam Ecclesiam, sed vrbem, *quæ cum omnibus dominarentur gentibus omnium gentium seruiebat erroribus*, inquit [k] Leo. à quâ exeundum erat corde, non corpore vt [l] exponit Aug. Cum ergo Petrus è Roma scripserit, certè Romæ fuit.

Secundò, [m] PP. docent primos Christianos Romæ fuisse à Petro & Paulo conuersos: At ex Actor. vlt. & epist. ad Rom. constat antequam Paulus Romam veniret ibi multos fuisse Christianos. Igitur [n] à Petro conuersos.

Negat maiorē Velenus, quod cæperint Christiani Romæ esse, Tyberij tempore teste Orosio 7. histor. Tertull. in Apolog. Platina in Christo, & Tranquillo in Tyberio: adde Clement. 1. Recognit. quem sequitur Dorotheus Tyrensis in Synopsi asserentem, Barnabam primum Romæ prædicasse.

Sed Tranquillus in Tyberio non meminit Christianorum, sed in Claudio Tertull. ait quidem tunc Tyberium retulisse in Senatum, an videretur Christus in Deum recipiendus, ob ea, quæ intellexerat de eo ex epistola Pilati, verùm id recusasse Senatum, & vt addit [o] Oros. statuisse, exterminandos ex vrbe Christianos, non quod iam essent, cùm idem Orosius diserte affirmet non fuisse, nisi post Petri aduentum, sed si vnquam postea aduenirent. Illud ex Clemente non est verisimile. nullus enim gentibus prædicauit ante visionem Petri Actor. 10. ab illa verò vsque ad peractum Cōcilium Hierosoly. celebratum anno [p] Domini 18. qui erat. 13. à morte Tyberij, [q] fuit Barnabas cum Paulo: Paulus autem eo tempore non fuit Romæ. adde apocryphos esse Recogn. libros & Synops. Doroth. plenam [r] fabulosis narrationibus. Denique etsi id de Barnaba verum esset: tamen ibidem

[l] *vers.* 4.

[k] *Serm.* 1. *de natali Apostol.*
[l] *in breuiculo collationis collat.* 3.
[m] *Iræn.* 3. *cap.* 3. *Epiph. hæres.* 27.

[n] *Euseb.* 2. *hist.* 13. *Oros.* 7. *hist.* 6. *Leo sup. Theodoret. in* 1. *ad Rom.*

[o] *sup.*

[p] *vt colligitur ex Gal.* 1. *v.* 18. *& cap.* 2. *v.* 1.
[q] *vt patet Actor.* 11. 12. 13. 14. 15.
[r] *vt Eununchum Candaces fuisse vnū ex discip.* 70. *Christi. Iuniam de qua Paulus ad Philipp. Episcopum fuisse cum fuerit mulier.*

dem habetur, nihil profeciſſe Romæ.

Tertiò, quia [s] PP. conſtanter docent Marcum Romę ſcripſiſſe Euangelium, prout ibidem Petrum prædicantem audierat.

Reſp. Velenus fuiſſe deceptos quod fuerint duo Marci, vnus dictus [t] Ioannes, Euangelij conſcriptor, qui nec fuerit Romæ, alter dictus Ariſtarchus, epiſtola ad Philemonem, qui cum Paulo Romæ fuerit, porrò quod de duobus Marcis dicitur, Patres vni tribuiſſe.

Errat Velenus. 1. quod putet Marcum Ariſtarch. vnum eſſe, cum ſint duo, vt patet ex vlt. ad Coloſſ. [v] *Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus, & Marcus conſobrinus Barnabæ.* 2. quod aſſerat à Ioanne Marco conſcriptum Euangeliũ. Nam Euangeliſta Marcus occiſus eſt 8. Neronis [x] teſte Euſeb. Ioannes verò Marcus, conſobrinus Barnabæ, & Pauli diſcipulus, vixit vſque ad 14. Neronis: poſteriore ſiquidem ad Timoth. [y] ſcriptâ 14. Neronis iuſſit [z] Paulus Marcum ad ſe venire. Quòd autem Marcus Euangeliſta fuerit Alexandriæ Epiſcopus non impedit quo minus adfuerit Romæ cum Petro.

Quartò, ex [zz] hiſtoriâ Simonis Magi. & arg. quibus probabitur proximè Petrum Romæ mortuum.

[s] *Euſeb. 2. hiſt. 14. ex Papia, & Clem. Alexand. Iren. 2. c.*

[t] *Hieron. in Marco Damaſc. in Pontif. in Petro. Iſidor. in Marco Ado in Chronico anni 45. Tertull. 4. contr. Marc.*

[t] *de quo actor. 12. v. 12. & cap. 15. v. 37.*

[v] *v. 10. ἀσπάζεται ὑμᾶς ἀρίσταρχος ὁ συναιχμάλωτός μου, καὶ μάρκος ὁ ἀνεψιὸς βαρνάβα.*

[x] *in Chronic. & Hieron. in Marco.*

[y] *imminente paſſione Pauli.*

[z] *v. cap. 4. v. 11.*

[zz] *de cuius veritate ſup. in 23. prærog. Petri.*

S. Petrum Romæ mortuum eſſe.

CAP. III.

PROBATVR 1. corp. Petri & Pauli Romæ conſeruantur, id enim teſtatur conſenſus totius orbis terrarum, ſaltem, iuxta aduerſarios, vſque ad an. Domini [a] 1400. nec eſt veriſimile, ſi in eo fuiſſet error, à quoquam non deprehendi: te-

[a] *id eſt, à tempore Paſſionis Petri ad tempora wicleſi.*

stantur quoque nominatim [b] Caius, [c] Theodoret. [d] Chrysost. Deinde si ibi non sunt, vbi ergo? nec enim probabile, tantorum virorum corpora neglecta. At si Romæ non obierunt, quis eorum Romæ corpora detulit, vnde, & quando; ac quibus testibus?

Secundò, ex PP. [e] Egesippo, [f] Euseb. [g] Origen. *Petrus ad vltimum in vrbe Româ commoratus, ibi & crucifixus est, deorsum capite demerso.* [h] Athan. *Petrus & Paulus cum audiissent oportere se Romæ martyrium subire, non abiecerunt eam profectionem, sed cum gaudio abierunt.* [i] Tertull. *Felix Ecclesia, scilicet Roma, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur.* [k] Lactant. [l] Ambros. [m] Hierony. *Simon Petrus ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique 23. annis Cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum, id est 14. Neronis annum, à quo & affixus Cruci martyrio coronatus est, capite ad terram verso.* [n] Aug. [o] Maximus. [p] Sulpit. [q] Oros. [r] Eutrop. [s] Paulin. [t] Isidor. [u] Leo [x] vterque Gregor. Latinus [y] Prudent. [z] Arator.

[b] *apud Euseb. 2. hist. 24. in Ruffino 25.*
[c] *Epist. ad Leonē.*
[d] *Homil. 32. in ep. ad Rom.*
[e] *3. Exeid. Hier. 2.*
[f] *in Chronico anni 71. à Christo.*
[g] *3. in Genes. & refert. Euseb. 3. cap. 1. hist. apud Ruff. 2.*
[h] *Apolog. pro fugâ suâ longè ante finē.*
[i] *de præscript.*
[k] *4. diuinar. Instit. 21.*
[l] *orat. contra Auxent. quæ habetur libro 5. epist.*
[m] *in Petro.*
[n] *1. cap. 10. de Consensu Euang.*
[o] *Serm. 5. de natali Apostol.*
[p] *2. histor. sacræ.*
[q] *supr.*
[r] *lib. 7. in Nerone.*
[s] *Natali 3.*
[t] *in Petro.*
[u] *1. de Natali Apostol.*
[x] *Papa 6. epist 37. Turonicus 1. cap. 25.*
[y] *in Hymno de Sancto Laurent.*
[z] *in fine Actor.*

Petrum Romæ vsque ad mortem Episcopum fuisse.

CAP. IIII.

PRIMÒ, id suadere videtur summa dignitas Ecclesiæ Romanæ, quæ semper habita est prima. Nec enim ratio vlla huius rei reddi potest, nisi quia Petrus vsque ad finem, ei[a] Episcopus fuit. Secundò, si hoc non sit verum, exponant ergo vbi Petrus sederit ab eo tempore quo Antio-

chiam reliquit?

Tertiò, ex PP. [a] Iræneo. [b] Tertulliano. [c] Cyprian. [d] Euseb. *Petrus natione Galilæus, &c. Romam proficiscitur vbi Euangelium prædicans 25. annis, eiusdem vrbis Episcopus perstiterat.* [e] Epiph. [f] Athan. [g] Optatus, [h] Ambros. [i] Augustin. *&c.* Concil. [k] Ephes. 1. Chalcedon. Act. 2. & 3. Concil. 5. act. 1. Item Sextum [l] act. 8.

[a] *3. cap. 3. in Cat. log. Rom. Pontificū.*
[b] *sup.*
[c] *4. epist. 2.*
[d] *in Chronico annō 44.*
[e] *Hæres. 27.*
[f] *Epist. ad solitariam vitam agent. duobus in locis ante medium.*
[g] *2. contr. Parmen.*
[h] *3. de Sacram. 1.*
[i] *2. contra literas Petiliani 51.*
[k] *tom. 2. cap. 16.*
[l] *Qui omnes dum asserunt R. Pontificem Petri successorem, satis ostendunt Petrum Romæ mortuum fuisse Episcopum.*

Soluitur Argumentum primum.

CAP. V.

ARGVMEN. non cōsentiunt inter se authores: Primò de tempore quo Petrus venerit Romam: Orosius vult exordio Claudij, Hyeron. anno eiusdē secundo, Fasciculus tēporum quarto, Passionale de vitis Sanctorū 13. Secundò, in successoribus Petri enumerandis, [a] Tertull. & [b] Hyerony. post Petrum ponunt Clementem, [c] Augustin. & [d] Optatus, Linum, deinde Clementem: [e] Euseb. & [f] Epiphan. Linum, deinde Cletum, siue Anacletum, & Clementem. Qui omnes vnum ex Cleto & Anacleto faciunt. At varietas est falsitatis signum.

Ad primam argum. partem resp. primò, nullam esse varietatē in ipsa re, (omnes enim docent Petrum Romæ venisse) sed si quæ est: in circunstantia temporis versatur. At sæpissimè accidit vt constet de re, & non de circunstantia. Omnes enim fatentur Christum esse mortuum in cruce, de tempore verò [g] discordant. Secundò, inter probatos authores, dumtaxat nullam esse varietatem in tempore. Nam si regnum Claudij in tres diuidas partes, id est in exordium, medium, & finem: annus secundus

[a] *sup.*
[b] *in 52. Isaiæ.*
[c] *Epist. 165.*
[d] *sup.*
[e] *in Chronico.*
[f] *Hæres. 27. & Iren. 3. cap. 3.*
[g] *Lactant. 4. inst. 10. anno 30. ætat. Euseb. in Chronico. an. 30. Onuphrius. 34. Iren. 2. cap. 39. an. ferè 50.*

ad exordium spectabit: & ita conueniunt Orosius & Hierony. Atque his, [h] authores qui Petrum asserunt Romæ sedisse annis 25. & anno 14. Neronis obiisse. Nec enim sunt 25. vsque ad 14. Neronis, nisi numerare incipiamus à 2. Claudij. Fasciculum verò temporum, & passionale reiicimus.

[h] *Isidor. Damas. Beda, &c.*

Ad 2. resp. 1. hoc nihil officere, quin Petrus reuera fuerit Romæ: sicut nec officit veritati historiæ Esther, diuersa sententia de marito eius. 2. res ita componitur. Petrus imminente passione, Clementi suam reliquit sedem, & ita sunt intelligendi Tertull. & Hierony. qui docent Clemẽtem à Petro successorem relictum. Mortuo Petro Clemens in sede Apostolica sedere noluit, donec vixerunt Linus, & Cletus, qui Petri coadiutores fuerant in Episcopali officio. [i] Et sic intelligi debent qui post Petrum illos constituunt. Quia enim in Romana Ecclesia post obitum Petri sancta contentio illa ex humilitate nata est, & vnus fuit, aliter esse debuit primus successor Petri: propterea hâc de re ita variè scripserunt Patres. Porrò duo Anacleti fuerunt, quorum vnus, qui & Cletus dictus, præcessit in Pontificatu, alter Clementem sequutus est. [k] Ecclesia si quidem duos festos dies in eorum celebrat memoriam, nec est credibile in re tanta falli. Hinc factum, vt quidam PP. Clementi præponant Anacletum, alij postponant, alij ex duobus fecerint vnum ob nominis similitudinem.

[i] *Post Petrum ergo sedit 1. Linus 2. Cletus, qui & Anacletus, post 3. Clemens 4. Anacletus.*

[k] *Cleti Roman. Filij Aemiliani, 26. Aprilis: Anacleti Athenienſis & filij Antiochi 13. Iulij.*

Soluitur secundum.

CAP. VI.

ARGVMENT. Petrus non potuit Romam venire ante 18. annũ à passione Domini: dicitur autem sedisse Romę annis 25. Ergo vsque ad annum 43. à passione Domini superuixit. Sed tunc iam obierat Nero, Galba, Otho, Vitellus, & regnabat Vespasianus in Christianos mitissimus. Igitur Petrus non fuit Romæ Martyrio coronatus.

Probatur anteced. primò: quia cùm fieret Concil. Hierosoly. adhuc erat Petrus in Iudæa, factum est autem [a] anno 18. à passione Domini. 2. dicitur Petrus fuisse quinque annis in Iudæâ, deinde Antiochiæ septem, tum multis aliis Ponto Galatiæ Cappadoc. Asiæ, Bithiniæ: itaque vt minimum anni 18. fluxerunt. 3. si venisset ante 18. certè Claudij secundo: sed tunc non erat è vinculis liberatus Herodis, contigit enim ea liberatio anno [b] Claudij tertio, deinde vt ex Thrasea martyre [c] Euseb. refert præceperat Apostolis Christus vt ante 12. annum è Hieruſ. non discederent, incidit autem hic annus in 3. Claudij.

[a] *vt colligit Hier. in 2. ad Galat.*

[b] *vt ex Actor. 12. & Iosepho 19. antiq. 7. colligitur.*

[c] *5. histor. 17. in Russino 18.*

Respond. 1. Etsi errassent PP. qui dixerunt Petrum sedisse Romæ 25. annis, non tamen sequi non sedisse omninò 2. rem ita se habere: mansit Petrus quinque ferè annis Iudæâ, ac tunc potuit facilè eum conuenire Paulus post tres annos à sua conuersione: quinto anno profectus in Syriam Antiochiæ sedem fixit septem annis, interim nihilominus peragrando vicinas prouincias Pontum, Asiam, Galat. &c. anno

verò septimo Episcopatus Antioch. vndecimo à passione Domini rediit in Hierusal. ibique comprehensus ab Herode mittitur in vincula, vnde paulo post ab Angelo liberatus eodem anno, scilicet Claudij [d] secundo, Romam venit, falsum enim est Dominum imperasse vt omnes Apostoli Hierosoly. morarentur ad 12. annos. Petrus enim antequam coniiceretur in vincula, & proinde ante 12. à Christo passo, [e] profectus est in Samariam, Ioppem, Lyddam, Cæsaream: sed fortasse imperauit Dominus, vt non omnes recederent, verum aliquis semper maneret. Postquam autem Petrus Romæ Episcopus septem annos expleuit rediit in Hierusalē [f] expulsus cum aliis Iudæis ex vrbe: quod cùm audissent qui erant Antiochiæ miserunt ad eum Paulum, & Barnabam, atque celebratum est Concil. Hieroso. mortuo Claudio, rediit Petrus Romam, ibique pro Christo defunctus Romanam sedem tenuit annis 25.

Onuphrius [g] Panuinius tamē contendit Petrum non sedisse Antiochiæ ante Concilium Hierosoly sed postquam redierat è Româ.

Primò, quia ex Actis, ac Paulo ad Galat. & Euseb. in Chronico colligitur Petrum primis nouem annis à passione Domini non recessisse ex Iudæâ: decimo verò anno Romam venisse.

Secundò, Christus passus est ætatis suæ 34. Tyberij 19. regni, constat enim [h] ex Phlegonte illam Eclipsim insignem, anno 4. Olympiad. 202. fuisse, qui in 34. Christi incidit. Vnde [i] Beda scribit fidem Ecclesiæ habere Christum vixisse in mortali carne amplius 33. annis. Petrus Romam ingressus est 2. Claudij, à quo ad 19. Tyberij sunt 10. non integri anni. Ex quibus, primos quatuor consumpsit Petrus in Iudæâ: remanent verò sex non completi, & proinde non occurrit locus septennio sedis Antiochenæ. Refellitur.

[d] *Etsi enim Lucas paulò ante mortem Herodis hanc referat liberationem Actor 12. Herodes verò obierit 3. Claudij iuxta Ioseph. 19. Antiq. 7. tamen docet Luc. saltem præteriisse annum vnū: cum dicat postea profectum Herod. Cæsaream ibique commoratum.*

[e] *Actor 8. 9. 10.*

[f] *anno 18. Claudij iuxta Oros. lib. 7.*

[g] *Annotationibus in Platinam ad initium.*

[h] *apud Euseb. in Chronico.*

[i] *libro de ratione tempor. cap. 45.*

Primò, quia pugnat cum sententia [k] summorum Pontificum, [l] veterum PP. & Illustrium historicorum qui disertis verbis tradunt Petrum Antioch. sedisse antequam Romæ.

Secundò, festum Cathedræ Antiochenæ [m] vetustissimum est, & toto orbe celebratum, honorificentius festo Cathedræ Romanæ, quod nuper à Paulo 4. institutum est. Cuius rei ratio nulla reddi potest: si Romæ primùm Petrus sedit.

Tertiò, ante 18. à passione Domini fuit-ne Antiochiæ Episcopus aliquis? si Petrus, est quod intendimus: si alius 1. falsum Antiochiæ primò sedisse Petrum, deinde Euodium, & Ignatium vt [n] Ignatius tradit. 2. concedendum erit Petrum successisse alicui ex discipulis in Episcopatu 3. vel dimisit Romanum, vel retinuit, si prius: ergo non 25. annis Romæ sedit imò nec 20. contra veteres: si posterius: ergo simul duos Episcopatus proprios, & particulares maximéque inter se distantes retinuit: pessimum posteris exemplum. Si dicas non sedisse Antiochiæ vt proprium Episcopum, vnde ergò Patriarchalis est, vnde festum cathedræ illius institutum?

Ad primum Respond. ex Actis, & Epist. ad Galat. solùm haberi fuisse Petrum Hierosoly. anno 4. 11. & 18. à passione Domini: sed inde non colligitur non potuisse à quarto anno ad 11. habitare Antiochiæ. Euseb. verò in Chron. diserte notat, Tyberio imperante S. Petrum sedem suam Antiochiæ constituisse, eamque tenuisse 7. annis, ac tum demum profectum Romam anno Claudij 2. Est quidem error circa tempora vinculorum Petri: sed nihil ad rem.

Ad 2. respondeo 1. hinc solùm deduci Petrum non sedisse septennio Antiochiæ, sed sexennio, aut quinquennio. 2. nec hoc quidem inferri: potuit enim Petrus anno secundo à passione

[k] *Anacl. ep. 3. Marcel. ep. 1. Innocent. epist. 14. Leon. serm. 1. de natali Apost. Gelas. decreto de lib. apocryp. &c.*

[l] *Euseb. in Chron. Hieron. in Petro Isidor. de vitis PP. Bedæ de 6. ætatib. Adonis in Chronico Haymo. 2. cap 21.*

[m] *vt patet ex sermonibus sancti Augustini de Cathedra Petri.*

[n] *Epist. ad Antioch.*

Domini ſedem Antiochiæ conſtituere, & ſeptennio tenere, ſic tamen vt ſæpius rediret in Hieruſal. & excurreret in alia loca. 3. non rectè probat Chriſtum paſſum ætatis. 34. Tyberij. 19. ex olympiadibus: ſiquidem maxima eſt quæſtio vnde incipiendæ ſint & quemad. Onuphrius ſic eas diſpoſuit, vt 34. Domini annus incideret in ducenteſimam ſecundam, ita eas alij diſponunt, vt in eandem incidat Chriſti trigeſimus tertius. Beda verò nihil aliud vult quàm Chriſtum peruéniſſe ad 33. annum, & ſuperuixiſſe aliquo tempore [ſcilicet intra trigeſimum tertium] nam ibidem ſuam probat ſententiam ex indiculis quibuſdam Eccleſiæ Romanæ, in quibus annotabatur annus à paſſione Domini, demptis 33. qui fluunt præciſè ab incarnat. ad paſſionem: quia ſecundum veteres die. 21. Martij Chriſtus conceptus, & mortuus eſt. Igitur à natiuitate ad paſſionem erunt triginta tres non completi: [id eſt, attigerat trigeſimum tertium Chriſtus & aliquid ſupra, cùm crucifixus eſt.] 4. [o] Ex Euſeb. & aliis fere omnibus Chriſtus natus eſt anno 42. imperij Auguſti, qui [p] 56. non integris regnauit, mortuus verò Chriſtus. 18. Tyberij iuxta [q] Euſeb [r] Epipha. [s] Eutrop. [t] Beda. At ab illo 42. ad illum [v] non fluunt niſi 33. anni. 5. Chriſtus baptizatus eſt anno 30. ætat. inchoato Luc. 3. & *ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum* 30. & ita intellexerunt omnes [x] veteres hæc verba. Poſt baptiſ-

[o] *in Chronico Oroſius 7. cap. 2. [Baronius in fine apparatuum ad Annal. Eccleſ. ponit à Triũuiratu quadrageſimum primum à nece Cæſaris. 42. 25. Decembris, Caio Cornelio Lentulo, & M. Valerio Meſſalmo Coſſ.]*

[p] *Suetonius in Auguſto.*

[q] *in Chronico.*

[r] *de menſ. & ponderibus.*

[s] *lib. 7.*

[t] *de 6. ætatib. idem Baron. to. 1. anni 34. Chriſti 18. Tyber.*

[v] *verſ 23.* καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν.

[x] *Irenæ. 25. 39. Tertull. 4. contr. Iud. Clem. 1. ſtro. &c. At Ignatius epiſt. ad Trallianos:* καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος, ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου. *Et expletis tribus annorum decadibus baptizatus eſt à Ioanne: quare Baron. ſup. & anno 31. Chriſti Tiberij 15. & in apparatibus, contendit Chriſtum baptizatum anno 31. inchoato. In Annalib. verò docet mortuum 34. per tres mẽſes inchoato: & pro ſe citat Bedam ſup. Verum ad Ignat. reſpõdet Bell. hic loqui per figuram intellectionis quomodo Lucas cap. 2 dixit conſummatos fuiſſe 8. dies quando circumciſus eſt puer & Marcus 8. poſt tres dies Chriſtum reſurrecturum.*

mum prædicauit plus tribus annis: habemus enim quatuor paſchata à [y] Ioanne notata: vnde neceſſe eſt Chriſtum prædicando, ad initium quarti anni peruenisſe. Igitur paſſus eſt anno trigeſimo inchoato: non autem 34. vt vult Onuphrius. [y] *Ioan.2.4.6.13.*

Soluuntur alia quinque argumenta.

CAP. VII.

TERTIVM, Petrus non potuit Romam venire ante 9. Claudij. Sed neque poſt. Nam Claudius qui iuſſit Iudæos expelli, iuſſit non recipi.

Negatur maior vide caput præcedens. Quartum, quando Paulus [a] reprehendit Petrum Antioch. erat peractum Concil. Hieroſoly. & tamen Petrus nondum iuerat Romam. Reſpondeo, iuerat, & redierat. Quintum, Paulus ſcribens ad Romanos multos iubet [b] ſalutari nec meminit Petri. Reſpondeo. 1. nec etiam ſcribens ad Epheſ. meminit Ioannis, & ad Hebræos, Iacobi, nec tamen ſequitur, illum Epheſi hunc Hieroſ. epiſcopum non fuiſſe. 2. eo tempore Petrus redierat ex Româ, verſabaturque in Syriâ, ſcripſit enim ad Rom. Paulus cum [c] proficiſceretur Hieruſ. vbi comprehenſus fuit: contigit autem hæc captiuitas medio tempore inter Concil. Hieroſ. & obitum Claudij, poſt Concil. enim [d] peragrauit Maced. & Achaiam Paulus, & peruenit in Hieruſ. Fælice præſide, qui [e] præfuit Syriæ vſque ad mortem Claudij, & initium Neronis, vnde ſcripta eſt hæc epiſt. circiter. 11. vel. 12. Claudij, quo tempore Petrus Syriam peragrabat.

[a] *Galat.2.a. v.11.*

[b] *cap. vlt.*

[c] *Rom.15.verſ.25. Nunc autem proficiſcor in Hieruſalē, &c.*

[d] *Actor. 16.*

[e] *teſte Ioſepho 20. Antiq 9. & 13.*

Sextum, [f] Ambroſ. ſcribit Narciſſum, quem

[f] *in 16. ad Rom.*

Paulus iubet salutari, fuisse Roman. presbyterum. At presbyter & Episcopus idem sunt apud Paulum.

Negatur minor. Nam: *vt* (inquit) [g] *Ambros. omnis Episcopus presbyter est, non tamen omnis presbyter Episcopus.*

Septimum, Paulus cum Petro [h] iniit fœdus vt hic Iudęorum, ipse Gentium esset Apostolus.

Respondeo potuisse vtrumque quibuscumque vellent prædicare: sanciisse tamen fædere, vt vnus principaliter Iudæis, alter Gentibus prædicaret. Nam hoc non obstante, & Petrus Gentibus, & Paulus Iudæis prædicauit.

[g] *in cap. 3. prior. ad Timoth.*

[h] *Galat. 2.*

Soluuntur alia octo.

CAP. VIII.

CTAVVM, 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Paulus è Româ scribens ad Gal. Ephes. Coloss. Philipp. Hebr. Timoth. 2. Philemon. non solùm Petri non [a] meminit, sed Philipp. [b] 2. *Omnes* (inquit) *quærunt quæ sua sunt.* Coloss vlt. *Salutat vos Aristarch. &c. Marcus, &c. & Iesus, &c. hi* [c] *soli sunt adiutores mei in regno Dei,* & 2. ad Timoth. [d] 4. *in primâ mea defensione nemo mihi adstitit, sed omnes me dereliquerunt.*

Respond. 1. nihil concludi argumento ab authoritate sumpto negatiuè: nec enim sequitur Math. non meminit Circuncisiõn. Marcus Præsentationis Christi. Ergo ita non fuerunt.

Primo autem loco Paulus de quibusdam, non omnibus loquitur per figuram intellectionis: ibidem enim dixerat secum esse Timoth. qui certè sua non quærebat. in secundo non nisi de ijs, qui eum iuuare poterant erga Cæsarem: nam

[a] *sicut neque in epistolis ad Senec. & Senecæ ad illum.*

[b] οἱ πάντες τὰ ἑαυτῶν ζητοῦσιν, οὐ τὰ τοῦ χριστοῦ Ἰησοῦ. v. 21.

[c] v. 11. ὅτι μόνοι συνεργοὶ εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ, οἵτινες ἐγενήθησάν μοι παρηγορία.

[d] v. 16. ἐν τῇ πρώτῃ μου ἀπολογίᾳ οὐδείς μοι συμπαρεγένετο, ἀλλὰ πάντες με ἐγκατέλιπον.

ibi declarat secum fuisse Lucam, qui non reliquerat eum, in tertio, loquitur solùm de domesticis suis sicut cum ait [c] ibidem, *Lucas est mecum solus*: Certum est enim ex vlt. cap. ad Rom. multos fuisse Romæ ad fidem conuersos. [c] *cap. 4. v. 11.*

Resp. secundo. Petrum tunc non fuisse Romæ. Et si enim ibi sedem, fixisset, tamen sæpius aberat, vt in variis locis constitueret Ecclesias.

Soluitur decimum sextum.

CAP. IX.

ARGVM. [a] Ambros. docet Petrum & Paulum *vno die, vno in loco vnius Tyranni toleratsse sententiam.* Linus in passionib. Petri & Pauli, nec eodem tempore, nec loco, nec Tyranno. Præterea Iosephus fuit Christianorum amicus, nec tamen meminit Petri, cum agit de interfectis à Nerone. [a] *Serm. 67.*

Denique Petrus senex erat quando Paulus [b] adolescens, scilicet cùm interfectus est Stephanus. Et tamen ad senectutem etiam peruenit Paulus. [b] *Actor. 7. v. 58.*

Ad 1. partem: confictam esse hanc Lini historiam, vt etiam fatetur Velenus.

Ad 2. Ioseph. ex industriâ plurimos prætermisisse, à Nerone interfectos, vt matrem, præceptorem, vxorem. Deinde vult Velenus Petrum occisum Hierosoly. iussu Anani Pontificis, cuius gesta Iosephus [c] scripsit, quosque occiderit numerat, quare ergo Petrum prætermisit? [c] *20. antiq.*

Ad 3. negatur, nec enim verisimile est senes à Christo electos, ad summos abeundos labores: nec tunc Paulus adolescentulus erat: cum proximè fuerit assumptus ad Ecclesiarum regimen.

Demus ergo Petrum fuisse annorum 50. Pau-

lum.25. potuerunt tamen ambo mori senes & simul: vltimo enim Neronis, Petrus fuisset 86. & Paulus 61. annorum.

Soluitur decimum sept. & 18.

CAP. X. & XI.

[a] CAP. X. [b] *vers.* 34.

ARG. [a] Math. 23. [b] *Ecce ego mitto ad vos prophetas*, &c. *Et ex illis occidetis*, &c. In quem locum Chrysost. *intelligit* (inquit) *Apostolos, & qui cum Apostolis fuerunt.* Hierony. [c] *Obserua iuxta Apostolum, varia esse dona discipulorum Christi*, &c. *Ex quibus lapidatus est Stephanus, Paulus occisus, crucifixus Petrus.* [d] Lyran. *Ex eis occidetis sicut Iacobum fratrem Ioannis*, &c. *crucifigetis vt Petrum, & Andream.*

[c] *in hunc locum, sicut & Lyranus.*

Respondeo ex Matth. & Chrysost. non colligi discipulos occidendos omnes in Iudæa, sed tantùm aliquos: hoc enim significat illud, *ex eis*, Hieronymi exempla non tendunt, vt intelligamus quosnam ex discipulis Iudæi occisuri erât, sed vt discamus varia futura fuisse martyriorum genera. Nam libro de viris illustrib. apertè docet Petrum, & Paul. à Nerone occisos. Lyranus sequi voluit Hierony. & dicere Petrum, & Andræam pro Christo crucifixos, quamuis minus cautè sit loquutus.

[d] Decimumoct. Cum de rebus nuper gestis sæpè fingantur errores quid de tam remotis, ac perturbatis temporibus Romanæ Curiæ paupones dumtaxat confingere non poterant?

Respondeo errores fingi, quando res clam gestæ sunt, & sine testibus, aut quantum ad annorum numerum, vel circunstantias similes, non quantum ad substantiam rei celeberrimæ, maximè quando præter scriptorum testimonia

[a] CAP. XI.

extant monumẽta, lapides & similia, sicut in re de quâ agimus. Insipienter autem Velenus vocat antiquiss. & grauiss. [e] authores, palpones.

[e] *Iren. Tertull. Euseb. &c. sup.*

Romanum Pontificem Petro succedere in Ecclesiastica Monarchia, probatur ex iure diuino, & ratione successionis.

Cap. XII.

DEBET Petro, iure diuino aliquis succedere: ille non potest alius esse quam Romanus Pontifex. Igitur ille succedit. Probatur maior. 1. quia non ad Petri commodum, sed Ecclesiæ vtilitatem primatus fuit institutus. Pontifex enim propter Ecclesiam est, non contra. At Ecclesia non minus eget nunc vno pastore quam Apostolorum tempore: imò nunc magis: cum sint Christiani plures & peiores. 2. Ecclesia vna & eadem est omni tempore. Ergo non debet mutari forma regiminis eius. 3. ex natura rei, tandiu durare debet officium pastoris, quandiu ouile. At ouile Christi manet vsque ad finem seculi. Igitur & pastor, cui dictum sit: *Pasce oues*, suum? certè vt pecunimirum Petrus in successoribus suis. 4. Petro suas omnes commendauit oues Christus, & proinde etiã quæ spectarent ad futurũ tempus. Sed Petrus non erat semper in carne victurus. Igitur cum dixit ei Christus *Pasce*, &c. omnes eius [a] successores alloquutus est. 5. Ecclesia suum quoddam caput in terris visibile habet: postquam enim Paulus dixisset Ecclesiam esse vnum corpus subiecit [b] *Non potest caput dicere pedibus non estis mihi necessarij*, Quod certè non conuenit Christo, nullum autem huius caput præter Petrum, assignari potest: nec debet Ec-

[a] *Chrysost. 2. lib. de Sacerdotio: Quãdes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus cõmittebat. Item Leo 2. ser. de anniuersariâ Assumptione ad Pontificatum.*

[b] 1. *Corinth.* 12. *v.* 21. ὁ δὲ πάλιν τοῖς ποσὶν, οὐκ ἔχω χρείαν ὑμῶν· οὐκ ἔχω.

cleſia moriente Petro, carere capite. 6. in veteri Teſtamento erat ſummorum Pontificum ſucceſſio. Sacerdotium autem illud figura fuit Sacerdotij noui teſtamenti.

Minor probatur, quia nullus fuit vnquam qui ſe ſucceſſorem Petri haberet, præter Romanum, & Antiochenum Epiſcopum. Antiochenus autem non ſucceſſit Petro in primatu Eccleſiæ, tum quòd non ſucceditur, niſi cedenti locum per mortem naturalem, aut depoſitionem, vel renunciationem, Petrus, autem viuens & Pontificatum gerens, Antioch. reliquit Eccleſiam, & Romæ fixit ſedem, tùm quia Antiochenus, nec quidem eſt ſecundus inter Patriarchas.

Quamuis autem ex [c] inſtituto Petri ſit eleuata Romana ſedes ad primatum totius Eccleſiæ, potius quam quælibet alia: quia tamen ſucceſſio in Pontificatu ſupremo Petri eſt de iure diuino, & hæc iam de facto, Romanis Pontificibus ineſt: propterea abſolutè loquendo, iure diuino Rom. Pōtifex eſt caput totius Eccleſiæ: [Nec hoc debet mirum videri: cum etiam ſint Entia quædam naturalia, non niſi medio artificiali.]

[d] Obiicitur primò ex actione 16. Concil. Chalced. Rom. Pontifex primatū habuit à Patribus, eo quod ea ciuitas toti imperaret orbi.

Reſpondeo, illegitimum fuiſſe hoc decretum vide infra. cap. 17.

Secundò Roman. Pontifex non eſt Apoſtolus, ſed Epiſcopus tantùm: non enim Apoſtoli ordinarunt Apoſtolos. Ergo non ſuccedit Petro in Apoſtolica poteſtate, quæ eſt vniuerſalis.

Reſpondeo, tria in Apoſtolatu contineri. 1. eſſe immediatum à Deo edoctum Verbi miniſtrum, qui libros ſacros ſcribere poſſit. 2. Eccleſias conſtituere, ac fidem propagare vbique. 3. ſummam habere in Eccleſia poteſtat. 1. modo

[c] [*hanc ſequitur etiam opin. Thomas Stapeleton controuerſia 3. q. 2. ar. 2. in reſponſ. ad 4. contrariam, quam probabilem hic Bellarminus putat, vt certam ſequitur Gregor. à Valent. lib. 7. Analyſ. cap. 12.*]

[d] *Nili argumentū Theſſalonicenſis Archiepiſcopi libro contra Papæ primatum.*

non succeditur Apostol. a. & 3. succedit Romanus Episcop. Petro ex ordinatione diuinâ: quare Romani Pontificis sedes semper vocata est Apostolica [c] à PP.

Tertiò, Papa vocatur & est solùm Romanæ vrbis Episcopus. Negatur vt ex ipso Chalced. Concil. act. 3. [f] cognosci potest.

Quartò, Petrus Antiochiæ, & Alexandriæ Episcopos ordinauit. Sed id non licet Papæ.

Negatur minor: quamuis effectum potestatis impediat pertinacia Græcorum: Nam in Concil. [g] Chalced. legimus maximum Episcopum Antiochen. ideò à Concilio receptum, quòd à Leone fuisset in Pontificatu confirmatus.

Quintò, quidquid Petrus dixit oraculum fuit Spiritus sancti. Hoc non competit Papæ. Igitur non habet omnes Petri prærogatiuas. Admittitur conclusio.

Sextò, Petro sine conditione dictum est: *Quidquid ligaueris*, &c. At Petrus Papæ Romano præscripsit vt id solum liget, & soluat, quod id meretur.

Sed neque Petrus habuit potestatem faciendi aliquid iniustè: neque quidquam dumtaxat præscripsit Papæ.

Septimò, [h] Etsi Petrus. 12. Apostolis initiò præfuisset, non sequitur tamen aliquem debere toti orbi præesse: quia pauci facilè ab vno, multi verò non nisi à multis vtiliter reguntur.

Respondeo, Petrum præfuisse omnibus Christianis, qui iam Actorum. 2. creuerant ad 3. millia. Actor 4. ad quinque, quo verò sunt plures eo magis vno indigent rectore, à quo in vnitate contineantur.

Octauò, [i] si ideo Romæ sedes summi Pontificatus, quia Petrus summus Pontifex Romæ defunctus est. Igitur & in deserto summi Pontificatus Iudaici sedes, quia ibi defunctus Aaron, & Moses.

[c] *in ipso Chalced. Concil. act. 1. dignitas Papæ, vocatur Apostolatus act. 16. sedes Apostolica.*

[f] *in quâ leguntur tres Orientalium Epist. in quibus Leo vocatur vniuersalis Ecclesiæ Papa.*

[g] *Act. 7.*

[h] *est Caluini 4. ca. 6. Inst. §. 8.*

[i] §. 11.

Respond. non ideò solùm quia Romæ obijt: sed quia ibi sedem suam fixit vsque ad mortem: quod non fecerat in deserto Aaron.

k §. 12.

Nono. [k] Priuilegium de primatu Eccles. vel est locale, vel personale, vel mixtum: si primum: ergo cum semel fuerit concessum Antiochiæ non poterit ab ea tolli: si secundum: ergo nihil, duntaxat, iuris Roma magis habet, quam quæcumque alia ciuitas. si tertium: non datur loco nisi pro tempore, quo in eo talis persona est: & proinde tandiù solùm Romæ, quandiù durauit Petrus.

Resp. hanc Pontificalem dignitatem, ex Christi institutione factam esse personalem publicam, id est quæ transiret ad successores, ex facto autem Petri factam esse mixtam, id est simul localem: non Antiochiæ, quia ibi non fixit sedem vsque ad mortem: sed Romæ.

Decimò, si ideò Rom. Episcopus, primus: quia Petro succedit. Igitur Ephesinus, secundus Hierosolymit. tertius, &c. At secundus est Alexandrinus.

Resp. ordinem, & numerum Patriarchal. sedium non pendere ex priorum Episcoporum dignitate, aliàs duodecim essent: sed solâ Petri dignitate, & voluntate: sicut [l] Anacl. docet.

l *Epist. 3. Leo epist. 53. & Gregor. ad Eulog. quæ est 37. lib. 6.*

[m] Vndecimò, si quæ dicuntur Petro, successoribus etiam dicuntur. Ergo, & illa, *Vade post me Sathana.*

m *ita Calum. 4. cap. 7. §. 28.*

Negatur consequentia. Nam quædam dicta sunt Petro pro se tantùm, quædam pro se, & omnibus Christianis, vt: [n] *si peccauerit in te frater tuus*, &c. quædam pro se, & successoribus tantùm. Primi generis est illud, *vade post me*, &c. dicta sunt enim ea ratione propriæ imbecillitatis: secundi generis verò illud *Pasce oues meas.*

n *Math. 18. v. 15.*

Probatur

Probatur Primatus Romani Pontificis ex conciliis.

CAP. XIII.

PRIMO, ex Nicæno. 1. can. 6. *Ecclesia Romana semper habuit primatum* (quæ verba etsi in libris vulgatis non habeantur, tamen ita citatur canon à Chalced. [a] Concil.) *Mos antiquus perduret in Aegypto, vel Lybia, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem, & Episcopo Romano parilis mos est*, vbi nihil quidem circa Romanam Ecclesiam statuitur vt Nicolaus [b] obseruat. Non enim ait can. *Habeat Rom. Episcopus huius vel illius regionis administrationem*: sed tantùm ex Rom. Ecclesiæ forma, præscribit regulam aliis Hæc autem verba, *quoniam episcopo Romano parilis mos est*, quadrupliciter exponuntur.

[a] *Act. 16. post quem lectum indices dixerũt: perpendimus omnem primatum, & honorem præcipuum, secundum canones, antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conseruari.*

[b] *Epist. ad Michaelem.*

Prima expositio [c] decretum esse à Concil. vt Alexandr. Episcopus curam habeat Aegypti sicut Romanus habet suburbanarum Ecclesiarum.

[c] *est Ruffini 10. histor. 6.*

Sed falsum hoc. Nam si primus est Episcopus Roman. quomodo credibile illi assignatam angustissimam regionem, aliis autem minorib. Patriarch. latissimam? Deinde in nullis authenticis editionibus fit mentio suburbanarum regionum in canone isto.

Secunda [d] expositio statui Episcopum Alexand. habere Aegypti curam totius, sicut Romanus totius Occidentis. Sed cùm ait Concil. *Quoniam parilis est mos*, &c. reddit rationẽ quare manere debeat antiquus mos in Aegypto. Non est autem, quia Romanus Episcopus curam Oc-

[d] *est Theodori Balsamonis.*

cidentis habet. Debuisset enim potius inferre Alexandrinum debere toti Orienti præesse: adde nullam fieri mentionem in can. Orientis, vel occidentis.

Tertia [e] restituendum esse *Metropolitano*, in canone, pro *Episcopo Romano*. Sed exemplaria Nicæni Concil. nusquam emendatiora extabant quam [f] in scriniis Romanorum Pontificum, ex quibus hunc canonem tulit, vt legimus eum, ad Concilium Chalcedonense, Paschasinus Leonis legatus. Adde nullam esse consequentiam. Metropolitanus regit vnam prouinciam: ergo Alexandrinus Episcop. (qui multis Metropol. præest) similiter debet regere plurimas.

Quarta [g] ergo, eaque vera est, nihil aliud intendi quam Alexand. Episcopum illas debere gubernare Prouincias: quia Rom. Episcopus ante omnem Conciliorum definitionem consueuit, permittere Alexandrino eas regere.

Secundò, ex Concilio Constantinop. 1. epist. [h] ad Damas. quo fatentur PP. Romanam Ecclesiam caput esse, se autem membra.

Tertio Ephes. 1. apud Euagrium [i] lib. 1. cap. 4. Item Chalced. act. 1. 2. &. 3. quibus passim vocatur Leo, *vniuersalis Ecclesiæ Pontifex*.

Septima verò synodus, act. 2. consentit epistolæ Adriani ad Tharasium, in qua legimus: *Cuius sedes* (scilicet R. Pontificis) *per totum terrarum orbem primatum obtinens lucet, omniumque Ecclesiarum Dei caput existit.* Lateranensi [k] 4. cap. 5. Lugdun. [l] Florent. *Definimus sanctam Apostolicam sedem, & Rom. Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis Apostolorum & verum Christi vicarium totiusque Ecclesiæ caput.*

[e] *Authoris summæ Conciliorum Bartholomæi Carrãzæ.*

[f] *Nam quæ in Græciâ erant, consummata fuerant ab Arianis teste Athanas. epist. ad omnes orthodoxos.*

[g] *est Nicolai. 1. supr.*

[h] *apud Theodoret. 5. histor. 9.*

[i] *quo profitetur Cõcil. se deponere Nestorium ex mandato Cælestini Papæ.*

[k] *Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatũ.*

[l] *sub Gregor. 10. habetur decretum in 6. tit. de Electione cap. Vbi periculum.*

Idem probatur ex testimoniis summor. Pontificum.

CAP. XIIII.

IVLIVS [a] 1. *An ignari estis* (inquit) *hanc esse consuetudinem vt primùm nobis scribatur, vt hinc quod iustum est definiri possit, &c.* Damas. [b] *Cuncta quæ possunt aliquam recipere dubitationem ad nos tanquam ad caput, vt semper fuit consuetudo, deferre non desinatis.* Syricius, [c] *Portamus onera omnium qui grauantur. Quinimò hæc portat in nobis B. Apostolus Petrus, qui nos in omnibus, vt confidimus, administrationis suæ protegit, & tuetur hæredes.* Zozimus Epist. ad Hesichium Salonitanum Episcop. Innocent. [d] 1. *Diligenter, & congruè Apostolico consulitis honori, Honori inquam illius, quem præter illa, quæ extrinsecus sunt, solicitudo manet omnium Ecclesiarum, &c.*

[a] *Paulo ante finem epist. ad Orientales, quæ extat in Apologia secunda sancti Athanas.*

[b] *Epist. ad Orient. apud Theodor. 5. cap. 10. histor.*

[c] *epist. ad Himericum episcop. Tarraconensem.*

[d] *epist. ad Concil. Milenit. quæ est 93. inter epist. Aug.*

Respent. Magdeb. Innocentium, sibi nimis arrogare. Sed [c] Augustinus de eodem dum taxat loquens: *Ad omnia* (inquit) *ille nobis rescripsit eodem modo, quod fas erat, atque oportebat Apostolicæ sedis antistitem.*

[c] *epist. 106.*

Leo [d] Epist. ad Thessalonic. Episcopum vbi dixerat, magnâ prouidentiâ constitutos Episcopos, Archiepis. Primates subdit: *Per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluereret, & nihil vnquam à suo capite dissideret.*

[d] *84. in fine item epist. 46. 87. & ser. 1. de natali Apostol.*

Resp. [e] Caluin. 1. Leonem nimis auidum gloriæ, & eius ambitioni plures restitisse vt patet Epistolâ eius. 85. 2. non vsurpasse sibi iurisdictionem in alios Episcop. sed tantùm in dissidijs se interposuisse, quantum lex & natura Ecclesiasticæ communionis patiebatur, sicut

[e] *4. Instit. 7. §. 11.*

constat ex Epistola 84. quâ dicit se velle seruare Metropolitano priuilegia sua.

Sed vltima responsio destruit priorem, nec vllus antiquorum reprehendit Leonem, aut ei restitit excepto [f] Hilario Gallo Episcopo, qui tamen Romam venit ad dicendam causam, ibique conuictus, & punitus est. Secunda responsio falsa probatur ex Epist. 46. 87. quibus vt Iudex absolutè præcipit: Epistola verò à Caluino citata ita vult seruare iura Metropolit. vt semper sibi reseruet iudicium vltimum.

[f] *vt patet ex epist. 89. Leonis.*

Gelas. [g] *Cuncta per mundum nouit Ecclesia quoniam quorumlibet sententijs ligata Pontificum, sedes B. Petri Apostoli ius habeat resoluendi, vt potestque de omni Ecclesiâ sas habeat iudicandi: neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio.* Ioannes 2. Epist. [h] ad Iustinianum seniorem. Anastas. 2. ad Anastasium imperatorem, Fœlix 4. Epist. 1. Pelag. secundus [i] Epist. 1. Denique Gregor. 7. Epist 63. *Nam* (inquit) *de Constantinopolitana Ecclesia quis eam dubitet Apostolicæ sedi esse subiectam?* Deinde: [k] *Nescio quis ei* (scilicet Apostol. sedi) *Episcopus subiectus non sit.*

[g] *Epist. ad Episcopos Dardaniæ.*

[h] *habetur in ipso Codice Iustiniani in 1. titulo.*

[i] *Romana sedes instituente Domino Caput est omnium Ecclesiarum.*

[k] *epist. 64.*

Resp. [l] Caluin. 1. Gregorium tribuisse sibi ius corrigendi alios, non tamen paruisse nisi volentes. 2. vt constat ex Epistola 64 libri 7. ex mandato imperatoris iudicasse Episcopum Constantinopolitan. sicut alios puniebat sic paratum (lib. 2. Epist. 37.) ab aliis emendari 4. hunc statum Pontificium sibi displicuisse lib. 1. Epist. 5. & 7.

[l] *4. cap. 7. §. 12.*

Ad 1. humillimum fuisse Gregorium, & proinde qui non vsurparet in alios iura. Ad 2. ibidem docet id voluisse imperatorem, quia id iubebant canones. Ad 3. loqui de correptione fraternâ. Ad 4. solùm displicuisse, ex quiete monasterij translatum fuisse ad Episcopalia onera: placuisse [m] tamen Ecclesiam Romanam omniū aliarum curam habere: cùm pro illius honore

[m] *Vide lib. 4. ep. 36. & lib. 11. epist. 41.*

acerrimè pugnauerit contra Ioannem Constantinopolitanum.

Ex Patribus.

CAP. XV. & XVI.

IRENAEO [a] 3. cap. 3. *Ad hanc Ecclesiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam*, &c. Epiph. [b] hæresi 68. [c] Athanas. *Ob id vos prædecessoresque vestros Apostolicos videlicet præsules in summitatis arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere præcepit, vt nobis succurratis.* Basil. ep. 52. qua tribuit Rom. Pontifici authoritatē visitandi Orientis Ecclesias. Chrysost. ep. 1. ad Innocent. [d] Cyrill. *Debemus nos vt qui membra sumus, capiti nostro R. Pontifici & Apostolicæ sedi adhærere.* Theodoret. qui 800. Ecclesijs præerat Asianus Episcopus: [e] *Ego* (inquit ad Leonem) *Apostolicæ vestræ sedis expecto sententiam*, &c. [f] *Item tenet sancta ista sedes gubernacula regendarum cunctis orbis Ecclesiarum.* [g] Sozomeno [h] Acatio. vltimus sit ex Græcis Iustinianus senior ep. ad [i] Ioan. 2. *Nec patimur quidquam quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quod non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.* Ex [k] Latinis, [l] Cypriano. *Deus vnus est, & Christus vnus & vna Ecclesia, & cathedra vna, super Petrum Domini voce fundata, aliud altare cōstitui, aut sacerdotium nouum fieri præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest: quisquis alibi collegerit spargit.*

Obijciunt 1. ex lib. de Vnit. Eccles. *Episcopatus vnus est, cuius à singulis, in solidam pars tenetur.* 2. ep. ad Quintum: *Neque quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum constituit*, &c. *quando habeat om-*

[a] CAP. XV.

[b] *loquens de Vrsacio & Valente Episcopis profectis ad Iulium Papam reddituris rationem de factis.*

[c] *Epist. ad Fœlicem Papam iuxta Bell.*

[d] *lib. Thesauri vt citatur à D Thom. in epist. contra Græcos, & à Gennadio Scholario libro de primatu Rom. Pontif. epist. verò 10. & 11. ait, nisi Nestorius resipiscat intra terminum à Cœlestino Papa præscriptum debere vitari ab omnibus.*

[e] *epist ad Leonem.*

[f] *Epist. ad Renatū presbyterum Romanum.*

[g] *3. cap 7.*

[h] *epist. ad Simplicium Papam tom. 2. Conciliorum.*

[i] *in Codic. tit. 1.*

[k] CAP. XVI.

[l] *Epist. 8. libr. 1.*

nis Episcopus pro licentiâ libertatis, & potestatis suæ, arbitrium proprium, tanquam iudicari, ab alio non possit, cum nec ipse potest alterum iudicare, &c.

Ad 1. Episcopatum esse vnum, sicut vna est Ecclesia, nimirum quo modo multi arboris rami in vnâ radice, sunt vnus arbor vt ibidem Cyprian. ait. Sicut ergo radix licet sit pars arboris, tamen sustentat & regit ramos, qui etiam veræ sunt arboris partes: sic etiam licet Romana Ecclesia & Episcopatus, sit pars Ecclesiæ, & Episcopatus vniuersalis: tamen vt radix, & caput regit alias, & alios omnes, qui etiam veræ sunt partes Ecclesiæ & Episcopatus: propterea dixit Cyprianus: *Cuius à singulis*, &c.

Ad 2. loqui solùm de Episcopis Concilij Carthag. quos, & similes ait à solo Deo iudicari in quæstionibus nondum eliquatissima perspectione discussis: ac in Concilio dùm res discutitur non debere Episcopos à præside cogi ad sententiam dicendam ante definitionem rei vt interpretatur [m] Augustinus.

[m] *Lib 3. de Bapt. 3.*

Optatus tertio contra Parmenian. Ambros. [n] *Cum totus mundus Dei sit, tamen domus eius Ecclesia dicitur, cuius hodie Rector est Damasus.* Hieron. [o] ad Damas. *Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio*, &c.

[n] *Timoth. 3. primæ ad Timoth.*

[o] *de nomine hypostasis.*

Obijcitur primò ex epist. ad Nepotian. *singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur*: non addidit *vno capite regitur*. 2. ex epistolâ ad Euagrium: *Si authoritas quæritur, orbis maior est vrbe, quid mihi profers vnius vrbis consuetudinem*, &c. *Vbicumque fuerit Episcopus siue Romæ, siue Eugubij siue Constantinop. siue Rhegij, siue Alexandriæ, siue Tanis, eiusdem meriti est, eiusdem sacerdotij.*

Ad 1. nisi intellexisset in totâ Ecclesiâ esse

vnum Pontificem, non esset verum in omni ordine Ecclesiastico esse rectorem vnum. Vnde præter Episcopos est vnus Metropolitan. &c.

Ad 2. nihil aliud velle quam reprehendere prauam consuetudinem Romanorum Diaconorum, qui absente Episcopo, se præponere presbyteris incipiebant: Ac Episcopos eiusdem esse meriti ratione ordinis non iurisdictionis. Nec enim negare poterat Hierony. maiorem esse iurisdictionem [p] Alexandrini quam Tanensis Episcopi. [q] August. *in Romana Ecclesia semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus.* [r] Prosper. 2. de vocatione Gent. Victore Vticens. 2. de persecutione wandalica Vincentio [s] Lyrinens. [t] Cassiodor. [v] Beda [x] Anselm. *Domino, & Patri vniuersæ Ecclesiæ in terrâ peregrinantis, summo Pontifici Vrbano frater Anselmus,* &c. [y] Hugone de S. Victore. Bernard. 2. de Consid. denique [z] Valentiniano: *Debemus dignitatem propriæ venerationis* B. *Apostolo Petro in nostris temporibus conseruare, quatenus beatissimus Romanæ Ciuitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit locum habeat, & facultatem de fide & sacerdotibus iudicandi.*

[p] *qui tribus magnis prouinciis, Tanensis verò vni tantum præerat.*
[q] *epist.* 162.
[r] *Roma per sacerdotij principatum amplior facta est arce religionis, quam solio potestatis.*
[s] *in commonitorio.*
[t] 11. *epist.* 2. *ad Ioā. Papam.*
[v] 2. *histor. Anglor.* 1.
[x] *lib. de incarnat. verbi cap.* 1.
[y] 2. *de Sacram. p.* 3. *cap.* 15.
[z] *Epist. ad Theodos. quæ extat inter præambula ad Concil. Chalcedonense.*

Probatur ex origine, & antiquitate Primatus.

CAP. XVII.

NVLLVM tempus assignari potest, nullus annotari author, quin eo antiquiorem hunc primatum fuisse demonstremus. Nisi ad Christum deueniatur. Eo igitur veniamus necesse est. [a] Turrecremata 4. Hæreticorum opiniones memorat qui tempus aliud

[a] 2. *cap.* 39.

& authorem assignant: Primam dicentium authoritatem hanc ab Apostolis manasse. Secundam à Concilio generali. Tertiam ab electoribus Cardinalib. Quartam ab imperatoribus.

Prima, tria pro se testimonia inducit, vnum [b] Anacleti: *Cæteri Apostoli* (inquit) *cum eo* (scilicet Petro) *pari consortio, honorem & potestatem acceperunt, ipsumque principem suum esse voluerunt.*

[b] *Epist. 2.*

[c] *Epist. 1.*

[d] *Dist. 63.*

Alterum [c] Iulij 1. *Sanctam Romanam Ecclesiam primatum omnium Ecclesiarum habere voluerunt.* vltimum ex Cano. [d] *Ego Ludouicus* quo Rom Pontifex B. Petri vicarius nominatur.

Ad 1. resp. non loqui de voluntate instituente sed approbante. Ibidem enim Anacl. *Sacrosancta* (inquit) *Romana Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino, & Saluatore nostro primatum obtinuit, sicut B. Petro ait: Tu es Petrus, &c.*

Ad 2. Etsi primatus Pontificis immediatè fluat à Christo, voluntate tamen B. Petri, approbantibus aliis Apostolis, communicatum fuisse Ecclesiæ Romanæ, & hoc velle Iulium.

Ad 3. impropriam esse locutionem: vnde si vno loco dicitur vicarius, in sex centis dicitur successor: vsurpatur tamen illa locutio, quod Petrus adhuc viuat in cœlis, regens suis meritis, & precibus Ecclesiam.

[e] *vel vt citat Nilus Canone. 28.*

[f] *apud nos 131.*

Secunda, probatur Primò, ex Chalcedon. Concil. act. [e] 16. quâ dicitur Romana Ecclesia à Patribus accepisse Primatum. Deinde ex constitutione Nouella [f] 100. Iustiniani, *Decernimus secundum sacrarum Synodorum decreta, sanctissimum veteris Romæ Episcopũ, primũ omniũ esse Sacerdotem.*

[g] *sub Symmacho.*

Tertio ex Concil. [g] 4. *Apostolicæ sedi primò meritum B. Petri, deinde Conciliorum venerandorum authoritas, singularem in Ecclesiis addidit potestatem.*

[h] *Epist. 288.*

Quarto ex [h] Pio. 2. *ante Nicænum Concilium sibi quisque viuebat, & ad Romanam Ecclesiam paruus habebatur respectus.*

Ad primum huiusmodi decretum illegiti-

mum esse, primo quia editum [i] absentibus legatis summi Pontificis 2. quia præsentes reclamarunt. 3. quia Leo, qui reliqua Concilij decreta confirmauit, illud vnum [k] damnauit. 4. quia falsum quod ait, Romano Pontifici primatum à Nicæno Concil. tributum. 5. falsum item ideò tributum quod ciuitas Rom. sedes Imperij esset Nam & Mediolanum, & Rauenna, & Syrmium, sedes quoque imperij fuerunt: nec tamen illis tributus est primatus.

[i] *vt patet ex act. 16. Concilij eiusd.*

[k] *Epist. 51.*

Ad 2. canones Conciliorum tribuisse tantùm Romanæ Ecclesiæ [l] authoritatem declaratiuè: sicut dicitur Nicæn. Concilium definisse filium Dei consubstantialem: cùm tamen antea iam id certissimum esset per se.

[l] *Ista (inquit) Nicol. ad Mich. priuilegia huic S. Ecclesiæ à Christo sunt donata, à Synodis non donata, sed celebrata, & honorata, &c.*

Ad 3. nihil aliud velle quam ante Concil. Nicen. Papam non valuisse suam liberè exercere potestatem ob persecutiones. Nam ibidem scopus Pij 2. est probare Romani Pontificis primatum, à Christo institutum fuisse. Tertia opinio nullum ferè habet fundamentum. Nam constat Pontifices summos Cardinalibus priores fuisse.

Dices verè tamen creari Papam ab hominibus vt constat ex Gregorij [m] 7 electione. *Nos S. R. E. Cardinales, Clerici, Acolyti*, &c. *Eligimus hodiè 10. Kal. Maij*, &c. *in verum Christi vicarium Hildebrandum*, &c. *quem quidem cum eâ potestate Ecclesiæ Dei præesse volumus, quâ Petrus, Dei mandato, quondam præfuit.* Ex quibus deducitur, primò Papam esse subiectum Ecclesiæ, quia Ecclesia facit Papam, non contra. Secundò iure tantum humano Papam esse Papam. Sed negatur prima conseq. Nam electores creant etiam Imperatorem & populus regem: & tamen vterque est supra creantes.

[m] *apud Platinam in Gregorio 7.*

Secunda item nam in Pontifice tria sunt Pontificatus, Persona, horum vnio. Primum est à Christo solo, secundum, quamuis absolutè

sumptum, sit à naturalibus causis, tamen vt est persona electa siue designata ad Pontificatum est ab Electoribus: Tertium à Christo, mediante Electorum actu: sicut anima est à solo Deo, corpus legitimè dispositum ad recipiendam animam à generante: vnio verò animæ cum corpore à Deo, mediante tamen huiusmodi debitâ dispositione. Porrò illa verba: *quem quidem cum eâ potestate*, &c. solùm declarant perfectam electionẽ hominis in successorem Petri.

Quarta sententia, non vnius est apud Hæreticos sensus. [n] Alij enim per Cæsarem videntur intelligere Constantinum magnum propter canonem *Constantinus* D. 96 quo decreuit R. Pontificem esse habendum ab omnibus sacerdotibus, vt Rex ab inferioribus iudicibus habetur.

[n] *Vt Marsilius de Padnâ, & Ioann. wicleff & Huss.*

Alij [o] volunt datum à Constantino 4. ex Platina in vita Benedicti secundi. [p] Alij in Græcos à Phoca: in Gallos, & Germanos à Pipino & Carolo magno.

[o] *Lutherus lib. de potestate Papæ.*

[p] *Calu. 4. cap. 7. §. 17.*

Refellitur primum: quòd eodem canone fateatur Constantinus B. Petrum Christi vicarium fuisse, & ideò successores eius principes & capita totius Ecclesiæ. Itaque solùm declarauit ius antiquum, & ornauit Pontificem, additis temporalibus donis.

Secundum: quia non ait Platina Constant. 4. dedisse Pontifici primatum, sed suum ius remisisse, quod se putabat habere, in confirmatione Pontificis: & quamuis id iniustum esset, vt patet ex sancto Gregorio in explicatione. 4. psal. pœnitent. tamen hoc tolerabant Rom. Pontifices, quòd intelligerent, se non posse, inuito imperatore, suum exequi munus.

Tertium refellitur quoque. Nam Phocas edidit quidem sanctionem qua, vt frangeret superbiam Constantinopolit. Episcopi, declarauit Romanam Ecclesiam caput omnium Ecclesia-

rum esse. Et Pipinus ac Carolus magnus susceperunt Apostolicæ sedis protectionem contra Longobardos, verum ante Phocam, Pipinum, Carolum [q] Iustinianus senior, Valentinianus, & multi PP. supra, Romanam Ecclesiam caput aliarum omnium agnouerunt.

[q] *centum annis ferè ante Phocam.*

Probatur ex authoritate, quam exercuit Romanus Pontifex in alios Episcopos.

CAP. XVIII.

INSTITVISSE *Episcopos* patet: ex confirmatione [a] Maximi Antiocheni, & [b] Anatolij à S. Leone. item ex epist. eius. 84. qua confert Anastasio authoritatem firmandi electiones: & Gregorio magno passim indicat se mittere pallium, quod est Archiepiscopatus insigne. *Deposuisse*: ex Nicolao. 1. epist. ad Michaelem qua enumerat octo Patriarchas Constantinop. à R. Pontifice depositos inter quos Anthimus fuit. Et longè ante Nicolaum, [c] Cyprianus petit à Stephano Papa vt deponat Arelatens. Episcopum, & alium substituat [d] Flauianum Patriarch. Antioch. deposuit Damasus. Polychronium [e] Hierosoly. Sixtus 3. Restituisse constat, ex Athanasio, Paulo, Marcello, depositis à synodo Orientali & à [f] Iulio. 1. restitutis. Theodoreto ab Ephesina. 2. depositio à [g] Leone restituto.

[a] *in Concil. Chalced. act. 7.*

[b] *Epist. 54. Leonis ad Martinianum.*

[c] *Lib. 3. epist. 13.*

[d] *apud Theodoret. 5. hist. 23.*

[e] *vt patet ex to. 1. Concil. in actis Sixti 3.*

[f] *vt scribit Gelas. Epist. ad Episcopos Dardaniæ & Sozom. 3. cap. 7.*

[g] *in Concil. Chalced. act. 7.*

Obiicitur Primò, Rom. Episcopus dicitur primus quia ab eo secundus est Constantinopolit. tertius Alexandr. &c. non dicitur autem primus & secundus de superiore & inferiore: non enim R. Episcopus dicitur primus ratione Tusculani. Ergo non est cæteris maior.

Respõdeo Romanum Pontificem inter Epis-

copos esse Episcopum, Archiepiscopos Archiepiscopum, Patriarchas Patriarcham primum: vt Papam verò, & caput vniuersæ Ecclesiæ, nullius ratione esse primum, sed principem omnium.

[h] *Can. 36.*

Secundò, [h] synodus. 6. paria tribuit priuilegia Constantinop. Episcopo, ac Romano, renouando constitutionem secundæ & quartæ Synodi.

Respondeo in Concil. 1. fuisse solùm Constantinopolitanum Alexandrino & Antiocheno [i] antepositum. In [k] Chalced. additū equidem fuit vt Romanus & Constantinopolit. æqualia priuilegia haberent, sed huiusmodi canon nullius vnquam roboris fuit: sicut nec canones falsò. 6. synodæ ascripti, de quibus [l] infra.

[i] *vt patet ex can. 5.*
[k] *Act. 16.*

[l] *lib. 1. de Concil. cap. 7. in quo quæ hic Bellar. & c. 27. dumtaxat adfert, habentur.*

Tertiò si Rom. Pontifex quia primus Patriarcharum, imperium habet in secundum, igitur secundus in tertium, &c. quod tamen est falsum.

Respondeo non quia Patriarcha primus est, hoc imperium habere, sed quia solus vniuersalis Ecclesiæ pastor.

Quartò Rom. Episcopus nō ordinat Patriarchas, quemadmodum Patriarcha Metropolitanos. Ergo minus habet in Patriarchas quam Patriarcha in Metropolitanos.

Respondeo non ordinasse semper, quia id cōmodè non poterat fieri: [m] ordinauit tamen Menam Constantinop. & confirmauit alios, nec inaniter. Nam Flauianus numquam potuit Antiochenam obtinere Ecclesiam quandiu non consensit Papa. Quintò obiicitur can. 6. Nicæni Concilij, sed [n] iam responsum est.

[m] *Agapetus apud Zonaram in Iustiniano.*

[n] *Sup. cap. 13.*

Probatur ex legibus, dispensationibus & Censuris.

Cap. XIX.

LEO ad Episcop. Campaniæ, Piceni, Thusciæ, &c. *Omnia decretalia* (inquit) *constituta tam beatæ recordationis Innocentij, quam omnium prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & canonum ordinata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, vt si quis illa contempserit veniam sibi deinceps nouerit denegari.*

Hilarius in Concilio Rom. [a] Anastasius 12. *Præceptis Apostolicis non dubiâ superbiâ resistatur*, &c. [b] Gregor. *Si quis regum antistitum Iudicum vel quarumcumque secularium personarum huius Apostolicæ authoritatis, & nostræ præceptionis decreta violauerit, honore suo priuetur.* Hæc de legibus.

De dispensationibus. Gelas. epist. 1. *Necessariâ rerum dispositione coniungimur*, &c. *sic canonum paternorum decreta librare*, &c. *vt quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesijs relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum fieri potest temperemus*: & ibidem in multis dispensat. Gregor. 12. epist. 31. quâ docet se dispensasse cum Anglis circa matrimonium in gradibus prohibitis.

De censuris. [c] Innocentius 1. excommunicauit Arcadiũ, & Eudoxiam. [d] Gregor. 3. Leonẽ. [e] Nicolaus 1. Archiepiscopos Colonienſ. & Treuirensem. [f] Victor. 1. Asianos qui volebant celebrare Pascha iuxta Iudæos, id est 14. die primi mensis, nonobstantibus quibuscumque quærimonijs Irenæi & quorumdam aliorum, qui etsi arbitrarẽtur egisse Victorem quod

[a] *Epist. ad Anastasium Augustum.*
[b] *in priuilegio Sancti Medardi, habetur ad finem epist.*

[c] *apud Niceph. 13. cap. 34.*
[d] *Zonaras in Leone.*
[e] *Vide Rheginonẽ lib. 2. & Othonem Frisingensem 6. cap. 3. ac Sigibertum in Chronico anni 862.*
[f] *apud Eusebium 5. cap. 24.*

poterat equidem, sed non expediebat: tamen prudenter egisse Ecclesia tota probauit in Concil. Nicæno.

[a] *Epist.84.ac 87. committit vices suas Potentio Episcopo in regionibus Africæ.*
[b] *Epist. ad Cyrill. Apud Cyrillium Epistolâ 12.*
[c] *Epist. ad Episcopos Dardaniæ, cur* (inquit) *non ad sedem Apostolicam, à quâ sibi curam illarum regionum nouerat delegatam, referre curauit Acacius.*
[d] *Epist. ad Salustium Episcop. Hispalensem.*
[e] *in Authenticis coll.9.tit. 6. sine nouella constit.131.*
[f] *4.epist. 52.*
[a] *Vide etiam infra lib. 2. de Ecclesia cap.17.*
[b] *Scribit Athanas. in 2. Apol. adfuisse plusquam 300. Episcopos Catholicos ex 33. prouinciis totius Christiani orbis, cum legatis Iulij. Magdeb. Cent.4.c. 9.descripserunt hanc Synod.vt legitimã.*

Probatur ex vicarijs Papæ.

CAP. XX.

PEO [a] constituit Anastasium Episcopum Thessalonic. Vicarium suum per Orientem. [b] Cælestinus Cyrillum in causa Nestorij Episcopi Constantinopol. [c] Gelasius Acacium, per Ægyptũ. [d] Hormisda, Salustium per Bæticam, & Lusitaniam. Et Iustinianus Imperator [e] scribit Episcopum primæ Iustinianæ locis quibusdam præesse debere tanquam R. Pontificis vicarium, quòd ita Vigilius Papa constituisset. [f] Gregor. Vigilium per Gallias, habent ergo in has regiones potestatem summi Pontifices: sicut quod Rex mittat proreges ad prouincias aliquas, aut Iudices, reseruando sibi supremum iudicium, intelligimus eum in has habere potestatem, ac summum iudicem esse: Papa verò ita committebat vicarios, vt semper summum iudicium sibi reseruaret.

Probatur ex iure Appellationum.

[a] CAP. XXI.

SARDICENSE [b] Concil. generale, & semper ab Ecclesiâ receptum can. 4. *Cum aliquis Episcopus* (inquit) *depositus fuerit eorum Episcoporum iudicio, qui in vicinis locis com-*

morantur, & proclamauerit agendum sibi negotium in urbe Româ, alter Episcopus in eius cathedrâ, post appellationem eius, qui videtur esse depositus, omninò non ordinetur: nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Rom. determinata. Item can. 7. Gelas. Epist. ad Faustum: *Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius sedis examen voluêre deferri: ab ipsa verò nasquam prorsus appellari debere sanxerunt.* [c] Marcion excommunicatus ab Episcopo suo venit Romam vt absolueretur à Pio. 1. Fortunatus [d] & Fælix à Cypriano depositi ad Cornelium appellarunt. Athanas. [e] ad Iulium 1. Chrysostomus [f] ad Innocent. 1. Flauianus [g] ad Leonem. Gregorius [h] Ioan. Episcopum Græcum primæ Iustinianæ sacrâ communione priuauit, quod iudicasset Thebanum Episcopum, qui ad sedem Apostolic. appellarat. At omnes appellare posse ad Papam, & à sententia eius nullam esse appellationem, certissimum argumentum est summi principatus, vt etiam [i] Caluin. fatetur.

[c] *Anno 142. Vide Epiph. hæres. 42.*
[d] *Apud Cypria. 1. epist. 3. id anno 252.*
[e] *An. 350. ante Cõcil. Sardicense vt Athanasius testatur initio 2. Apol.*
[f] *ex Epistol. eius duab. ad Innocent. post an. 400.*
[g] *Apud Liberatum in Breuiario cap. 12.*
[h] *post ann. 500. Gregor. 2. ep. 6.*
[i] *4. Instit. 7. §. 9.*

Soluuntur de iure appellationum argumẽta.

CAP. XXII. XXIII. XXIIII. XXV.

PRIMVM [a] Concil. Chalced. can. 9. & 17. statuit si clericus habeat causam aduersus alium clericum, ab Episcopo suo iudicetur, si aduersus Episcopum, ab Archiepiscopo, si aduersus Archiepisc. à Primate diœceseos, vel ab Episcopo Constantinop. Quare vltimum iudicium ad Constantinopolitanum spectabit.

Respondeo 1. per Primatem diœcesi. intelligi Papam, vt sentit [b] Nicolaus primus: in Græco enim est vox ἔξαρχος, quæ principem propriè significat: Et sensum esse, vt adeatur Romanus Pontifex, si tamen contendens sit vicinus vbi

[a] CAP. XXII. *Hoc argumentum est Nili supr.*

[b] *Epist. ad Michaelem.*

Constantinopoleos, & contentus sit iudicio Episcopi vrbis huius, permittitur ei iudicari ab illo. 2. Leonem solùm [c] confirmasse canones huius Concilij spectantes ad fidem, & proinde. 9. & 17. nullius esse roboris, maximè cum fuerint [d] conditi absentibus Papæ legatis. 3. ex vi horum can. solùm haberi posse Constantinopolitanum iudicare læsos à Metropolitano, non autem læsos à Patriarchis, quod tamen potest Papa. 4. istos can. non de appellatione, sed primo iudicio esse, & proinde hinc non haberi iudicatos à Constantinop. non posse appellare ad Papam.

[c] *Epist. 59. ad Concil. Chalced.*

[d] *teste Liberato in Breuia. cap. 12.*

[e] CAP. XXIII. *Hoc argumentum, est Lutheranorum.*

[e] 2. Cyprian. lib. 1. ep. 3 *Nam cùm statutum sit* (inquit) *ab omnibus nobis & æquum sit pariter ac iustum, vt vniuscuiusque causa illic audiatur vbi est crimen admissum &c. oportet vtique eos quibus præsumus non circumcursare &c. Nisi si paucis desperatis, ac perditis minor videtur esse authoritas Episcoporum in Africa constitutorum, &c.*

Respondeo Cyprian. nolle euacuare omnes ad Papā appellationes: aliàs & his verbis, etiam omnes in Ecclesia sustulisset, quod est absurdum. Sed tantùm contendit non debere ad Papam appellare, qui de manifestissimis criminibus sunt conuicti: cùm in his diiudicandis non minor sit perspicacitas, quàm sufficiat ad huius. causas iudicandas: & hos appellare nihil aliud sit quam proprios grauare Episcopos.

[f] CAP. XXIIII. § 79 *inter Ambr. Epistolas.*

[f] Tertium Damas. § epist. ad Theophilum: *Cum huiusmodi fuerit Concilij Capuensis iudicium, vt smitimi Bonoso, atque eius accusatoribus iudices tribuerentur, aduertimus quod nobis iudicandi forma competere non potest.*

Respondeo. 1. hanc epist. non esse Damasi: sed neque Ambrosij inter cuius opera ponitur, meminit enim Ambrosij vt alterius personæ 2. non dicere Damasum se non posse iudicare, sed non

non conuenire quando enim Prouinciale Concil. aliquid ſtatuit non conuenit vt Papa ſine cauſsa aliter iudicet.

Quartum. [h] Concil. Mileuit. can. 22. *Quod ſi ab eis* (id eſt. Epiſcopis vicinis) *prouocandum putauerint, non prouocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates prouinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem, qui putauerit appellandum à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.*

[h] *Calu. 4. Inſt. 7. §. 9.*

Reſpondeo iſtum cano. de presbyteris, & minoribus Clericis loqui, non de Epiſcopis de quibus agimus. 1. quia Aug. qui interfuit Concil. [i] docet licere Africanis Epiſcop. appellare vltra mare. 2. quia principium Canonis habet: *Placuit vt presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores clericiin cauſis quas habuerint,* &c.

[i] *Epiſt. 162.*

Dices, quare [k] ergo R. Pontifex Apiarium presbyterum ex Africâ appellantem ſuſcepit. Reſpondeo. 1. non potuiſſe prohiberi ſummo Pontifici ne ſi vellet, admitteret. 2. non tam admiſiſſe Apiatium, quàm eius querimonias audiſſe, & Africanis mandaſſe vt cauſam diligenter cognoſcerent ac iudicarent.

[k] *vt referunt Africani PP. epiſt. ad Bonifacium & aliâ ad Cæleſtinum.*

Quintum, teſte [l] Auguſt. ſi cauſam Cæciliani iudicatam à Pontifice iuſſu imperatoris, rurſus eodem iuſſu iudicatam ab Arelatenſi Epiſcopo, & poſtremo, ab imperatore fuiſſe.

[l] *ſup.*

Reſpondeo id factum non quod oporteret, vt [m] Aug. ait, ſed vt omninò obſtrueretur os Donatiſtarum.

[m] *ibidem.*

[n] Vltimũ, Zozimus Papa ab Africanis per legatos petiit vt tres canones Nicæni Concilij executioni mandarent, vnum de appellationibus Epiſcopor. ad Rom. Pontificem: Alterum Presbyterorum, & minorum Clericorum ad Epiſcopos vicinos. Tertium ne Epiſcopi Afric. in aulam imperatoris irent. Africani coacto. 217. Epiſcopor. Concilio, reſponderunt Bonifacio Zozimi ſucceſſori ſe eos can. non inuenire in

[n] CAP. XXV. *Hoc argumentum eſt Magdeb. Cent. 5. cap. 9. & Græci in Concil. flor. ſeſſ. 20. Illiricus libro de hiſtoria Concilij Carthag.*

Concilio Nicæno, quare ſe petituros exemplaria authentica Nicæni ab Orientalibus: quibus miſſis à Cyrillo Alexan. & Attico Conſtantinopolitano Epiſcopo non ſunt inuenti huiuſmodi tres canones. Scripſerunt ergo ad Cœleſtinum, Bonifacij ſucceſſorem Africani, quando quidem huiuſmodi canones non inueniebantur in Cõcil. Nicæno, deinceps non facilè admitteret appellantes. Ergo iure diuino Papa non eſt ſummus Eccleſiæ Iudex quia ius ſuum de appellatione (quod Carthaginenſes admittere noluut, niſi reperiatur in Nicæno Concil.) ex eod. Cõc. tentat confirmare. Rurſus nec humano quidem iure hoc illi competit, quia inuentus eſt falſator Nicænorum canonum, nõ enim inueniuntur hi tres in canonibus miſſis ab Orientalibus, aut apud Ruffinũ. Quare ab omni ditione Africanâ excluſus eſt Papa vt conſtat ex epiſt. Bonifacij ad Eulabium Alexandrinum Epiſcopũ, & Eulabij Carthag. ad eund. Bonifacium. Negatur cõſeq. prima. Nam non ideò Nicænum protulit Concilium R. Pontifex vt ius appellationis haberet: ſed vt oſtenderet non ſolùm poſſe adſe ab omnibus appellari, ſed etiam expedire Eccleſiæ vt ita fieret, quandoquidem generale Concil. idem ſenſerat.

Secunda item negatur 1. quia omnes Nicæni Concil. canones non habentur apud Ruffinum, aut inter miſſos ab Orientalibus, vt patet de canone celebrationis Paſchæ die Dominico apud [o] Euſeb. Ne bigamus adſciſcatur in clerum apud [p] Ambroſ. librum Iudith eſſe canonicum apud [q] Hierony. non licere [r] duobus Epiſcopis ſimul in eâdem ſedere Eccleſia: nec niſi [s] ieiunis Euchariſtiam offerre. 2. quia etſi hi tres canones non eſſent Nicæni, ſunt tamen Sardicenſis Concilij: non illius hæretici 76. Epiſcoporum cuius ſolius cognitionem habuit [t] Auguſtinus: ſed alterius 300. Epiſco-

[o] 3. *de vita Conſtãtini Cap.* 17. *& Epiph. hær.* 69. *Et Athan. in epiſt. de Synod. Arimini, & Seuleuciæ poſt initium.*

[p] *Epiſt.* 82.

[q] *præf. in Iudith.*

[r] *apud Auguſt. ep.* 110.

[s] *apud Cõcil. Africanum, can.* 14.

[t] 3. *contr. Creſconium.* 34. *duplex enim fuit Sardicenſe Concil. vnum Catholicum & generale ſup.* 300. *Epiſcopor. alterum hæreticum* 76. *Epiſcoporum Sozo.* 3. *hiſt.* 10. & 11.

porum generalis, & catholici: quod pro vno habetur cum Nicæno: & vtriuſque Concilij canones ſimul coniuncti erant in bibliothecâ Romana: propterea non numeratur inter Concilia generalia [diſtinctè à Nicæno] Sardicenſe. ſiquidem iſdem patres magna ex parte in vtroque Concilio interfuerunt, & nihil noui de fide in Sardicenſi definitum, ſed ſolum Nicæna roborata eſt fides. Cuius rei ignorantia Patres Africanos turbauit. Non fuit autem magis falſator Papa citando hac in re Nicænum pro Sardicenſi quam [u] Mathæus citando Hieremiam pro Zacharia, aut dum citatur Symbolum Conſtantinopolit. pro Nicæno. Huiuſ. autem epiſtolæ Eulabij, & Bonifacij.

Primò, videntur confictæ, tùm quia Africani Patres in epiſt. ad Bonifacium & altera ad Cęleſtinum, concordiam & ſubiectionem ſuam, ad Apoſtolicam ſedem teſtantur, & Aug. epiſt. 157. apertè prædicat R. Pontificis primatum in Africam: cùm ait ex mandato Zozimi ſe, & alios Epiſcopos Cæſaream veniſſe. Leo epiſt. 87. ſcribit ad Epiſcopos Mauritaniæ in Africa, atque ait ſe Lupicino Epiſcopo communionem reddidiſſe, quoniam ad ſe ex Africa appellaſſet. poſt annos circiter 40. [x] Eugenius Carthagin. reſpondit Hunerico regi Ariano ſine conſenſu Epiſcoporum tranſmarinorum maximè Romani, aliquid ſtatui non poſſe. [y] Thraſimundus cum in Sardiniam relegaſſet penè [z] omnes Africanos Epiſcopos, eos Symmachus liberaliſſimè pauit vt ſua membra. Gregor. denique epiſt. 72. & 75. lib. 1. ac epiſt. 32. lib. 7. iuriſdictionem ſuam in Africanos ſatis oſtendit. tum quòd Alexandrin. Eulabius vel nullus, vel certè eo tempore non fuit vt patet ex Chronologia Nicephori Conſtantinopolit. Præterea Bonifacius ea epiſt. ſignificat ſe ſcribere Iuſtino

[u] *Matth. 27. v. 9.*

[x] *apud Victorem Vticenſem 1. de perſecutione vandalica.*

[y] *apud Paulum Diaconum lib. 17. rerum Romanarum.*

[z] *id eſt 230.*

imperante, at Iustinus obiectat antequam Bonifacius ille sederet.

Ad hæc epist. Bonifacij constat ferè ex duobus fragmentis, quorum alterum sumptum est ex epist. Hormisdæ ad Ioannem, alterum ex epist. Gregorij (qui tempore Bonifacij nondum natus erat) ad Episcopos Galliæ: nec est credibile Gregorium, à Bonifacio sumpsisse: stylus enim omnino Gregorianus est. In epist. etiam Eulabij Carthag. quædam sententia Gregoriana inseritur reliquum nihil est nisi fragmentum epist. Ioannis Constantinop. ad Hormisdam.

Secundò, quidquid sit solùm significari his epist. Aurelium Concil. Carthaginensis præsidem cæpisse primum contra Roman. Ecclesiam superbire, deinde eius exemplo ipsum Eulabium, & fortè aliquos alios, cæterum, Eulabium cognita rei veritate, iterum Romanæ Ecclesiæ obedientiæ se subiecisse.

Probatur Primatus Rⁱ Pⁱˢ ex eo quod à nemine iudicetur.

Cap. XXVI.

HIC non agimus de Pontifice vt est temporalis princeps, hoc enim modo ne aduersarij quidem negant, eum non posse iudicari in temporalibus causis. Sed de Pontifice ratione pontificatus tantùm, cuius consideratione asserimus non esse vllo modo à quacumque: vel seculari vel Ecclesiastica potestate iudicari probatur.

Primò, ex Concilijs Sinuessano, [a] *Prima sedes* (inquit) *à nemine iudicatur.*

Romano [b] sub Sylvestro. *Neque ab Augusto, neque à Regibus, neque ab omni clero, neque à populo*

[a] *ita refert Nicol. 1. ad Michaelem. De hoc capite 26. Vide etiam infra li. 2. de Concil. cap. 17.*

[b] *280. Episcoporũ Can. vltimo.*

iudicabitur prima ſedes. [c] Romano ſub Sixto 3. cap. 5. Concilio 5. ſub Symmacho in libro Ennodij Diaconi, à Concilio probato. Octauo act. 10. can. 21, quo aſſeritur non licere vlli terreno Principi iudicare Patriarchas & præcipuè Romanum.

Secundò, ex ſum. Pontificib. Gelaſio, [e] *Duo ſunt* (inquit) *Imperator Auguſte quibus principaliter mundus hic regitur, authoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas. In quibus, tantò grauius eſt pondus Sacerdotum, quantò etiam pro ipſis regibus in diuino ſunt reddituri examine rationem. Noſti itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam poſſe redigi voluntatem.* Gregor. 9. Epiſt 39. [f] Nicolaus 1. ad Michaëlem. Innocent. [g] 3. Epiſt ad Imperatorem. Bonifac. 8. extrauag. *Vnam ſanctam.* Ioan. 22. extrauag. *licet iuxta doctrinam Apoſtoli.*

Tertiò, ex confeſſ. Imperatorum Conſtantini apud Ruffinum 10. hiſtor. 2. Baſilij in oratione ſua habita in fine 8. Synod.

Quartò ex DD. Ambroſ. [h] *Bonus imperator intra Eccleſiam eſt non ſupra Eccleſiam:* multo minus ſupra Eccleſiæ paſtorem. Nazianz. orat. ad ciues timore perculſos: quâ docet Imperatores etiam ſuo ſubiici tribunali multo magis Rom. Pontificis. Bernard. Epiſt. ad Conradum Imperatorem. Bonificio apud Gratian. d. 40. can. *Si Papa: cunctos iudicaturus à nemine eſt iudicandus.* [i] Hugone de Sancto Victore: *Spiritualis poteſtas iudicat terrenam, ipſa verò à Deo primùm inſtituta eſt, & cum deuiat à ſolo Deo iudicari poteſt.*

[c] *Non licet in Pontificem ſententiam dicere.*

[d] *Aliorum hominum cauſas Deus voluit per homines terminari, ſed ſedis iſtius præſulem, ſuo ſine quæſtione reſeruauit arbitrio.*

[e] *Epiſt ad Anaſtaſium imperatorem.*

[f] *ſatis euidenter oſtenditur à ſæculari poteſtate nec ligari prorſus nec ſolui poſſe Pontificem, id eſt nec damnari, nec abſolui.*

[g] *cap. Solitæ tit. de maioritate.*

[h] *oratione de tradendis Baſilicis vide cap. 8. lib. 3. de Verbo Dei.*

[i] *p. 2. de Sacramentis.*

Soluuntur argumenta Nili contra præcedens caput.

CAP. XXVII.

PRIMVM, Paulus obiurgauit Petrum: quo iure ergo Papa nulli subiicietur mortalium.

Respondeo non iudiciali censura sed correptione fraternaid actum.

Secundum, ex Honorio quam iudicauit Synodus 6. sed hac de re [a] infra.

[a] *lib. 4. cap. 11.*

Tertium, multæ sunt leges cùm ab Apostolis, tum Conciliis in omnes Episcopos latæ: Ergo etiam Rom. Episcopum ligant.

Respondeo, per Episcopos, intelligi tantùm legislatori subiectos, cuiusmodi non est Papa: quamuis teneatur Ecclesiasticis legibus, non quoad coactionem sed directionem.

Quartum, canones sextæ Synodi legem Romano Pontifici nominatim præscribunt.

Respondeo, falso ascribi hos can. sextæ Synodi quâ de re [b] infra.

[b] *2. de Ecclesia. 8.*

Quintum, Papa nihil nisi Episcopus est. At Episcopi omnes sunt pares, ordine, & dignitate vt [c] Dionys. ait.

[c] *in Eccles. Hierarch.*

Resp. pares esse ratione ordinis, non iurisdictionis: vltimum, intolerabile esse Papam nolle subiici patrum canonibus, cùm ipse à patribus dignitatem acceperit.

Respondeo à Christo non à patribus accepisse illam.

Soluuntur obiectiones Hæreticorum.

CAP. XXVIII.XXIX.XXX.

PRIMA, [a] Gregorius Imperatorem vocat Sereniſſimum Dominum ſuum, & dominatorem: ſe verò indigniſſimum eius ſeruum cui obedientiam debeat.

[a] Cap.XXVIII. *hoc arg. eſt Caluin. 4. cap.* II. §. 12.

Reſpondeo, hunc loquendi vſum [b] habuiſſe Gregorium, vt omnes ſacerdotes fratres, clericos filios, laicos dominos ſuos vocaret: proinde & imperatorem, cui obedientiam partim ex humilitate partim neceſſitate exhibebat: quòd eo tempore imperator dominium temporale vrbis obtineret, & eius ope & amicitiâ vehementer Gregorius egeret: qui tamen ita ſe ſeruum imperatoris nominat, [c] vt ibid. addat debere imperatores ſacerdotibus reuerentiam exhibere, exemplo Conſtantini qui in Epiſcopos non auſus eſt iudicium fere, etiam volentes.

[b] *vt ſcribit Ioannes Diaconus 4. vitæ Grego. cap.* 58.

[c] *4. Epiſt.* 13.

Secunda, [d] Dominus Ieſus imperatoriam ſupra ſe poteſtatem agnouit cum ait Pilato, [e] *Non haberes poteſtatem*, &c. Multo magis ergo Papa agnoſcere debet.

[d] Cap. XXIX. [e] *Ioan.* 19. *v.* 11.

Reſpondeo. 1. [f] loqui Dominum non de poteſtate iuriſdictionis, ſed de permiſſione diuinâ, ſine quâ nec quidem fierent peccata. Et cum ſubiungit, *propterea qui me tradidit*, &c. ſenſus eſt. *Quia non iuſtitia exigente, ſed ſolùm Deo permittente me iudicas, peccas equidem, verùm multo magis Iudæi qui odio in me, te ad hoc impulerunt.* § 2. ſubiectum quidem Pilato dumtaxat Chriſtum, non tanquam filium Dei, aut Pontificem ſummum: ſed tanquam vnum de plebe. Et tunc ſenſus eſt, *Tu me crucifigis quia poteſtatem à Cæſare ha-*

[f] *ita Cyrill. in Ioannem lib.* 12. *cap.* 22. *& Chryſoſt in hunc locum.*

§ *Aug. in hunc locum & Bernard. Epiſt.* 42.

bes, quem offendere metuis, verum tamen peccas, quia magis deberes obedire Deo quam hominibus, ac magis ille peccat qui non metu superioris potestatis, sed inuidiâ & odio me crucifigendum procurat.

h *Actor.25.v.11.*

Tertia, Paulus h appellauit ad tribunal Cæsaris.

Respondeo 1. appellasse, quia de facto quamuis non de iure suus erat iudex. 2. Etnicos principes non esse subiectos Pontificibus, sed potius Pontifices illis in ciuilibus causis, quando sunt in ditione illorum: quia Etnici non sunt de ouili Christi. At cum per baptismũ fiunt oues, iam incipiunt subiici Pastori summo Ecclesiastico.

Quarta, Paulus loquens de sæcularib. potestatib. i *Omnis anima* (inquit) *potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et Petrus k *subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, &c.*

i *Rom.13.v.1.* Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω.

k *Petri 2.v.13.* ὑποτάγητε πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, διὰ τὸν κύριον, εἴτε βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι.

Respondeo loqui generaliter de omnibus superioribus, inter quos primus est Papa: subiungunt tamen exemplum de seculari principe, quia tunc temporis accusabantur Christiani seditionis & rebellionis.

Quinta Salomon Rex l depositi Abiathar à sacerdotio, & in eius locũ substituit Sadoch, Ergo id fieri poterit etiã in nouo Testamento.

l *3.Rex.2.v.27. & 35.*

Respondeo 1. negatur conseq. Nam in veteri Testamen. promissiones tantùm temporales erant, & proinde non mirum si summa potestas erat temporalis: promissiones autem noui sunt spirituales. 2. etiam in veteri, Pontificem fuisse omnibus maiorem. Nam ad m verbum Eleazari summi Pontificis, Principes Iosuë & omnis populus egrediebatur, & ingrediebatur, & Leuit. 4. ex quatuor sacrificijs, primũ erat vituli pro Pontifice 2. vituli pro toto populo. 3. Hirci, id est vilius pro Rege. 4. capræ pro quolibet priuato. Salomonẽ autẽ id egisse non vt re-

m *Numer,27.v.21.*

gem sed prophetam & executorem iustitiæ diuinæ: siue sicut ibi habetur, *vt implerétur sermo Domini.*

Sexta Constantius misit in exilium Liberium, Iustinianus Syluerium, Theodoricus Ioannem [n] in carcerem. Otho [n] Ioan. 12. deposuit, & substituit Leonem. 8. Henricus 3. deposuit item Gregor. 6. & Clem. 2. ordinari iussit.

[n] *apud Othonem Frisigens. 6. cap. 23.*

Respõ deo Othonem egisse pio quidem zelo sed non secũdum scientiam, fuit enim iste Ioan. deterrimus. Henricus, tantùm [o] persuasit Gregorio vt cederet, quo cedente electus est Clemens: alij verò [p] impiè & iniustè egerunt, vt verè hæretici.

[o] *vide Othonem Frisingens. 6. cap. 32.*

[p] *de Constantio vide Athanas. in Epist. ad solitariam vitam agentes de Iusti. Liberatum in Breu. cap 22. de Theod. Gregorium 4. Dialog. 30.*

Septima, Gregor. Magn. se subiecit Imperatori apud [q] Grat. *Si quis nos super his redarguere voluerit, veniat ad sedem Apostolicam, vt ibi ante Confessionem B. Petri mecum iustè decertet, quatenus ibi vnus ex nobis sententiam suscipiat suam.* [r] Adrianus 1. Carolo mag. Leo octau. [s] Othoni. 1. concessit ius R. Pontificem eligendi, & Apostolicam ordinandi sedem. Leo 4. à Ludouico imperatore petiit iudices, quibus se obtemperaturum promittit.

[q] *7. can. 91. quis.*

[r] *dist. 63. can Adrianus. can. in Synodo.*

[s] *can.* Nos si incompetenter 2. q. 7.

R. illud Gregor. in eius non inueniri operib. Deinde non prouocat nisi ad iudicium Dei. Adrianus, & Leo solùm concesserunt imperatori confirmare, vel infirmare Pontif. electionem, & Romanam ordinare Eccles. in temporalibus, ex quo non sequitur habuisse supra Pontifices potestatem. Leo. 4. se tantum subiecit discretiuo, non coactiuo iudicio.

Octaua, licet vnicuique Pontificem occidere si ab illo inuadatur iniustè, ergo multo magis licitum imperatoribus deponere, si Rempub. perturbet, & animas occidat.

Negatur conseq. quoniam ad resistendum inuasori non requiritur vlla authoritas: at requiritur ad iudicandũ, & puniendum legitimè alium.

Nona, Pontifex subiectus est in foro conscientiæ suo confessario vt Dei ministro. Ergo poterit etiam subiici in foro exteriori, Principi vt ministro Dei.

Negatur conseq. quia in conscient. foro confessarius est [t] merum Dei instrumentum: vnde in eo foro iudicatur de occultissimis, quæ ad solius Dei cognitionem pertinent: at in foro fori, homo est verus iudex etiam vt homo. [Dici etiam posset nos habere ex scripturis & PP. Deum subiecisse omnes, proinde & Papam, cõfessori suo in conscientiæ foro: quia ita Deus ordinauit Pœnitentiæ Sacramentum. Ex iisdem nos etiam habere non subiecisse Papam vllis in foro fori.]

Decima, Pontifex [v] potest Ecclesiæ suæ dare libellum repudij. Ergo etiam Ecclesia Pontifici.

Resp. 1. Negatur conseq. quia etsi vir Deut. [x] 24. posset dare repudij libellum, non [y] tamen vxor. 2. neg. anteced. si id fiat sine consensu Ecclesiæ.

[z] Vndecima, Pontifex in casu hæresis potest ab Ecclesia iudicari, & deponi d. 40. can. *Si Papa*. Igitur saltem in aliquo casu subiectus est iudicio humano. Responsio multiplex.

Prima, [a] Alberti Pighij: Papam hæreticum esse non posse.

Secunda, [b] Papam eo ipso quo incidit in hæresim, etiam interiorem tantùm, esse extra Ecclesiam & depositum à Deo: & proinde ab Ecclesia solùm declarari depositum de iure diuino. Hæc sententia non probatur de interiori hæresi, quia hinc sequitur hæreticos occultos esse extra Ecclesiam.

Tertia, Papam neque per occultam, neque per manifestam hæresim esse depositum aut deponi posse: quod aduersatur can. *Si Papa*, & octauæ Synodi act. 7.

[t] [*quod intelligendum est iuxta cap. 5. sess. 14. Concilij Trident. & can. 19. eiusd. sess. Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, &c. anath. sit.*]

[u] *per renunciationem vt patet in 6. de renunt. cap. 1.*

[x] *v. 1.*

[y] *posse enim nullibi legitur, aut habetur traditione.*

[z] Cap. xxx.

[a] *4. Hierar. Ecclesiasticæ 8.*

[b] *Turrecremata parte 4. 2. cap. 20.*

Quarta, [c] Caiet. Papam manifestè hæreticum, non esse de facto depositum, sed posse ac debere deponi ab Ecclesia. Prima pars huius op. improbatur probatione sequentis opin. 2. quòd inde sequatur contra Caietan. Ecclesiam supra Papam esse. Respondet equidem, solùm habere authoritatem in coniunctionem personæ talis cum Papatu: sicut in creatione cùm coniungit talem personam cum Papatu, & tamen non dicitur esse supra Papam. Sed nihil dicit. 1. quia Papa ex eo quod deponit Episcopos, deducitur esse supra illos, & tamen solùm separat personam ab Episcopatu. 2. deponi inuitum est pœna. Igitur deponens Pontificem, illum punit quod est superioris actus. 3. quia iuxta Thomistas idem sunt re totum & partes simul. Igitur qui habet authoritatem in partes simul sumptas, habet & in totum. Cum autem eligitur Papa, actio exercetur circa materiam rei futuræ, non circa compositum quod nondum est: at dum res destruitur, exercetur circa compositum: & proinde non est similis ratio.

[c] *tract. de authorit. Papæ, & Concil. cap. 20. & 21.*

Quinta. [f] Papam manifestè hæreticum per se desinere Papam esse: quare posse ab Ecclesia iudicari, & puniri. probatur. 1. quia iubet [g] Paulus vitari hæreticum obstinatum. At non potest vitari Papa hæreticus manifestus, manès Papa. 2. Non Christianus nequit vllo modo esse Papa, vt etiam [i] Caiet. fatetur neque enim poterit esse caput, quod non est membrum. At hæreticus manifestus non est Christianus.

[f] *est recentiorum doctissimorum: & omnium veterum PP.*

[g] *1. ad Titum. v. 10.*

[i] *sup. cap. 26.*

Resp. [k] Caiet. esse Christianum secundum quid, non simpliciter, nimirum ratione caracteris, quæ est dispositio vltima ad non esse Christianum, siue Papam; sicut contingit in homine constituto in extremis. Sed inde sequitur hæreticum numquam posse ab Ecclesia præscindi, quia caracter est indelebilis. At omnes faten-

[k] *in Apolog. pro tractatu prædicto cap. 25. & in ipso tract. c. 22.*

tur posse quosdam ab Ecclesia præscindi. Deinde vel fides est dispositio omninò necessaria, vt sit aliquis Papa, vel ad benè esse. Si prius, ergo sublata simul definit est Papa, si posterius, ergo propter hæresim non magis erit deponendus quam propter ignorantiam, improbitatem, &c. Denique quæ habent vltimam dispositionem ad interitum definunt per se esse, igitur sine alia depositione desinet esse Papa. Probatur tertio ex PP. [l] Cyprian. *Dicimus omnes hæreticos atque schismaticos nihil habere potestatis ac iuris.* Optat. 1. contra Parmen. [m] Ambros. [n] Aug. [o] Hieron. [p] Cælestinus 1. *Neminem deiicere vel remouere poterat, qui* (Nestorius) *prædicans talia, titubauit.* Nicol. 1. & D. Thom. 22. quæst. 39. art. 3. docet schismaticos mox perdere omnem iurisdictionem.

Respondent, loqui PP. iuxta iura antiqua, nunc autem per Concil. Constantiense Extrauag. *Ad Euitanda scandala*, non excludi à iurisdictione nisi nominatim excommunicatos, & clericorum percussores manifesti. Sed PP. non allegant dumtaxat vlla iura humana, quæ fortè hac de re tunc nulla erant: sed argumentantur ex natura hæresis. Concil. Constantiense verò non loquitur nisi de excommunicatis per censuram Ecclesiasticam, hæretici autem sunt extra Ecclesiam ante omnem excommunicationem Ecclesiæ.

[l] 2. *Epist. 6.*
[m] 1. *de pœnit. 2.*
[n] *in Enchirid. 65. cap.*
[o] *contra Luciferianos dialogo.*
[p] *Epist. ad Ioan. Antioch. in Concilio Ephesino tom. 1. cap. 19.*
[q] *sup.*

Probatur Primatus ex nominibus attributis Pontificis Rom.

CAP. XXXI.

PRIMVM est *Papa*, scilicet [a] simpliciter positum, aut cum additione, *vniuersalis Ecclesiæ*, sicut in Concilio [b] Chalcedon. aut quatenus à toto mundo & generalib. Concilijs dicitur de Episcopo [c] Romano: est autem Papa siue Pappas apud [d] Græcos vox qua blandientes vel balbutientes pueri patres suos appellant. apud [e] Latinos patrem vel auum significat.

Secund. *Pater Patrum.* [f] Stephanus epist. ad Damas. *Beatiß. Domino & Apostolic. culmini sublimato S. Patri Patrum Damaso Papæ.*

Tertium, *Pontifex Christianorum* apud [g] Euseb.

Quartum, *Summus Pontifex*: Hierony. præfat. Euangel. ad Damas. & 8. Synod. [h] act. 18.

Quintum, *Princeps Sacerdotum*: epist. [i] Valentiniani ad Theodos. Cum autem Concil. [k] Carthag. 3. prohibet ne quis Princeps Sacerdotum: aut summus sacerdos dicatur, sed tantum primæ sedis Episcopus, loquitur solùm de Episcopis Africæ, inter quos multi erant Primates æquales.

Sextũ, *Vicarius Christi.* Bernard. [l] 2. de Consid.

Septimum, *Caput Ecclesiæ.* Concil. Chalced. epist. ad Leonem.

Obiicit [l] Calui. Gregorium reprehendentem [m] Ioannem Constantinop. qui se caput totius Ecclesiæ facere volebat. Quia nec Petrus, nec vllus Apostolorum, caput fuit totius Ecclesiæ, sed solùm singularium plebium capita, sub vno capite.

[a] *Ignat. Epist. ad Mariam Zarben.*
[b] *act. 16.*
[c] *qui neminem alium vocat Papam.*
[d] *vt Philemonem Comicum apud Athenæum lib. 8. Homer. Odyss. 6.*
[e] *Iuuen. satyra 6. & Auso. ad Nepotem.*
[f] *Archiepis. Carthag. scribens nomine trium Conciliorum Africæ.*
[g] *in Chronico an. 44.*
[h] *in serm. acclamatorio.*
[i] *habetur ante Concil. Chalced. tom. 1. Concilior. item Prosper 2. de vocatione gentium.*
[k] *can. 26.*
[l] *& Concil. Ludn. sub Grego. 10. in 6. tit. de electione cap.* Vbi periculum
[m] *4. Epist. 28.*

Respondeo loqui de Apostolis comparatione ad Christum, & cum ordine ad proprios Episcopatus. At comparatis cum Petro, in ordine ad vniuersam Ecclesiam Petrum esse caput, vt ipse Gregorius docet 11. epist. 42. Octauum, est [n] *fundamentum.* Nonum. [o] *Pastor ouilis Dominici.* Decimum. [p] Rector domus Dei. Vndecimum. [q] *Custos vineæ.* Duodecimum. [r] *Pater & doctor omnium Christianorum.* Decimum tertium. [s] *Sponsus Ecclesiæ.* Quando autem Bernard. [t] monet Eugenium, ne se sponsum existimet Ecclesiæ, loquitur de principali sponso qui solus est Christus. Decimum quartum [u] *Apostolicæ sedis præsul,* absolutè positus, & cuius munus dicitur [x] *Apostolatus,* quod non competit Patriarchis aliis, & proinde non succedunt *Apostolis in Apostolatu.* Decimum quintum. *Episcopus vniuersalis* in Concil. Chalced. act 3. *sanctissimo & Beatiss. vniuersali Archiepiscopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni.*

Obiicit Caluinus [y] Gregorium sæpissimè repetere hoc nomen esse profanum sacrileg. &c.

Illyricus [z] obiicit Canonem Concilij Africani citati à [a] Gratiano : *vniuersalis autem nec Romanus Pontifex appelletur.*

Ad 1. vniuersalem Episcopum dici qui solus sit Episcopus verè omnium vrbium Christianarum, vel qui habet curam totius Ecclesiæ generalem, ita vt non excludat particulares Episcopos. Priori modo abhorruit ab hoc nomine Gregor. vt patet ex ratione quam reddit: [b] *Si vnus vniuersalis est* (inquit) *restat vt vos Episcopi non sitis*, posteriori admisit, quia [c] fatetur hoc nomen tributum Romano Pontifici à Concil. Chalced. hoc autem Concil. semper Gregorius veneratus est vt sanctum. Ad 2. verba esse Gratiani non Concilij: quamuis responderi possit vt ad 1.

[n] *Hieron. Epist. ad Damas. de nomine Hypostasis.*
[o] *Ambros. Epist. 81. ad Siricium.*
[p] *Ambros. in 1. Timoth. 3.*
[q] *Concil. Chalced. ad Leonem.*
[r] *in Concil. Florent. sess. vltima.*
[s] *Concil. Lugd. sup.*
[t] *Epist. 237.*
[u] *Aug. Epist. 106.*
[x] *Concil. Chalced. act. 1.*
[y] *4. Epist. 32. & alibi passim.*
[z] *lib. de historia Concil. 6. Carth.*
[a] *dist. 99.*

[b] *Epist. 69 lib 7.*
[c] *4. Epist 32.*

LIBER TERTIVS

DE SVMMO PONTIFICE.

In quo tractatur de Antichriſt.

QVIA [a] Caluin. *fuerit* (inquit) *ſanè olim Roma omnium Eccleſiarum mater, verum ex quo Antichriſti ſedes fieri cœpit deſiit eſſe id quod erat.* Cum Caluino idem docent omnes [b] hæretici neoterici propterea hoc libro nobis probandum eſt Papam non poſſe Antichriſtum eſſe.

[a] 4. *Inſt.* 7. § 23.
[b] *Magd. Centur.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *col.* 434. *& ſequentib. Centuris cap.* 4. 7. *&* 10. *Chytræ. in* 9. *&* 13. *Apocaly. & ante Caluinū Luther. in ſupput. temporū.*

De ipſo nomine quod eſt Antichriſtus.

CAP. I.

ADVERSARII contendūt hoc nomine ſignificari vicariū Chriſti, & proinde Papam, quia illa vox ἀντὶ, inquit Wolfgangus [c] Muſculus, ſignificat, *vice*, vnde ἀντιστράτηγος qui vicarius ducis vult haberi. Sed falluntur.

Primò, quia Antichriſtus ſignificat aliquem ita contrarium Chriſto vt cum eo de ſede, & dignitate decertet. Nam ἀντὶ propriè ſignificat

[c] *in locis. cap. de poteſtate miniſtrorum.*

oppositionem: vnde quoniam opponi dicuntur ea non solùm quæ pugnant inter se, sed etiam quæ æquipollent, inde factum est vt ἀντὶ in compositione significet æquipollentiam: nusquam autem subordinationem, vicarius autem subordinationem importat.

[d] 2. Thessal. 2. v. 4.
[e] 1. Ioan. 2. v. 22.

Secundò: Antichristus dicitur is, [d] *qui extollitur super omne quod dicitur Deus*: qui, [e] *negat Iesum esse Christum*, ita vt seipsum pro [f] Christo vendicet quæ non competunt vicario Christi.

Tertiò, ex omnibus scriptoribus de Antichristo, & communi sensu Christianorum, qui intelligunt per Antichrist. quendam eximiũ Pseudochristum. Imò & Henricus [f] Steph. Caluinista.

[f] *in suo Thesauro linguæ Græcæ.*

Ad arg. ἀντιστρατηγὸς, non significare vicarium ducis, sed ordinariè contrarium ducem vnde ἀντιστρατεύομαι bellum infero: & interdum qui est loco Ducis non vt subiectus, sed æqualis, quomodo apud Latinos proprætor.

Antichristum certum quemdam hominem futurum.

CAP. II.



ONSENTIVNT omnes Antichristum sumi primò propriè pro quodam eximio Christi hoste de quo Thess. 2. [a] cap. 2. secundò pro omnibus oppugnãtibus Christũ. Priori modo contendunt hæretici non signifi-

[a] v. 3. ὅτι ἐὰν μὴ ἔλθῃ ἡ ἀποστασία πρῶτον, καὶ ἀποκαλυφθῇ ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας. v. 4. ὁ ἀντικείμενος, καὶ ὑπεραιρόμενος ἐπὶ πάντα λεγόμενον θεὸν, ἢ σέβασμα, ὥστε αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν τοῦ θεοῦ θεὸν καθίσαι, ἀποδεικνύντα ἑαυτὸν ὅτι ἔστι θεός. *Quoniam si non venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati ille filius perditionis. v. 4. Ille oppositus, & elatus supra omnem dictum Deum aut numen, ita vt eum in templum Dei tanquam Deum sedere, ostendentem seipsum quod sit Deus.*

cari

cari certum quendam hominem: sed regnum quoddam tyrannicum & apostaticum.

Primò, quia [b] Paulus dixit iam suo tempore incœpisse versari Antichristum, & in fine mundi occidendum à Christo.

Secundò, Daniel 7. singularib. nominibus vrsi, Leonis, Pardi, non intelligit reges, sed singula regna. Igitur Paul 2. Thessal. 2. qui mirè cum Daniele consentit, per hominem peccati intelligit aliquod regnum.

Tertiò ibidem Paulus ait Apostasiam, id est, generalem defectionem à fide esse venturam, cuius caput Antichristus: quæ non est res paucorum annorum, vt sub vno rege compleri valeat: & proinde vnum regnum importat, contraria sententia est vera. Primò, ex verbis [c] Domini: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me, si alius venerit in nomine suo illum recipietis.* quæ verba dicta esse de vno Antichristo docent PP. [d] Deinde Christus non opponit regnum regno, aut sectam sectæ, sed suam personam alterì personæ, vt patet ex illis: *Ego, Alius in nomine meo, in nomine suo, me, illum.* Denique ait Antichristum à Iudæis pro Messiâ recipiendum, hi autem vnum certum & singularem hominem expectant.

Secundò, [e] vt Epiph. docet articuli Græci contrahunt significationem ad vnam rem certam ita vt ἄνθρωπος significet hominem in communi ὁ ἄνθρωπος singularem. At in textu Pauli 2. Thessal. 2. vbique dumtaxat articuli sunt. Igitur significatur vnus singularis homo.

Tertiò Daniel. 7. 11. 12. [k] loquitur de Antichristo. At ibi Antichristus, non vocatur vnum regnum, sed vnus quidam Rex 1. qui ex 10. regibus, quos in mundo inueniet, tres omnino tollet, & alios 7. sibi subiiciet: quo etiam modo loquitur de Antichristo Ioann. 13. & 14. Apoc.

Quartò ex [l] PP. docentibus 1. Antichristum

b *sup. v. 7.* τὸ μυστήριον ἤδη ἐνεργεῖται τῆς ἀνομίας, μόνον, ὁ κατέχων ἄρτι, ἕως ἐκ μέσου γένηται. *Mysterium iam operatur iniquitas, solùm tenens nunc, donec è medio fiat. vers. 8.* καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος ὃν ὁ κύριος ἀναλώσει τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ. *Et tunc reuelabitur ille exlex quem Dom. interficiet spiritu oris sui.*

c *Ioan. 5. v. 43.*

d *Chrys. & Cyr. in Ioan. 3. Ambros. in Thess. 2 Hieron. epist. ad Algasiam. q. 11. &c.*

e *Hæres. 9.*

k *teste Hieron. & Theod. in hunc locum. Iren. 5. & Aug. 20. Ciu. 23.*

l *Cyrill. catech. 15. Ambr. in 21. Luc. Hiero. & Theodor. in 7. Daniel. Aug. supr. per multa capita, &c.*

forè electissimum Diaboli instrumentum, ita vt in eo habitet plenitudo malitiæ Diabolicæ corporaliter. 2. non regnaturum nisi tres annos cum dimidio, ac proinde vnum esse hominem certum.

Ad 1. Respondeo, tempore quidem Apostolor. incæpisse grassari Antichristum, non in suâ personâ, sed præcursoribus vt docent [m] PP. Deinde volunt aduersarij Antichristum esse Romanam sedem. At tempore Apostolorum sedebat Romæ Petrus. Igitur si propriè erat Antichristus tunc, certè, iuxta illos, non alter quam S. Petrus.

[m] *Qui per mysterium iniquitatis apud Paulum vel intelligunt Neronis persecutionem vt Hieron. ad Algasiam supra Ambros. & Chrysostomus in hunc locum. vel hæreticos vt Theodor. & Sedulius.*

Ad 2. Danielem per vnam bestiam aliquando intelligere etiam vnum regem vt cap. 8. per Arietem Darium, per Hircum Alexand. magnum, deinde negatur consequ. Nam Paulus per hominem peccati non intelligit aliquam ex quatuor bestiis à Daniele descriptis, sed illud paruum cornu quod prævaluit 10. cornibus bestiæ cap. 7. v. 8.

Ad tertium. 1. per Apostasiam posse intelligi Antichristum vt communi consensu docent interpretes Græci. 2. defectionem à Rom. imperio, quæ Antichristum præcedet. 3. et si deberet intelligi defectio generalis à fide, fieri tamen illo breuissimo tempore, quo erit Antichristus 4. etsi deberet fieri per multa sæcula, se habere tantum vt dispositionem ad Antichristi regnū (quæ potest longo tempore successiuè acquiri) non autem vt partem. Quamuis autem verum esset tertium illud arg. non tamen ideo sequeretur R. Pontificem esse Antichristum, prius enim demonstrandum est defeciisse à fide.

Ostenditur Antichristum nondum venisse.

CAP. III. IIII. V. VI. VII. VIII. IX.

VETERES [a] PP. futurum animaduertentes malitiam temporum, [b] suspicati sunt tempora Antichristi, id est, finem mundi sibi imminere: deceptitamen, vt experientia docet, fuit etiam celebris [c] multorum opinio mundum 6 millibus annorum duraturum: cui nondum experientia calculum adiecit, & quam probabilem [d] Aug. putat.

Inter Hæreticos qui R. Pontif. Antichristum dicunt Hungarici & Transyluani Samosateni docēt Antichristum apparuisse paulò post tempora Apostolorum: cum cæpit prædicari Christus filius Dei, qua de re [e] alibi egimus.

Illyricus [f] vult Antichristum conceptū initio anni 400. formatū circa 500. natum anno 606. quando Phocus concessit Papæ, dici caput totius Ecclesiæ: regnaturum ac sœuiturum gladio spirituali annis 1260. ex Apocaly. 11. quo dicitur regnaturus diebus 1260. die pro anno: temporali autem gladio [h] 666. & tunc finem mundi affuturam.

Refell. 1. quia R. Pontifex cæpit gladium, id est dominium tēporale saltem anno [i] 699. vel si vis, detur etiam, anno 755. [k] à donatione Pipini. Ergo iuxta hanc sent. amisisset illud anno 1365. vel. 1421. quod tamen experientia docet falsum esse. 2. sequeretur nosse Illyricum exactè quando finiendus est mundus, nempe [l] anno

[a] CAP. III.

[b] *ita Cypria. 3. ep. 1. Hieron. epist. ad Ageruchiam de monogamiâ Gregor. 4. epist. 38.*

[c] *Iustin. q. 71. ad Gentes Iren. 5. Lactant. 7. cap. 14. Hilar. in 17. Math. & Thalmudistarum, qui se ex Helia prophetâ id habere dicunt.*

[d] *20. Ciuit. 7.*

[e] *lib. 1. de Christo 14.*

[f] *Centur. 6. cap. 1.*

[h] *ex Apoc. 13. quo dicitur numerus bestiæ 666. v. vltimo.*

[i] *Cum Aripertus donauit Pontifici Rom. Alpes Cottias, vbi nunc est Genua & postea an. 714. hanc donationem Luitprandus confirmauit, vt scribit Ado in Chronico &*

Blondus lib. 10. decadis prima. [k] *ita Rhegino, Ado, Sigibertus, Paulus Aemilius.* [l] *Dicunt enim cæpisse regnare Antichrist. gladio spirituali an. 606. & regnaturum 1260. & tunc venturum Dominum.*

Christi 1866. quod aduersatur scripturis.

[m] *in 9. Apocaly.*

[m] Dauid Chytræus docet apparuisse Antichrist. anno 600 Christi. Primò quia tunc Gregor. stabiliuit inuocationem Sanctorum, & missas pro defunctis. 2. quia anno 606. Bonifacius Papa impetrauit titulum vniuersalis Episcopi 3. quia hoc tempus planè cum numero nominis Antichristi 666. cõgruit. Ex quo etiam numero colligitur tempus quo confirmatum fuit à Pipino Antichristi regnum, scilicet ab anno Christi 97 scriptæ Apocalypsis ad Pipinum ferè 666. Item quo primum fuit Papa declaratus à Ioan. Huss. Antichristus, tot enim ferè sunt à Pipino ad Ioan. Huss.

[o] *Ambros. 2. Epist. 8. ad Faustinum de obitu sororis vide tom. 3 lib. 1. de missa cap. 1.*

Falsa 1. ratio, quia multò [o] antiquiores Gregorio, Missis & inuocationis sanctorum meminerunt.

[p] *Epist. ad Ioann. 2.*

Falsa 2. quia Phocas non titulum vniuersalis Ecclesiæ tribuit Papæ, sed eum Caput Ecclesiæ vocauit: quòd antea fecerat [p] Iustinianus.

[q] *in supputatione temporum.*

Falsa 3. nam à Christo ad Phocæ sanctionem sunt 607. ab Apocalypsi ad Pipinum 658. à Pipino ad Ioannem Huss. 640. vt vult Chytræus vbi ergo 666. tam exactè à Ioanne Euangelistâ posita? [q] Luther. duos aduentus ponit Antichristi, vnum cum gladio spirituali anno 600. ead. ratione quâ Chytræus, & quæ eod. refellitur modo: alterum temporalem post annum 1000. quia tunc Gregorius 7. depositus Henricum 4. temporaliter dominabatur, & bella gerebat. Sed ante Gregorium excommunicauit Leonem [r] Gregor. 2. Dominati sunt in temporalibus Papæ saltem ab anno 755. & circa annum 750 bella gessit [s] Stephanus 3.

[r] *anno 715 teste Cedren. & Zonar. in Leone.*

[s] *Leo 4. quoque circa ann. 850. vir sanctus bella contra Saracenos gessit vt etiã Magdeb. habent centur. 9. cap. 10.*

[t] *præfat. in homil. suas ad Apocaly.*

[r] Bulingerus vult apparuisse Antichristũ anno 763. quòd Apocaly. 13. quo numerus bestiæ ponitur 666. significetur tempus ab Apocalyp. scripta ad Antichristum.

Sed Ioan. ipsemet ait istum numerum 666.

non significare tempus, sed nomen bestiæ. Deinde anno 763. nulla mutatio legitur facta in Pontificibus Rom. Falluntur asserentes, Mahumetem Antichrist. fuisse circa annum 666. [u] natus est enim 597. cæpit se propheram dicere an. 623. obiit 637. Musculus [x] Antichristū vult circa an. 1200. post tempora B. Bernard. quod Bernardus enumeratis multis hominum vitijs, *&c.* subiungat. [y] *Superest vt reueletur homo peccati*: sed deceptus Bernard. vt illi veteres.

Est [k] igitur vera sententia nondum regnare cœpisse neque venisse Antichristum, sed venturum circa finem mundi: qui quantum absit nullo modo sciri potest.

Nam in diuinis literis sex signa habentur certa aduētus Antichristi, duo præcedentia, nempe prædicatio Euāgelij in vniuerso orbe, & Imperij desolatio: duo comitantia, videlicet prædicatio Henoch & Eliæ: ac persecutio maxima, ita vt publica sacra cessent: & duo subsequentia Antichristum, nimirum mors illius post 3. annos cum dimidio regni eius, & mundi finis. At nullum horum adhuc extare videmus. Igitur, *&c.*

Maior probatur de 1. signo, ex Math. [l] 24. *prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus*: id est ante Aduentum Antichristi, vt interpretantur [m] PP. & patet ex [n] textu.

De [o] secundo ex Daniele 2. quo per statuam describitur successio præcipuorum regnorum, vsque ad finem mundi, per caput aureum, primum regnum id est Assyriorum: per pectus argenteum, Persarum: ventrem æneum, Græcorum: tibias ferreas, Romanorum, quod longissimo tempore fuit bipartitum, sicut tibiæ, duæ sunt, & longissimæ: Porrò ex duabus tibijs oriebantur 10. digiti, quòd videlicet Rom. Imperiū tandem in 10. Reges sit diuidendum, quorum nullus erit Rex Romanorum sicut nullus digi-

[u] *teste Palinerio in Chronico.*

[x] *in locis titul. de Ecclesia cap. 12.*

[y] *ser. 6. in ps. 90.*

[k] Caput. IIII.

[l] κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας, ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι, καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος. *v.* 14. *Et tunc erit finis.*

[m] *Hilar. can. 25. in Math. Cyrill. catech. 15. Theod. in 2. Thess. 2. &c.*

[n] *quo prædicādum significatur Euang. antequam veniat tribulatio magna qualis non fuit nec erit.*

[o] Cap. V.

tus est tibia. Et cap. 7. per quatuor bestias Daniel. eadem quatuor regna designat, & addit ex vltimâ bestiâ proditura cornua 10. quæ 10. vltimos reges designant, qui orientur quidem ex Imperio Rom. sed non erunt Rom. Imperatores, sicut cornua non sunt ipsa bestia, item Apocalyp. 17.

[p] CAP. VI.
[q] vers. 5.

De [p] tertio. Malach. 4. [q] *Ecce ego mitto vobis Heliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis*, &c. id est, secundus Aduentus, primus enim horribilis non fuit. [r] Ecclesiastici 48. *Qui receptus es in turbine ignis*, scilicet Helias, &c. *Qui inscriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor Patris ad Filium, & restituere tribus Iacob* [s] 44. cap. *Henoch placuit Deo & translatus est in paradisum vt det gentibus pœnitentiam.* Apocaly. [t] 11. *Dabo duobus testibus meis & prophetabunt diebus* 1260. Idem quoque consensus [v] PP. asserit.

[r] v. 9. & 10.

[s] vers. 16.
[t] v. 3. καὶ δώσω τοῖς δυσὶ μάρτυσί μου, καὶ προφητεύσουσιν ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἑξήκοντα περιβεβλημένοι σάκκους.
[v] Omnes Math. interpretes in 17. cap. & Aug. tract. 4. in Ioan.

Respond. [ex] Theodorus Bibliander per Henoch & Heliam intelligi omnes ministros. nam quæ dicuntur à Malachia, Dominus interpretatus est de Ioanne, [y] Math. 11. & Hierony. de omni prophetarum choro in 4. Malach. quæ verò Ioan. Apocaly. 11. de internecione & Resurrectione illorum duorum testium dicunt, intelligit de ministris à Papistis interficiendis, quibus Deus vitam restituit per beatitudinem, vel excitationem aliorum ministrorum, vel restituet in vltimâ Resurrectione.

[x] in Chron. tab. 14.
[y] v. 14.

Sed quamuis allegoricè per Eliam intellexit Ioannem Bapt. Dominus sup. tamen ad literam intelligit verum Eliam cum ait, [z] *Ipse est Elias qui venturus est.* Ioannes enim tunc non erat amplius venturus, absoluerat siquidem suum cursum: nec restituit omnia vt de Elia ibidem dicitur. Hieron. in 11. & 17. Mathæi, nostram sequitur opinionem. Porrò beatitudo animę non est restitutio vitæ amissæ, sed nouæ acquisitio:

[z] ca. 17. v. 11. Ἠλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαθιστάνει πάντα.

Ioannes etiam apertè docet hos duos teſtes reſurrecturos ante vltimum diem, inimicis eorum attonitis, & in cælum aſſumpturos, & ante obitum prædicaturos ſaccis indutis: quod contigiſſe alicui miniſtrorum nondum compertum eſt.

De [a] 4. Math. [b] 24. *Erit tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi, neque erit.* Apocal. 20. [c] *Et cinxerunt caſtra ſanctorum & dilectam ciuitatem.* Daniel 12. *A tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium dies* 1290. vbi conſenſu omnium loquitur de Antichriſti tempore.

De [e] quinto, habemus Daniel. 12. quo dicitur Antichriſt. regnaturus 1290. diebus, id eſt 3. annis cum 7. menſibus lunaribus: & Apocaly. 12. quo legitur regnaturus (ſcilicet vſque ad mortem duorum teſtium) per tempus, tempora, & dimidium temporis, id eſt vno anno, duobus, & medio anno: ſic enim ſe explicat cap. 13. [f] cum ait Regnaturum Antichriſtum menſib. 42. & [g] Henoch ac Elias prædicaturos 1260. diebus, vtráque ſiquidem ſumma facit tantum tres annos cum dimidio.

Reſpondent [h] primò, poni tempus certum pro incerto & per 42. menſes intelligi pluſquam mille annos: quia Apocaly. 20. dicitur Diabolus ſoluendus anno milleſimo: iam igitur regnauit Antichriſt. pluſquam 600. annis [i] Secundò Danielem, & Ioannem accipere diem pro anno, & pro 1260. dieb. intelligi 1260. annos. Nam Daniel. 9. per hebdomadas, intelligit ſeptimanas annorũ. Et Ezech. 4. [k] dicitur. *Diem pro anno dedi tibi.* Luc. 13. [l] *oportet me hodie, & cras, & perendie ambulare*, ideſt tribus annis viuere. Contra. 1. eſt [m] communis ſententia veterum. 2. quia dicitur Apoſt. 12. [n] tẽpus diaboli ſoluti, & Antichriſti fore breuiſſimum, at quomodo breuiſſimum, ſi regnabit 1260. annis, ſic enim

[a] CAP. VII.

[b] v. 21. ἔσαι γὰρ τότε θλῖψις μεγάλη, οἵα οὐ γέγονεν ἀπ' ἀρχῆς κόσμου ἕως τοῦ νῦν οὐδ' οὐ μὴ γένηται.

[c] *verſ.* 8. καὶ ἐκύκλωσαν τὴν παρεμβολὴν τῶν ἁγίων, καὶ τὴν πόλιν τὴν ἠγαπημένην. *His enim ſignificatur omnes ſimul impios futuros in exercitu Antichriſti.*

[d] *verſ.* 11.

[e] CAP. VIII.

[f] *verſ.* 5.

[g] *cap.* 11. *v* 3.

[h] *Chytræus in* 11. & 13. *Apocalyp.*

[i] *Magdeb. Cent.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *col.* 438.

[k] *verſ.* 6.

[l] *v.* 33. δεῖ με σήμερον, καὶ αὔριον, καὶ τῇ ἐχομένῃ πορεύεσθαι.

[m] *Hyppolit. mart. oratione de conſum. ſæculi. Irenæ.* 5. *in fine Hieron. in* 7. *Daniel. Cyrill. Catech.* 15. *Aug.* 20. *Ciu.* 23.

[n] *v.* 12.

diutius ſolutus erit quam ligatus [o] 3. *Niſi breuiati fuiſſent dies illi*, id eſt vt loquitur [p] Aug niſi illa perſecutio eſſet breuiſſima multi perirent qui non ſunt perituri. 4. quia illa annorum ſumma nullo modo poteſt accommodari. Si enim per tempus accipias vnum millenarium, Antichriſtus erit regnaturus tribus mille annorum & quingentis. ſi vnum ſæculum: erunt regni eius anni 300. quinquag. ſimilia deduci poſſunt ſi accipiatur pro Iubilæo, luſtro &c. quæ omnia aduerſarij non admittunt. 4. quia Daniel [q] 4. per tempora 7. intelliguntur anni 7. alias ſi intelligeremus anni annorum, vixiſſet extra regnum Nabucodonoſor bis mille quingentos quinquaginta quinque annos.

Ad 1. non poni numerum certum pro incerto quando aſſignantur varij numeri, magnis mixti parui: ſed benè cùm ponitur numerus plenus & perfectus, vt Apocalyps. 20. Diabolum per annos mille fuiſſe ligatum. Ad 2. rectè dici hebdomadas annorum vt Leuitici [r] 25. patet: quia hebdomada denominatur a numero ſeptenario, qui & diebus, & annis recte accommodari poteſt. At menſem annorum, vel diem pro anno poni, nuſquam legimus: quia menſis non denominatur à numero aliquo, ſed à curſu lunæ, nec dies ſignificat numerum: ſed tempus lucis. Ezech. autem. 4. dies accipiuntur pro veris diebus: ſenſus enim eſt illos 390. dies quibus dormiuit Ezechiel ſuper latus ſuum ſiniſtrum, ſignificare dies veluti dormitionis Dei, per quam tolerauit peccata Iſraelitarum annis 390. aliàs ſi vis intelligi annos ſequetur Ezechielem ita dormiſſe 390. annis, ſcilicet pluſquam vixerit. Neque Luc. 13. Significantur anni. Nam vt obſeruat Hieron. [s] Matth. Marcus, Lucas, non ſcripſerunt Acta, & verba Chriſti priorum duorum annorum ante mortem: ſed ſolùm tertij:

[o] *Matth. 24. v. 22.* καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ.

[p] 20. *Ciuit. 8.*

[q] *v. 13.*

[r] *verſ. 8.*

[s] *in Ioannem.*

quare per tres illos dies, vel intellexit Christus triduum quod erat consumpturus in itinere Hierosolym. vel significare voluit se adhuc modicum tempus prædicaturum. De [t] vltimo signo, Daniel 7. Apocaly. 20. 2. Thess. 2. post regnum & mortem Antichristi subiungitur iudicium vniuersale, & consummatio.

[t] CAP. IX.

Nunc autem probatur minor. Euangelium non fuerat prædicatum in toto terrarum orbe anno 200 vel 300 à Christo, vt constat ex Origen. tract. 28. in Matth. neque 600. vel 700 vt patet ex Moranis wandalis, Polonis qui [u] non nisi post 800. Euangelium audierunt: neque Bernardi tẽpore cum ipsemet [x] asserat superesse gentes ad quas non peruenerat Euangel. neque nostro tempore. Inuentæ sunt enim in Oriente, & Occidente regiones vastissimæ, in quibus nulla extat Euangelij memoria.

[u] *Vt etiam Centuriast. fatentur. Centur. 9. cap. 2. col. 15. & 18. & Centur. 10. cap. 2. col. 18. & 19.*

[x] *3. de Consideratione.*

Dices idem esse prædicari vniuerso orbi Euangel. ac illud Lucę 2. *Exiit edictum à Cæsare vt describeretur vniuersus orbis*, id est, accipiendo totum pro parte: aliàs falsò assereret Paulus suo tempore [y] *in omnem terram exiisse sonum Apostolorum.* & Coloss. 1. [z] *Aspe Euangelij quod peruenit vsque ad vos, sicut in toto mundo est fructificans, & crescens.* Item. [a] *Quod prædicatum est in vniuersâ creaturâ quæ sub cælo est.*

[y] *Rom. 10. v. 18.*

[z] *v. 5. διὰ τὴν ἐλπίδα τὴν ἀποκειμένην ὑμῖν ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὧν προηκούσατε ἐν τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας τοῦ Εὐαγγελίου. v. 6. τοῦ παρόντος εἰς ὑμᾶς καθὼς καὶ ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ, καὶ ἔστι καρποφορούμενον, καὶ αὐξανόμενον καθὼς καὶ ἐν ὑμῖν.*

[a] *23. καὶ μὴ μετακινούμενοι ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ Εὐαγγελίου, οὗ ἠκούσατε τοῦ κηρυχθέντος ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν.*

Resp. debere propriè, & non per figuram verba domini intelligi. 1. quia vult hanc prædicationem esse signum consummationis sæculi. At non esset, nisi reuera sit vniuersalis. 2. vt ratiocinatur [b] Aug. omnes gentes propriè sunt Christo promissæ, quia pro omnibus mortuus est, igitur prædicatio debet esse generalis; debet prædicari omnibus gentibus, in testimonium illis: id est, vt nequeant suam excusare infidelitatem prætextu ignorantiæ. Paulus autem in 1. loco accepit præteritum pro futuro vt fecit & Dauid. in 2. non vult dicere actu prædi-

[b] *Epist. 80.*

catum, sed virtute: quod iecissent Apostoli semina verbi Dei in mundum, quæ paulatim crescendo & fructificando impletura totum mundum essent.

Imperium Rom. non periisse omninò satis constat. Nec refert Romæ Imperatoribus nunc non esse subiectam, quia si id sufficeret: sequeretur Carolum magnum verum Imperatorem non fuisse. Obiicit Lutherus pro se hoc facere. Nam Apo. 13. dicitur Bestia, quæ R. Imperium significabat, vulneranda ad mortem, & ab Antichristo iterum sananda, quod sanè tunc factum est cum Papa Imperium Occidétis, quod iam ferè perierat, iterum in Carolo magno instaurauit. Vnde [c] Ambros. dixit Antichristum redditurum Romanis libertatem sub suo nomine, quod Papa videtur feciisse cum Imperatorem Romanis creauit, qui tamen à se penderet.

[c] *in 2. Thess. 2.*

Sed in Ioanne solùm legitur vnum ex capitibus bestiæ moriturum, & paulò post resurrecturum operâ draconis, id est diaboli, quod ferè veteres omnes de ipso Antichristo exponunt, qui mortuum se finget, & arte diabolicâ se excitabit postea. Nec per illud caput potest intelligi [Imperium Romanum] aut Carolus magnus, siquidem illud caput solùm potestatem describitur habere mensibus 42. blasphemando in Deum & cælicolas.

Henoch & Eliam nondum veniisse, nec illam atrociissimam & notissimam tribulationem, aut regnum huiusmodi Antichristi trium annorum cum dimidio, subsecuta illius morte, & multo minus mundi consummatione satis per se constat.

De proprio nomine Antichristi.

CAP. X.

APOCAL. [a] 13. per numerum bestiæ 666. intelligi numerum nominis eius, id est numerales nominis eius literas hunc simul componere numerum patet ex textu. Hoc verò nomen [b] Chytræus vult esse λατεῖνος vel Hebraicè רומיית *Romiiith*. Sed fallitur 1. quia nomen Latini, vt significat Romanum, non scribitur per *i* : nec potest apud Hebræos terminari in *thau* præcedente *iod*, hæc est enim propria fœmininorũ terminatio : remoto autem ו deficiunt 5. & ת remoto 400. à numero nominis Antichristi 2. λατεῖνος & *Romiiith* sunt nomina communia, nec vllus Papa se hoc nomine vocauit nisi vno Romano qui 4. regnauit mensib. & proinde nec potuit esse Antichristus. At Antichristi nomen erit ei proprium & speciale 3. quia non solùm illa duo nomina efficiunt numer. 666. sed plurima alia vt ἀρνοῦμαι nego λαμπότης illustris ὁ νικητὴς victor [c] *&c.* דכיד ביתריו [d] Dauid Chytræus, *&c.* vera ergo sententia Irenæi [e] est & aliorum asserentium huiusmodi nomen ignorari. Quod enim nonnulli volunt per numerum 666. intelligi triplicem [f] diaboli præuaricationem complendam : aut summam [g] dignitatem : quia Antichristus vsurpabit tributum soli Deo debitum, est improbabile. Ioannes siquidem ait hunc numerum esse nominis non dignitatis, aut præuarications.

[a] v. 18. ὧδε ἡ σοφία ἐστί· ὁ ἔχων νοῦν ψηφισάτω τὸν ἀριθμὸν τοῦ θηρίου. ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπου ἐστί, καὶ ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ ἐστὶ ἑξακόσιοι ἑξήκοντα ἕξ.
Hîc sapientia est, qui habet intellectũ computet numerum bestiæ, numerus enim hominis est, & numerus eius est sexcenti sexaginta sex.

[b] *in 13. Apocal.*

[c] κακὸς ὁ δυνατός, *prauus Dux*, ἀληθὴς βλαφερὸς *verè nocens ἀντιμαχος contrarius.*

[d] ד 4.
ב 2.
י 10.
ד 4.
כ 20. 666.
י 10. *Dauid Chytræo.*
ת 400.
ר 200.
י 10.
ע 60.

[e] *lib. 5.*

[f] *Rupertus.*

[g] *Beda.*

De caractere Antichristi.

CAP. XI.

[a] *serm. 61. in Apocalyp.*

[b] *in Chronic. tabul. 10.*

PVLINGERVS[a] vult esse vnctionem Chrismatis quo Christiani Rom. Pontifici obedientes, consignantur. [b] Bibliander, professionem Romanæ fidei. Chytræus addit iuramentum fidelitatis quod multi præstare coguntur Papæ, & vnctionem sacerdotalem quâ imprimitur caracter: ac procumbere ad statuas & consecratum panem, missisque funebribus interesse.

Mentiuntur 1. quia caracter Antich. erit vnus certus: de eo siquidem semper loquitur scriptura in singulari: At aduersarij cum tot caracteres multiplicant, indicant se nescire quis ille sit futurus 2. erit omnibus hominibus sub ditione Antichristi communis. At iuramentum obedientiæ, & vnctio sacerdotalis paucis conueniunt 3. sine descrimine in manu dexterâ vel in fronte poterit geri. At Chrismatis vnctio in manu accipi nequit. profess. Romanæ fidei nec in manu, nec in fronte, sed, ore & corde; iuramentum non in fronte, sed manu & ore: vnctio sacerdotalis tantùm supra caput, & in digitis manus suscipi potest, interesse missis, & procumbere, &c. est totius corporis actus 4. in regno Antichr. nulli licebit emere, & vendere nisi habeat caracterem. At emunt & vendunt Iudæi in ditione Papæ, nec tamen habẽt Chrisma, professionem fidei, &c. 5. quia hæc omnia signa, sunt antiquiora ficto Antichristo ab aduersariis, quem volunt venisse anno 606. Tertull. [c] meminit Chrismatis. [d] Ambros. communionis cum Romana Ecclesia iuramenti,

[c] *circa ann. 200. lib. de resurrect. carnis.*

[d] *an. 390. oratione de obitu Satyri fratris.*

e Greg. magnus qui ad an. 606. non peruenit, f Nazianz. vnctionis sacerdotalis. Sacrificij Missæ pro defunctis g Aug. Adorationis imaginum h Hierony. Adorationis i Eucharist. Ambros.

k Alij volunt caracterem istum forè, literas quibus scribetur nomen Antichristi: sed videntur decepti quod legerunt in textu: *Nisi qui habuerit caracterem nominis bestiæ, aut numerum nominis eius*, cum sit tamen: l *Nisi qui habuerit caracterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius.*

Tertia m sentent. est quorumdam, arbitrantium futurum hunc caracterem negatiuum, scilicet non vti signo crucis, sed illud execrari. Crediderim tamen forè aliquid positiuum excogitatum ab Antichristo, sed nobis ignotum.

e 10. *Epist.* 31.
f *in Apologetico ad patrem suum, quando Episcopus Sasimorum creatus est.*
g *lib. de hæresibus cap.* 53.
h *in vita Paulæ.*
i 3. *de Spiritu sancto* 12.
k *Primasius, Beda Rupertus.*
l *Apocal.* 13. *v.* 17. καὶ ἵνα μή τις δύνηται ἀγοράσαι ἢ πωλῆσαι, εἰ μὴ ὁ ἔχων τὸ χάραγμα, ἢ τὸ ὄνομα τοῦ θηρίου, ἢ τὸν ἀριθμὸν τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ.
m *ita Hyppolit. supr.*

De generatione Antichristi.

CAP. XII.

PRIMA opinio asserit nasciturum ex virgine operâ Diaboli, quomodo fuit Christus opera Spiritus sancti. Error quia hoc solius Dei opus est, qui potest omnes efficientes causas supplere.

Secunda, a Antichristum fore ipsum Diabolum, qui de falsâ virgine falsam carnem assumet [non vnione hypostatica, sed sustinendo & mouendo vt Angeli in corporibus assumptis] Sed PP. alij vnanimiter docent fore verum hominem.

a *Hypp. sup.*

Tertia fore diabolum & hominem simul, per incarnationem diaboli, mediante vnione hypostaticâ. Error quia Theologi conueniunt id non posse fieri viribus naturæ.

Quarta, Antich. fore ipsum Neronem: sed cum id sine ratione dicatur: meritò hanc sen-

tentiam miram præsumptionem [o] Augustinus vocat.

Quinta, [p] Antichr. nascituram de fornicariâ muliere, quod est probabile.

Sexta, nascituram de tribu Dan. Genes. 49. [q] *Fiat Dan coluber in via*, &c. [r] Hierem. 8 *Ex Dan audiuimus fremitum equorum.* Apocaly. 7. quo omittitur Dan inter tribus Israël signatas. Hæc sententia valdè probabilis est, propter multos PP. [s] authores, sed non certa: quia plerique eorum vt solùm probabilem insinuant: & primus locus videtur ad literam de Sampsone intelligi vt exponit [t] Hierony. secundus de Nabucodon. [u] intelligitur, qui venturus erat ad euertendam Hieruſ. per eam regionem quæ dicitur Dan. Apoc. 7. omittitur etiam Ephraim.

Vltima eaque certa Antichristum venturum præcipue propter Iudæos & ab eis tanquam Messiam recipiendum, Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine suo recipietis* &c. [x] 2. Thess. 2. *Eo quod charitatis veritatem non receperunt, vt salui fiant ideò mittet eis Deus operationem erroris vt credant mendacio*, &c. quæ de Iudæis exponunt [y] Patres. Ac nascituram ex illorum gente circuncidendum, & sabbathum obseruaturum, aliàs illum nunquam pro Messiâ reciperent.

[o] 20. *Ciuit.* 19.

[p] *est Damasc.* 4. *cap.* 27.

[q] *v.* 17.

[r] *v.* 16.

[s] *Iren.* 5. *Hyp. sup. Ambros. de Benedictionibus Patriarcharum.* 7. *Aug. q.* 22. *in Iosue. Prosper de promiss. & prædict. Dei parte* 4. *Theodoret. q.* 109. *in Genes. &c.*

[t] *in qq. Hebraicis.*

[u] *iuxta Hieron. ibi.*

[x] *v.* 10. ἀνθ' ὧν τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο εἰς τὸ σωθῆναι αὐτούς. *vers.* 11. καὶ διὰ τοῦτο πέμψει αὐτοῖς ὁ θεὸς ἐνέργειαν πλάνης, εἰς τὸ πιστεῦσαι αὐτοὺς τῷ ψεύδει.

[y] *Interpretes Pauli Hieronym. q* 11. *ad Algasiam Iren.* 5. *Hyppol. sup. Theodor. Epitom. diuinorum decretorum cap. de Antichrist. Cyrill. Catech.* 15. *Hilar. can.* 25. *in Matth. &c.*

De sede Antichristi.

CAP. XIII.

ADVERSARII volunt hanc esse Cathedram Apostolicam, Romæ fundatam.

Primò, quia [a] Apocaly. dicitur sedes Antichristi Roma. 2. Thessal. 2. dicitur sessurus in templo Dei, non vtique illo Salomonis Iudaico: tum quia desiit esse templum cùm desiit illic sacrificium & sacerdotium: tum quòd Daniel cap. 9. doceat illud numquam reædificandum: Ergo sedebit Romæ in templo Dei, id est, Ecclesia iuxta [b] Hierony. & Oecumenium.

[a] *cap. 17.*

[b] *q. 11. ad Algasiam.*

Secundò [c] Gregor. ait Ioannem Constantinop. ideò præcurrere Antichristum quòd vellet appellari Episcopus vniuersalis. Ergo ille Antichristus erit qui reipsâ se vniuersalem Episcopum facit, sedetque in Ecclesia tanquam omnium caput.

[c] *4. epist. 38.*

Tertiò [d] idem ait exercitum Antichristi fore Sacerdotes: Igitur Antichristus princeps Sacerdotum.

[d] *ibid.*

Vera sententia est Antichristi sedem fore Hierusalem & Salomonis templum.

Primò, ibi occidetur Henoch, & Helias vbi Antichristi sedes sicut docent PP. Occidentur autem in ciuitate, [e] *quæ vocatur spiritualiter, Sodoma, & Ægyptus, vbi Dominus crucifixus est*, nimirum Hierusal. quod enim Hieron. epist. 17. conetur ostendere Hieruf. non posse dici Sodomam, quia dicitur vrbs sancta, non satis firmum est: potest enim hanc duplicem significationem habere, propter duplicem respectum: sicut ipsemet vocauit Romam purpuratam me-

[e] *Apoc. v. 8.* ὅπου καὶ ἐσταυρώθη.

retricem, & ciuitatem sanctam.

Secundò, Apocaly. 17. odio habebunt purpuratam meretricem & eam desolatam facient decem reges, qui sibi diuident R. Imperium, & quibus regnantibus Antichristus veniet: quomodo ergo in illa sedebit, si eo tempore debet euerti Roma.

Tertiò, Antichr. erit Iudæorum Messias. At numquam videntur illum recepturi pro Messia nisi in Hierusalem sedeat, & templum aliquo modo restauret. Hoc enim futurum, solùm somniant Iudæi dumtaxat.

Quartò, sedebit in templo Dei. At scriptura noui Testamenti per templum Dei numquam intelligit Ecclesias Christianorum: sed perpetuò templum Hierosolymor. quod imitati sunt veteres [f] PP. per aliquot sæcula.

Quintò, ex PP. [g] Iren. *Cum Antichristus sederit in templo Hierosolymis tunc veniet Dominus.* [h] Hyppol. [i] Cyrill. Hieros. *Quale templum dicit Apostolus? in templo quod reliquum est Iudæorum. Absit enim vt in hoc id fiat, in quo sumus.* [k] Ambros. [l] Sedul. [m] Damasc. *In templo* (inquit) *non nostro, sed veteri Iudaico.* Chrysost. quidem Theodor. & Theophyl. dicunt sessurum in Ecclesijs Christianorum, sed addunt sessurum etiam in templo Salomonis. Non enim volunt sessurũ in Ecclesia vt Episcopum, sed vt Deum. Iubebit siquidem omnia templa mundi in eius cultum conuerti. Et ita intelligendus Hieron. in fine primi argumenti aduersariorum.

Ad 1. negatur dici Antichristum sessurum Romæ, & per templum, intelligi Ecclesiam. Desijt quidem in Iudaïco populo Iudaïcum sacrificium & sacerdotium: sed non ilicò desijt esse templum Dei. tale enim mansit quandiu in eo Apostoli prædicarunt, & orarunt. Daniel verò vel solùm vult non esse reædificandum nisi in fine, vel non nisi imperfectè, semper profanatum

[f] *Iustinus, Irenæ. Tertull. Cyprian.*
[g] *lib. 5.*
[h] *supr.*
[i] *Catech. 15.*
[k] *in 21. Lucæ.*
[l] *in 2. Thess. 2.*
[m] *4. cap. 27.*

tum manens. Oecumen. non est tot PP. præferendus : nec videtur aliud dixisse quam Chrysost. & Theodoret. quos solet in omnibus sequi : sed locum esse deprauatum erasione vnius particulæ, *solùm*.

Ad 2. esse contra ipsos præcursor enim non debet adæquari ei quem præcurrit, ergo si Ioan. Constantinop. est Antichristus, quia se Episcopum vniuersalem facit : Antichristus, non erit Episcopus vniuersalis, sed aliquid maius. Vel si Antichristus verus se Episcopum vniuersalem faciet. Igitur Ioan. Constantinopol. non erat præcursor, sed ipsemet Antichrist. Quare sensus verborum Gregorij est: *quicumque indebitè sibi aliquid vsurpat, & vult aliis præeminere illum præcurrere Antichristum* cuiusmodi erat Ioan. Constantinop.

Ad 3. nolle dicere sacerdotes, vt sacerdotes præparare exercitum Antichristo sed vt superbos, vnde tantùm sequitur Antichristum fore Superborum caput.

De doctrina Antichristi.

Cap. XIIII.

PRIMÒ negabit apertè Iesum esse Christum, & proinde oppugnabit omnia Saluatoris instituta.

Prima ratio, quia, si prædicaret nostrum Christum nũquam reciperetur à Iudæis.

2. Omnes hæretici dicuntur Antichristi qui aliquo modo negant Iesum esse Christum 1. Ioan. 2. Ergo verus ipse Antichr. simpliciter, & omnibus modis id negabit.

3. Ex PP. Hylar. 6. de Trin. Hypolit. orat. de cõ-

ſumat. ſæculi Auguſt. 20. Ciuit. 8.

Secundò, Aſſeret ſe eſſe verum Chriſtum in lege, & prophetis promiſſum. Propterea dixit Chriſtus Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine ſuo illum recipietis*, idque paſſim docent [a] PP.

Tertiò, palam ſe nominabit Deum, & pro Deo coli volet 2. Theſſ. 2. *Ita vt in templo Dei ſedeat oſtendens ſe tanquam ſit Deus*, ſiue vt eſt in Græco ὅτι ἔστιν θεός, *quod ſit Deus*. & ita intellexerunt hunc locum [b] Iren. [c] Chryſoſt. [d] Ambroſ.

Quartò, ſe ſolum verum eſſe dicet Deum, omneſque alios oppugnabit. 1. ex 2. Theſſ. 2. *Qui extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*. Græcè σέβασμα quod volunt Magdeb. ſignificare cultum: ſed falluntur: nam [e] vbique ſignificat obiectum ſiue res quæ colitur, imò Eraſmus vult eſſe vertendum numen. 2. ex Daniel. 11. *Nec quemquam Deorum curabit, ſed contra vniuerſa conſurget* 3. ex conſenſu PP. Iren. 5. *Idola ſeponet ad ſuadendum quod ipſe ſit Deus, ſe autem extollet vnum idolum*, Hippoly. ſup. Cyrill. catech. 15. Chryſoſt. in hunc locum.

Obijciũt Daniel. [f] 11. affirmari Antichriſtum colendum: *Deum Maozim auro, & argento*, &c.

Reſpondeo 1. in Hebræo non eſſe יִשְׁתַּחֲוֶה *Iiſtachauah* Adorabit, ſed יְכַבֵּד *Iecabbed* glorificabit, videlicet ſeipſum qui dicetur Deus Maozim id eſt fortitudinum.

Secundò, & melius Antichr. magum futurum, qui occultè diabolum colet, dictum Deum Maozim, ab arce aliquâ munitiſſima in quâ ſecreto coletur: ſequitur enim in Daniele, *Et faciet vt muniat Maozim*. Et verè מָעוֹן [g] magos, tam fortitudinem, quam arcem ſignificat.

[a] *Iren. 5. Tentabit* (inquit) *ſe Chriſtum oſtendere. Ambroſ. in 21. Lucæ Theodor. in 2. Theſſ. 2. Cyrill. catech. 15.*

[b] *ſup.*

[c] *in hunc locum, & homil. 40. in Ioan.*

[d] *in 2. Theſſ. 2.*

[e] *vt Actor. 17. v. 23.* Διερχόμενος γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν. *prætereiens & conſiderans ſimulachra veſtra.*

[f] *v.* [38. וְלֵאלָה מָעֻזִּים עַל־ בְּנוֹ יְכַבֵּד *veleeloah maguzim gal banno iecabbed. Et Deum magnzim ſuper baſi ſuâ glorificabit. Septuagint.* καὶ θεὸν μαωζὶν ἐπὶ τῆς πόλεως αὐτῆς δοξάσει. *Et Deum Maozim in loco ſuo glorificabit.*]

[g] *ſiue Maos.*

De miraculis Antichristi.

CAP. XV.

MIRACVLA facturum Antichristum docet Paulus supr. & Dominus Math.24. [2] *Dabunt signa, & prodigia magna,* &c. *Dabunt* (inquit) *non dabit,* quia non solum Antichristus, sed etiam ministri ius signa facient. Item Apocaly.13. quo tria eius, aut suorum miracula ponuntur 1. ignem facere de cœlo descendere: 2. facere imaginem bestiæ loqui. 3. finget se Antichristus mori, & resurgere. verùm miracula eius, mendacia erunt ratione finis, quia vt se pro Deo introducat: efficientis, quia à diabolo patre mendacii: ratione materiæ quia vt plurimum phantastica & prestigiæ quædam: ratione formæ, quia licet vera ratione materiæ, eo quòd interdum rem veram operabitur, tamen forma non excedet vires totius naturæ.

[2] *vers.24. δώσουσι σημεῖα μεγάλα, καὶ τέρατα.*

De regno, & prælijs Antichristi.

CAP. XVI. & XVII.

HAC [2] de re quatuor in scripturis legimus, primò Antichristum ex humili loco prodeuntem, per fraudes & dolos regnum Iudæorum adepturum Daniel.11 v.21.

[2] Cap. XVI.

Secundò pugnaturum cum regibus Ægypti, Lybiæ, & Æthiopiæ, quorum trium regna pro se occupabit [b] Daniel. 7. cum [c] vndecimo capite.

[b] *vers. 8.*
[c] *v.42. & 43.*

Tertiò subacturum sibi alios 7. reges, & eo

modo euasurum mundi totius monarchiam ex Apocaly. 17. cum [d] PP. Hierony. [e] Iren. Lactantio [f] Chrysost. [g] Catechisi. 15

Quartò acturum prælium Gog & Magog. Apocaly. 20. Quâ de re varia est sententia.

[h] Prima [i] Iudæorum est, Gog Antichristum esse, Magog gentes Scythicas innumerabiles quæ intra Caspios montes latent, venturum autem Gog, id est, Antichrist. cum Magog, id est, exercitu Scytharum, illo ipso tẽpore quo Messias primum apparebit in Hierusalem, & tunc committendum in Palæstinâ prælium, cum tanta strage in exercitu Gog, vt per 7. annos Iudæi non sint ligna cæsuri ad ignem struendum, sed crematuros hastas, &c. & deinceps futura sæcula aurea. Refellitur, quod putent prælium Gog, & Magog in primo Christi aduentu, confundentes primum cum secundo: & Antichr. venturum contra se, id est, contra Messiam pugnaturum.

Secunda, [k] Lactantii, prælium Gog, & Magog futurum mille annis post Antichristi mortem. Sed iamdudũ explosa est, Dominus enim apertè docet post Antichr. persecutionem, statim futurum iudicium vltimum.

Tertia [l] Eusebij, Gog, esse Imperatorem Rom. Magog Imperium eius ex Numer. 24. *Extolletur Gog regnum, & augebitur regnum eius. Deus, duxit illum ex Aegypto, &c.* Quo videtur scriptura dicere extolli regnum Gog, cùm redibit tempore infantiæ suæ ex Ægypto Christus. tunc autem nullum regnum erat exaltatum, nisi Romanorum. Fallitur, nam hic locus intelligitur de Iudæorum regno non de Christo, aut de Romanis. Incipit enim: *Quam pulchra tabernacula tua Iacob*, &c. & locus in Septuag. interpretatione vitiatus est. Hebraicè si quidem legitur וירם מאגג מלכו *Veiarom meagag malcho. Et tolletur propter Agag, vel præ Agag Rex eius*: id est,

[d] *in 11. Matth.*
[e] *lib. 5.*
[f] *7. cap. 16.*
[g] *in 2. Thess.*
[h] Cap. XVII.
[i] *apud Hieronym. in 38. Ezechiel.*

[k] *7. cap. 24. 25. & 26. Arbitratur enim finitis sex millibus annorum à mundo condito, venturum Antichristum, apparituru Christũ, futuram resurrect. & regnaturos sanctos cum Christo, in terris mille annis in summa pace, pacificè seruientibus infidelibus. deinde soluendũ iterum diabolum & excitandum bellum atrocissimum omnium gentiũ contra Sanctos, & hoc esse prælium Gog, et Magog. Hæc opinio fuit etiam Papiæ, Iustini, Irenæi, Tertull. Apollinar. apud Hier. in 36. Ezech.*
[l] *9. demonstr. 3.*

[m] tolletur Saul primus Rex Iſrael, propter Agag, cum non occidendo: vel [n] prævalebit ac ſuperabit Agag: quod vtrumque verum eſt.

[o] Quarta, intelligit prælia diaboli cum Angelis. Sed literam deſtruit. [p] Bibliander, vult Gog & Magog apud Ezechielem eſſe Alexandrum magnum, & poſteros eius Syriæ, & Ægypti reges, qui cum Iudæis multa commiſerunt prælia, & à Machabæis tandem ſeparati ſunt, apud Ioannem verò eſſe Pontifices, & Chriſtianos principes, qui diu pugnarunt contra Saracenos pro terra ſancta tempore Gregorij. 7. Refellitur prima pars. 1. quia vna & eadem eſt prophetia Ezechielis, & Ioannis, vterque enim ſimillimo modo loquitur. Ergo vtraque poſt primum Chriſti aduentum implenda. 2. prophetia Ezech. non fuit impleta ſub Machabæis. Nam [q] dicitur ad Gog: *in nouiſſimo annorum venies.* Alexander venit in medio dicitur in exercitu Gog futuros Æthiopas Lybios, Hiſpanos, Cappadoces, qui nuſquam contra Hieruſ. pugnarunt. Nec talis fuit victoria Machabæ. contra reges Syriæ, & Ægypti, vt deinceps nulli eſſent hoſtes timendi: ſicut deſcribitur victoria contra Gog & Magog apud Ezech. Refell. 2. pars. 1. quia Gog & Magog pugnabunt contra caſtra ſanctorum. Ergo ſequetur Mahumetanos eſſe huiuſmodi caſtra 2. Ioannes ait homines futuros in exercitu Gog, & Magog, ex quatuor angulis terræ. At in exercitu Chriſtiano, non erant niſi occidentales & Aquilonares 3. finito Gog & Mag. prælio mox Hieruſ. erit renouanda, diabolus & Antichr. deiiciendi cum Pſeudoproph. in ignem æternum, quod nondum videmus expletum.

[r] Sexta, Gog & Magog eſſe regnum Saracenorum, ſiue Turcarum. Sed obſtat quòd huiuſmodi regnum iamdudum cæpit. Gog verò veniet in nouiſſimo tempore, nec diu durabit.

[m] *v. 7. apud Sept.* καὶ ὑψωθήσεται ἡ ψαὸς βασιλεία αὐτῶ, καὶ αὐξηθήσεται, &c. *vers.* 8. ὁδηγήσων αὐτὸν ἐξ αἰγύπτου.

[n] *iuxta Hieron. in* 38. *Ezech.*

[o] *apud Hiero. ſup.*

[p] *tab.* 14. *quem ſequitur Chytræus in* 20. *Apoc.*

[q] *Ezech.* 38.

[r] *Magdebur. Cent.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. *col.* 435.

[s] *Ambr. 2. de fide vlt.*

[s] Septima, Gog esse Gothos qui multas prouincias populi Romani vastarunt. Sed experientia docuit id minimè verum, non enim renouatio Hieruſ. sequuta est, neque omnia bella cessarunt.

[t] *in 38. Ezech.*

Octaua [t] Hierony. qui omisso literali sensu mysticè exposuit per Gog (Hebræis, tectum) hæresiarchas: per Magog (de tecto) eos qui hæresiarchis credunt.

[u] *20. Ciuit. 11.*

Nona [u] Aug. per Gog, intelligi diabolum per Magog Antichrist. Sed Ioan. dicit diabolum solutum, conuocaturum Gog, & Magog in prælium. Igitur aliud est diabolus, aliud Gog.

Vltima sententia, quæ nostra est, tria continet, primò prælium Gog, & Magog esse Antichr. contra Ecclesiam, vt Augustin. docuit. Secundò probabile esse per Gog significati Antichristũ, per Magog exercitum eius. Ezechiel enim perpetuò vocat Gog principem, & Magog terram, siue nationem. Tertiò probabile quoque, Gog dici à Magog non è contra: ita vt Antichrist. dicatur Gog quia est princeps gentis Magog, id est, Scythica, sic dicta à Magog [x] filio Iaphet ex quo descendit, introducta à scriptura in exercitum Antichristi, non quod sit illa vltra Caucasum, vel Caspios montes, sed vel quòd magna pars exercitus Antichristi ex barbaris à Scythia oriundis constabit: vel quia immanis valdè, & crudelis erit.

[x] *Genes. 10. v. 2.*

[y] *Cap. 38.*

Obiicies dici ab [y] Ezech. per 7. annos cremãda arma Gog, & Magog. cum post Antichristũ sint tantùm futuri 45. dies.

Respõd. loqui Ezech. figuratè more prophetarum, & sensum esse tam futuram insignem cladem, vt longissimo tẽpore sufficere possent ad ignem fouendam hastæ, clypei &c. occisorum.

Quæres, an propter hanc persecutionem extinguetur omnino fides, & religio Christi. Af-

firmat [z] Dominicus à Soto. Negatur tamen 1. quia id videtur Euangelio repugnare Math. [a] *16. portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* [b] *Dabunt signa magna, ita vt in errorem inducantur si fieri poteſt etiam electi.* 2. quia ſcriptores aiunt victoriam huius belli penes Eccleſiam tandem futuram. 3. quia Sotus repugnat manifeſtè Auguſt. 20. Ciuit. 11.

Cum ergo Antichriſtus æmulum & hoſtem Chriſti ſignificet, Papa verò ſe humilem eius famulum profiteatur: Romani Pontifices fuerint quamplurimi, Antichriſtus vnus certus homo. iamdudum venerint & regnauerint vltra tres annos cum dimidio: nec deſolatum ſit Imperium Rom. aut prædicatum vbique Euangelium: aut apparuerint Henoch & Helia: nec ſubſecuta fuerit mors illorum, & conſummatio ſæculi: certum vnuſquiſque Pontificum Romanorum habuerit nomen: caracter Antichriſti eis nequeat cõuenire vt qui in blaſphemiam Chriſti, quem honorant: non venerint propter Iudæos nec ab eis ſint recepti: ab anno 600. nullus eorum fuerit de gente Iudæorum: non ſederint Hieroſolymis, prædicauerint ſemper Chriſtum, verum Deum, cuius ſe vicarios profitentur: nullus eorum finxerit ſe mori, & poſtea reſurgere, aut per miniſtros ſuos fecerit ignem deſcendere de cælo, aut loqui imaginem beſtiæ: nihil de bellis Gog, & Magog illis conuenire queat. Sequitur manifeſtè Romanum Pontificem Antichriſtum non eſſe.

[z] 4. *ſent. d.* 46. *q.* 1. *art.* 1.
[a] *v.* 18.
[b] *Math.* 24. *v.* 24. δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα, ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς.

Refelluntur Deliria hæreticorum.

CAP. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII.

Non distinguntur hic capita vt in Bellarmino habentur quia intermiscentur à nobis.

PRIMVM notæ Antichristi cõueniunt Papæ. Ergo Antichr. est. Anteced. probatur quia 1. prædicatur Antichristus à Daniele impudens facie id est iuxta [a] Lutherum potens speciebus, pompis, & cæremonijs, *&c.* cuiusmodi est Papa. 2 [b] Papa regnat in templo Dei, id est Ecclesia. 3. negat Iesum esse Christum, quia sibi sumit ius mutandi doctrinam Christi, & suam introducendi, [c] multos mediatores in cælo sacrificulos in terra substituit neglecto Christo, per merita suorum spiritualium sanctorum nos saluari asserit, vocat sactam scripturam hæreseων, & schismatum fontem, multasque Ecclesias oppressit. 4. [d] ligat, soluit non solùm viuos, sed & defunctos, de omnibus iudicare vult, à nemine iudicari. 5. [e] non curat mulierum amorem, cælibatum introducendo. 6. facit quod vult, [f] & summa sæuitiâ suos defendit errores. 7. [g] ditat suos & omnia ei prosperè succedunt. 8. [i] cum sit seruus vult adorari vt Deus quod proprium esse Antich. docet Irenæ.

Negatur anteced. ad primam probationis partem. 1. haberi in Hebræo [k] עַזּ פָּנִים *gaz-phanim* quod significat [l] robustum facie (siue perfrictæ frontis) non pompi potentem. 2. ex affirmatiuis particularibus nihil colligi: aliàs etiã deduceretur Mosem fuisse Antichr. qui tot cæremonias instituit. Ad 2. neque per templum intelligi Ecclesiam Dei, neque in ea Papam regnare cum Deum superiorem agnoscat. Ad 3.

[a] *in Asser. ar. 27.*
[b] *Synod. Smalchaldica.*
[c] *Illyricus lib. aduersus primatum Papæ.*
[d] *Synod. Smalchal.*
[e] *Illyric.*
[f] *Synod. Smalchal.*
[g] *Illyric.*
[i] *Libell. Anonimus cuius titulus Anisò piacenole dato alla bella Italia cap. 6.*
[k] *Dan. 8. v. 23.*
[l] *apud Septuag.* ἀναιδὴς προσώπῳ, *inuerecundus facie, & ita vertit Hieronym.*

omnino negatur, probent. Nam Sanctorũ preces, & sacerdotum officia, Christum summum mediatorem & sacerdotem semper agnoscunt: & quamuis Sanctorum meritis & precibus ad salutẽ adiuuemur, absolutè tamen saluamur per Christum. Ad 4. non soluere defunctos, nisi per modum suffragij, nec Papa ita à nemine iudicatur quin velit subire iudicium Dei. Ad 5. si hæc esset nota Antichristi. Athanas. Augustꝰ. &c. fuissent etiam Antichristi, imò ipse Christus. Deinde in Hebræo apud Daniel habetur [m] וְעַל־חֶמְדַּת נָשִׁים *Vegal-hemdath naschim. in concupiscentia fœminarum*, nec vllum verbum affirmatiuum, aut negatiuum adiungitur: tamen verisimilior est versio Hierony. *Et erit in concupiscentijs fœminarum*: tùm quia Antiochus, de quo Daniel loquitur gerente Antichr. figuram, valdè mulieribus [n] addictus erat, tùm quòd non est verisimile Antichr. imperaturum aut laudaturum cælibatum, cum futurus sit Iudæorum Messias: illi autem præter cætera bona, vxorum multitudinem à suo Messiâ expectant. Ad 6. negatur. Ad 7. si quos beneficijs ornat, non tam ipsos ditare censendus est, quam fidelium pietas, quæ eiusmodi prouentus Ecclesiæ dedit: prosperari autem si sit nota Antichristi, multi præter Papam erunt Antichristus ille eximius. Ad 8. neque vult adorari Papa vt Deus neque ita loquitur Iren. [o] de Antichrist. sed: *Cum sit seruus* (inquit) *Regem se vult præconari.*

[p] Secundum, Pontificij dicunt Antichrist. ex Babyloniâ de tribu Dan nasciturum regnaturum tantum tribus annis cum dimidio, & interfecturum iri in mõte Oliueti: Quæ omnia cum non habeant fundamentum in scripturis reijcienda sunt. Sed quæ de Antichristo ex scripturis, & PP. habentur, supra demonstrauimus.

[q] Tertium, ingens stella quæ visa est de cælo cadere in terram Ioan. 9. cuique data est cla-

[m] *Dan. 11. v. 37.*

[n] *teste Hieron. in hunc locum Danielis.*

[o] *lib. 5. cap. 25.*

[p] *Tilmannus in lib. de 600. errorib. Pontificiorum.*

[q] *Chytræ. in 9. Apoc.*

uis putei abyſſi, fuit Gregorius magnus, eiuſque ſucceſſores, qui abiectis clauibus regni cælorum, claues abyſſi putei receperunt. Fumus ex puteo, corruptelæ doctrinæ, variæque Roman. Pontific. traditiones. Examen locuſtarum ex fumo prodiens, Epiſcopi, Clerici, Monachi. Refellitur primò quia veteres interpretes per ſtellam intelligũt diabolum, iuxta illud [r] *Quomodo cecidiſti*, &c. vnde non dixit Ioan. ſe vidiſſe cadentem ſed cecidiſſe, qui diabolus ex puteo abyſſi varios hæreſiarchas, & errores emittit. 2. ſi per primam tubam intelligitur hæreſis Ebionitarum, vt fatetur Chytræus author huius delirij, per ſecundam, Gnoſticorum, per tertiam, Samoſateni, & Arij, per quartam Pelagij, per quintam, Antichriſti Romani perſecutio, quæ vltima debet eſſe: quid intelligetur per ſextam? Reſpondet Mahumeti, & Turcarum perſecutionem. Sed hæc prior Antichriſto eſt, aut ſaltem tempore concomitans, igitur non erit vltima. 3. quia Luther. & Bibliander Gregorium appellarũt ſanctum virum, & reuera talis fuit ſine illorum teſtimonio. Quomodo ergo cecidit de cælo, aut non potius aſcendit in cælum? 4. ante Gregorium erant Epiſcopi, Clerici, Monachi.

[r] *Iſay.* 14. v. 12.

Quartum [s] delirium producit Arnulphum quemdam Aurelianens. Epiſcopum ante 600. an. qui in Concil. Remẽſi quodam vocauit Papam Antichriſtum [t] ſicut & Ioachimus Calaber in explicatione Apocaly. Item Eberardum Epiſcopum Saliſburgenſem (apud Ioan. Auentinum) multa debacchantem in Papam: vt Dantes [i] per Rom. Pontifices meretricem Apocal. [k] Petrarcha verò per Babylonem, intellexit curiam Romanam.

[s] *author libelli Auiſo Piacenole dato alla bella Italia cap.* 8.

[t] *vt ait author eiuſ libelli.*

[i] *Canto.* 19. *dell' inferno.*

[k] *Paſſim in Epiſtolis & Canticis.*

Reſpondeo hunc Arnulph. fuiſſe Papæ hoſtem, ac pro iſto vno Gallo nos habere omnes Epiſcopos Galliæ [l] tẽpore Ioan. 8. *Domine* (in-

[l] *in Concilio apud Trecas celebrato epiſt. ad Ioan.* 8.

quiunt) *Sanctiß. ac Reuerendißime Pater patrum Ioannes Catholicæ, atque Apoſtolicæ Eccleſiæ ſanctæ videlicet Romanæ primæ ſedis Papa. Nos filij famuli, ac diſcipuli veſtræ authoritatis Galliarum, & Belgiarum Epiſcopi, &c. quos ſicut prædiximus excommunicatis, excommunicatos tenemus.* Ioach. Abbas nullibi vocauit Papam Antichriſtum. Quinimò [m] *quicumque* (inquit) *Petri Eccleſiam moribus viribuſque oppugnant, Babylonis ſe filios contremiſcant.* Auentinus non eſt author probatæ fidei: cum nihil ſimile dicant omnes hiſtorici alij. Deinde Eberardus ille fuit acerrimus Papæ hoſtis pro Friderico 2. Dantes equidem reprehendit Anaſtaſium. 2. Nicolaum 3. Bonifac. 8. Clement. 5. Ioan. 22. & Cæleſtinum. 5. quod ſe Pontificatu abdicarit. Sed grauiſſimè errat [n] in Anaſtaſio, cum ait in Inferno punitum ob Hæreſim quandam Photini. In quem locum [o] quidam Hæreticus commentatus eſt hanc hæreſim fuiſſe, Spiritumſanctum non procedere à Patre, & minoris authoritatis eſſe filium quam patrem. Equidem Polonus, & Gratia. docent Anaſtaſium peccaſſe, quod Acacium fautorem Eutychianæ Hæreſ. à ſuis prædeceſſoribus Papis depoſitum, reuocare voluerit in ſedem Conſtantinopol. & temerè communicauerit cum Photino Acacij amico, atque ob id percuſſus fulmine. Sed Acacius multò antè [p] obiit quam ſederet Anaſtaſius. Et extat Anaſtaſij Epiſtola ad Anaſtaſium imperatorem, in quâ totis viribus nititur imperatori ſuadere ne nomen quidem Acacij tolerandum. Occaſionem verò fabulæ dedit de Anaſtaſio Papa, imperator Anaſtaſ. reuera fulmine percuſſus. Porrò nullibi extat Photinum docuiſſe Spiritumſanctum non procedere à patre. in alijs autem Pontificibus quatuor, non ſedem, ſed mores tantùm arguit Dantes. Nam & ipſe [q] ait ſe non auſum contumelioſè loqui Nicol. 3. in inferno

[m] *in explicat. 11. textus cap. 6. Apoc.*

[n] *Cantico 11. de inferno.*

[o] *Author libelli ſupra.*

[p] *teſte Euagrio 3. hiſtor 23. & libera-to in Breuiario de cauſa Neſtoriana cap. 18.*

[q] *Cantico 19. de inferno.*

ob ſummarum clauium reuerentiam, & Cantic. 2. de inferno loquens.

de vrbe Roma.

Non pare indigno ad huomo d'intelletto
Ch' ei fu de L'Alma Roma, & di ſuo impero
Nel' empireo ciel' per padre eletto:
La quale, e'l quale à voler dire il vero
Fur ſtabilite per lo loco ſanto
V ſiede il ſucceſſor del maggior Pierò.

Id non videtur indignum homini
Intellectus, id eſt, boni ingenij,
Quia & Romæ & eius Imperij
Fuit in cœlo empyreo pater electus.
Et vtrumque (id eſt Roma, & Imperium)
Vt verum dicatur,
Fuit ſtabilitum pro loco ſancto,
Quo ſedet ſucceſſor magni Petri.

Petrarcha ſimiliter egit, cum enim moneretur ne tam multa in Cardinales Prælatoſque alios R. Curiæ ſcriberet, [r] reſpondit, ſe non homines, ſed vitia inſectari, vnde lib. 9. ſenilium Epiſtolar. *Vere* (inquit ad Vrbanum 5.) *Summus ac Romanus eſt Pontifex, verè Vrbanus, verè Petri ſucceſſor, verè Vicarius Ieſu Chriſti*, & alibi, [s] *Roma proculdubio Sacroſanctus mundi locus vbi Chriſtianus verus, & viuere optet, & mori.* Item [t] *Non ſic inſanus ſum vt Rom. Pontifici legem ponam, cum ipſe ſit legifer omnium Chriſtianorum.*

[r] *11. ſenilium Epiſt. ad Franciſcum Brunum Papæ ſecretarium.*

[s] *ſupr. epiſt. vltima.*

[t] *in Apologiâ contra Galli calumnias.*

Refelluntur argum. quibus probant aliàs Papam amplius non esse.

CAP. XXIIII.

PRIMVM,[a] cum hoc interfit inter Episcopum, & Regem, quòd Rex sit potestatis nomen, cui annexum est officium regendi populum, Episcopus nomen solius officij, verbum Dei & Sacramenta ministrandi: Si vterque munere suo non fungatur, Rex nomen suum, & dignitatem retinebit, Episcopus amittet. Sed Episcopus Rom. non fungitur munere suo, quippe qui non ministret verbum Dei nec Sacram. ergo, *&c.*

[a] *Caluinus 4. Instit. 7. §. 23. & 24.*

[b] Secũdum, euidẽs signum mutationis Rom. Ecclesiæ in Babylonicam meretricem est circa huius mutationis tẽpora sedisse mulierem meretricem in Pontificiâ sede, dictum Ioan. 8. primo ex Platina, Martino Polono, Sigiberto, & Mariano, Scoto. 2. ex rei vestigiis, nimirum sede porphyriticâ in Palatio Lateran. ad explorãdum postea noui Põtificis sexum: quâdam statuâ mulieris cum puero, in eo loco, quo illa mulier peperit & quod in detestationem facti Põtifices Rom. quando ex Vaticano ad Lateranũ pergunt, illum soleant declinare locũ, alioquin est recta via.

[b] *Magdeb. Cent. 9. cap. 10. col. 500.*

Ad primi maiorem, vel loquuntur de nominis significatione, vel de re ipsa. si prius, decipiuntur. Nam vt Episcopus dicitur ab ἐπισκοπεῖν *considerare* &c. & sonat officium inspiciendi, ita Rex à regendo, & sonat officium regendi. Ac sicut Rex est nomen magistratus, ita Episcopus etiam apud [c] Ethnicos. Imò in [d] diuinis scri-

[c] *vt patet ex Aristophane in auibus, quo accipitur pro Prætore.*

[d] *Ephes. 4. v. 11. & Isaiæ 44 v. 28.*

pturis idem nomen Paſtoris tribuitur Epiſcopo,& Regi.Si poſterius,fallũtur quoque. Nam Epiſcopatus eſt etiam præfectura , & quidem Eccleſiaſtica,regendi homines in ſpiritualibus, ac proinde imperandi,& puniendi. [c] Corinth. 11. Ad minorem negatur,quia qui facit per alios per ſeipſum facere videtur.

[c] *Cætera cum venero diſponam & 2. cap.33. vt non præſens durius agam ſecundum poteſtatem quam dedit mihi dominus.*

Ad 2. negatur hæc fabula. Primò,quia volunt hanc mulierem ſediſſe inter Leonem 4. & Benedictum 3.annis duob. & quinque menſibus. Omnes verò , etiam Magdeb. ac Bibliander dant Leoni octo an.ſedis. At Anaſtaſius Bibliothecarius qui illo tempore vixit nimirum circa an 850 & interfuit creationi multorum Pontific. qui hunc Ioannem fœminam dicuntur præceſſiſſe,vel ſubſequi, non ſolum ait cum omnibus hiſtoricis ante Martinum Polonum,ſucceſſiſſe Leoni 4 Benedictum 3.ſed inter hos vacaſſe tantùm ſedem 15. diebus, vbi ergo tempus quo ſederit hæc fœmina? Si enim detrahas de annis Leonis, vt illi aſſcribes,iam minus octo annis Leo dicendus eſt ſediſſe quod aduerſatur omnibus hiſtoricis.

[f] *vt Zonaras Cedrenus, Curopalates.*

[f] 2. Scriptores Græci ante Polonum,non meminerunt huius hiſtoriæ, qui libenter inde occaſionem ſumpſiſſent ridendi Latinos. 3. Volũt Magdeb. peperiſſe in itinere cum ex Vaticano vellet inuiſere Eccleſiam Lateran. [g] At Onuphrius docet Rom. Põtifices vſque ad Bonifac. 9. ideſt an. 1390 non habitaſſe in Vaticano, ſed Lateranen.palatio. 4. [h] Leo 9. obiecit Michaeli Epiſcop. Conſtantinop. famam eſſe conſtantem multos Eunuchos in Patriarchatu Conſtantinop. ſediſſe, & inter eos obrepſiſſe fœminam: quod certè nuſquam obieciſſet, ſi aliquid tale ante accidiſſet Romæ. Et fortaſsè hinc nata eſt fabula de Ioan. illo 8.fœmina,vt quod Conſtãtinopoli acciderat, Romæ tribueretur.

[g] *libro de 7. Eccleſiis.*

[h] *epiſt.ad Michaelem.23.cap.*

Ad Platinam, accepiſſe à Polono, & vtrũque

mendacij argui. Nam Polonus ait hunc Ioan. 8. fuisse Anglicum ex Moguntiâ. at Moguntiâ nõ est in Anglia, sed Germania. Platina, fuisse Anglicũ, sed oriundũ ex Moguntia Magdeburgenses cõtra Moguntinũ faciunt, oriundum ex Anglia. neutrum Bibliander admitit, sed solùm educatum, & eruditum in Anglia: mira contrarietas! Omnes sequuti Polonum dicũt operam dedisse litteris Athenis. At tempore [i] Synesij, paulò post Basilium, & Nazianze. nihil erat Athenis, nisi Academiæ nomen. Ab eo verò tẽpore, qui primũ restituit Græciæ litteras fuit [k] Barda Cæsar, tẽpore Nicolai 1. [l] successoris Benedicti 3. Præterea dicunt hanc fœminam peperisse in solemni supplicatione. At non est verisimile mulierem vterum gestantem, & partui proximam voluisse in publicum, & periculum procedere. Denique nituntur omnes incerto rumore. Polonus enim qui primus hoc scripsit an. 1250. lõgè post Bened. 3. nullum producit authorem, sed solùm dicit, *Refertur.* Quod Magdeb. addũt patrem huius fœminæ fuisse Sacerdotem Anglum, ipsam vocatam Gilbertam, nutritam sub habitu virili in monasterio Fuldensi, ac libros de Magia scripsisse, ex suo capite finxerũt. Porrò, etsi in impresso Sigiberto inueniatur Ioannes fœmina, non tamen in antiquissimis, nec in ipso vt putatur autographo manuscripto in monasterio Gemblacensi (in quo Marianus vixit monachus) teste Molano Louanensi doctore. non inueniri etiam in antiquissimis Mariani testatur qui Metropolim Alberti Krantzij edidit, an. 1574. Coloniæ.

Ad 2. constare ex libro 1. sacrarum ceremoniar. sect. 2. tres fuisse sedes lapideas in Basilica Lateranensi, in quibus Pontifex Romanus tempore coronationis sedebat. vnam ante ingressum in templum, vilem & abiectam, vt moue-

[i] *vt ipse ait epist. ad fratrem suum.*

[k] *teste Zonara & Cedreno in Michaele, & Theodora.*

[l] *sub finem regni Michaelis amotâ matre Theodorâ.*

m *Inde enim illum eleuantes canebant. 1. Reg 2. ſuſcitat de puluere egenum, &c.*

retur ſe [m] de loco humillimo ad ſummum aſcendere, alteram porphyriticam in ipſo palatio, in ſignum poſſeſſionis, atque ibi accipiebat claues Eccleſ. palatij Lateran. 3. ſimilem ſecundæ, neque procul ab eâ, in qua cum paululùm ſediſſet tradebat eaſdem claues ei à quo acceperat vt mortis ſuæ fortè moneretur: de ſede ad explorandum ſexum nulla fit mentio. Statua illa, ſi huius eſſet Ioannis, mulierem cum infantulo recens nato repræſentaſſet: at neque fœminam illa referebat imago, neque infantem gerebat in ſinu, ſed puerum ſatis magnum, & annorum multorum, quaſi præcedentem famulum repræſentabat, vnde conijciunt fuiſſe alicuius ſacerdotis Ethnici ſtatuam, parati ad ſacrificandum, quem præcederet miniſter. Non tranſeunt verò per illam viam Pontifices, quia eſt anguſta, & anfractuoſa, ac proinde comitatui Pontificio incommoda.

LIBER

LIBER QVARTVS

DE POTESTATE SPIRITVALI SVMMI Pontificis.

Papam esse summum iudicem in controuersiis fidei, & morum.

CAP. PRIMVM.

PRIMÒ, probatum est lib. 3. de Verbo Dei iudicem controuersiarum esse Ecclesiasticos prælatos solùm: libro 2. de Ecclesia tom. 2. demonstrabitur Iudicium Cõciliorum, tunc firmum esse ac ratum cum accesserit summi Pontificis confirmatio. Ergo ille summus Iudex.

Secundò, si Papa est totius Ecclesiæ caput, & pastor vt probauimus. Ergo & Iudex summus: aut enim nullus esse debet inter homines Iudex, aut is esse debet qui cæteris præest.

Tertiò, infallibilitatem iudicio Papæ tribuit Deus vt [a] infra patebit. Ad quid, nisi vt esset summus Iudex? Vnde Gregor. [b] *Si quam* (inquit) *contentionem, quod longè faciat diuina potentia, de fidei causâ euenire contigerit, aut negotium emerserit, cuius vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine iudicio sedis Apostolicæ indigeat exa-*

a *Cap. 3.*
b *4. epist. 32.*

minata diligentius veritate, relatione suâ ad nostram studeat perducere notionem: quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari. Vide Innoc. 1. ad Concil. Carthag. Leon. 1. epist. ad Anastas. Thessal. [c] *&c.*

[c] *Gelas. 1. epist. ad Episcop. Dardaniæ Nicol. 1. ep. ad Michael. Innoc. 3. epist. ad Arelatens. episc. vnde extat ca. Maiores extra Anastas. Thessal. &c. de Baptismo, & eius effectu.*

Prima propositio de certitudine iudicij Papæ.

CAP. II. & III.

[a] CAP. II.

PAPA [a] quatuor modis considerari potest 1. vt doctor particularis 2. vt Pontifex sed solus 3. cum adiuncto cætu consiliariorum. 4. cum generali Concilio. Cõsentiunt nobiscum hæretici. Posse his quatuor modis errare Papam in controuersiis particularibus facti, quæ ex informatione & testimonijs hominum dependent 2. vt doctorem particularem etiam errare posse in quæstionibus iuris vniuersalibus tam fidei, quam morum. Dissentiunt quòd velint Catholici 1. Pontificem cum generali Concilio non posse errare in condendis fidei decretis, vel generalibus præceptis morum 2. siue errare possit solus, vel cum suo consilio particulari vt Pontifex, siue non, esse tamen ab omnibus obedienter audiendum quod hæretici negant.

[b] *Luther. lib. de Conciliis Caluin. 4. Instit. 7 §. 28. & cap. 9. §. 9.*
[c] *libro aduersus Primatum Papæ Gerson. & Almain libris de potestate Eccles. Alphons. à Castro 1. cap. 2. cõtra hæres. Adriano 6. quæstione de Confirmatione.*

Prima propositio, *Summus Pontifex cum totam Ecclesiam docet in his quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Hæc est contra nostros Hæreticos [b] arbitrantes Pontificem Hæreticum esse posse & hæresim docere, etiamsi cum Concilio definiat: & contra [c] Nilum arbitrantem id contingere posse si absque Concilio definiat, probatur propositio.

Primo ex Luc, [d] 22. *Simon, Simon, Ecce Sathanas expetiuit vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres.* Hoc quatuor explicatur modis. Sententia prima, Dominum orasse tantùm pro vniuersa Ecclesia cuius figuram gerebat Petrus. Refellitur 1. quia quorsum hęc *Simõ, Simon, pro te, fides tua, tu fratres tuos*, nisi Dominus voluisset certam designare personam? 2. quia cæperat loqui in plurali, deinde mutata loquendi forma ait, *Ego autem rogaui*, &c. at si de tota Ecclesiâ intellexisset, rectius dixisset rogaui pro vobis 3. Dominus pro illo rogat, cui dixit: *Et tu aliquando conuersus*: quod toti Ecclesiæ conuenire nequit: nisi dicas aliquando totam peruertendam esse 4. & pro illo cui: *Confirma* (inquit) *fratres tuos.* At qui sunt huiusmodi vniuersalis Ecclesiæ fratres?

[d] *v. 31. σίμων, σίμων, ἰδοὺ ὁ σατανᾶς ἐξητήσατο ὑμᾶς, τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον. v. 32. ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. καὶ σὺ ποτὲ ἐπιστρέψας, στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου.*

Sentent. 2. Dominum orasse pro sola perseuerantia Petri in gratiâ Dei vsque ad finem. refellitur. 1. quia paulò post orauit pro perseuerantiâ omnium Apostolorum, inter quos erat Petrus: [e] *Pater Sancte serua eos*, &c. 2. quia aliquid speciale Petro impetrat, vt patet ex designatione certæ personæ. At perseuerentia est communis omnibus electis. 3. donum hic impetratum Petro, etiam ad successores pertinet: orauit enim Dominus pro illo in Ecclesiæ vtilitatem, quæ semper indiget aliquo à quo confirmetur, cuius fides deficere nequeat. At perseuerantia non transit personam: vnde non dixit ne deficiat charitas tua, cum reuera postea defecerit, sed ne fides tua.

[e] *Ioan. 17. v. 11.*

Tertia, eaque vera, impetrari Petro duo priuilegia, vnum non posse vnquam veram amittere fidem, ita Augu. [f] *Quando rogauit* (inquit) *vt non deficeret fides eius, rogauit vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantiss.*

[f] *lib. de correptione & gratiâ cap. 8.*

[g] *Non dixit non negabis, sed vt non deficiat fides tua. Cura enim ipsius, & fauore factum est, ne omnino Petri fides euanesceret.*

[h] *Epist.* 1.

[i] *epist. ad Benignū.*

[k] *ser.* 3. *de Assumpt. suâ.*

[l] *Quæ lecta est in* 6. *Syno. act.* 4. *& probata act.* 8.

[m] *Ep. ad Michael.*

[n] *Epist. ad Petrum Antioch. & Innocentius* 3. *Epist. ad Episcopum Arelatens.*

[o] *in* 21. *Lucæ.*

[p] *Epist. ad Eutychef.*

[q] *Epist.* 190.

voluntatem, [g] Chrysost. homiliâ 83. in Math. Theophy. in 22. Luc. Prosper 1. de vocat. gent. cap. vlt. Alterum, vt ipse tanquam Pontifex, & posteri eius numquam inuenirentur docere contra veram fidem. Ita [h] Lucius 1. *Ecclesia Romana Apostolica est & mater omnium Ecclesiarum, quæ à trámite Apostolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec Hæreticis nouitatibus depranata succubuit, secundum ipsius Domini pollicationem dicētis: Ego rogaui pro te*, &c. [i] Fælix 1. [k] Leo: *Specialis cura Petri à Domino suscipitur & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit.* (Ecce primum priuilegium,) *in Petro ergo omnium fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis cæteris conferatur:* (Ecce secundum.) [l] Agatho Epist. ad Constantinum. [m] Nicol. 1. [n] Leo 9. [o] Theophyl. [p] Chrysolog. [q] Bernard. Obiicitur, Primò Romana Ecclesia tunc non erat, nec illius fecit mentionem Christus, cum hæc dixit.

Secundò si dicitur Petri successoribus etiam, *rogaui pro te* &c. Igitur & *tu aliquando conuersus* ergo debent aliquando Christum negare.

Ad 1. quando rogauit pro successoribus Petri, orasse pro sede, siue Ecclesia Romana.

Ad 2. Respond. 1. illud *conuersus* posse referri non ad pœnitentiam Petri, sed ad fratres: vt sensus sit cum videris aliquem vacillare conuersus ad eum, confirma fidem eius 2. conuerti à peccato non conuenire hominibus nisi vt priuatis personis, & proinde personale est, at confirmare fratres, conuenit homini, vt aliorum princeps, & ideo ad successores transit.

Secundò probatur propositio, super Petram quæ est Petrus, & successores eius fundatur Ecclesia. Sed aduersus Ecclesiam portæ inferi non præualebunt Math. 16. Ergo multo minus ad-

uersus hanc Petram. Ita interpretantur hunc locum Matthæi, [r] Origen. [s] Aug. [t] Gregor.

Tertiò Papa est totius Ecclesię Pastor, & Doctor Ioan. vltim. Ergo tota Ecclesia illum audire tenetur. Sed Ecclesia tota errare nequit, ergo multo minus pastor eius. Nec dicas debere audiri si non erret, si erret, recurrendum ad Cõcil. generale, in quo ipse adsit, nam non est ouium iudicare, nec semper generalia Cõcilia celebrari possunt: an ergo interim Ecclesia tota errabit?

Quartò, iussit Dominus poni in rationali Põtificis summi אורים ותמים *Vrim vethummin*, id est (quidquid dicant Rabini) *δήλωσιν, ἀλήθειαν*, iuxta septuag. *Doctrinam*, & *Veritatem*, iuxta Hierony. ad quid hoc? scilicet vt qui dubitarent circa intelligentiam diuinæ legis ascenderent ad summum sacerdotem qui indicaret iudicij veritatem. Ergo multo magis hoc conueniet Christianorum summo Pontifici.

Vltimò ab experientia duplici 1. quod constet [y] omnes patriarchales alias sedes defecisse à fide: nihil tale commisit Romana Ecclesia. 2. quoniam plurimas hæreses Papa damnauit sine generali Concilio vt Pelagij, Priscilliani, Iouiniani, &c.

[r] *in 16. Matth. & Chrysost.*

[s] *in Psalmo contra partem Donati.*

[t] *lib. 6. epist. 37.*

[v] *Pasce oues meas.*

[x] *à* יָרָה *Iarah docuit &* אָמַן *Aman Credidit.*

[y] *in Constantinopolitana sedit Macedonius, Nestorius, Sergius. in Alexandrina Georgius, & Lucius Ariani, Dioscorus, Eutychianus. in Antiochena, Paulus Samosatenus. in Hierosoly. Ioannes Origenista, & ante eum Irenæus, & Hilarius Ariani.*

Secunda propositio.

Cap. IIII.

NEQVE *Romana particularis Ecclesia errare potest in fide.* sensus est, etsi vnusquisque cleri, ac populi Romani possit seorsim errare: tamen fieri non posse vt simul omnes errent: ita vt nulli sint qui adhæreãt summo Põtifici: Et quidẽ si hoc intelligatur persistente Romę Apostolic. sede verissima est propositio: PP.

enim solùm Romanũ Pontificem dicunt errare nõ posse, sed nec Ecclesiam Romanã. *Nauigare audent* (inquit [a] Cyprianus) *ad Petri cathedrã, & Ecclesiã principalẽ* &c. *nec cogitare eos Romanos, ad quos perfidia non potest habere accessum.* Nazia. carmine de vita sua [b] &c. Inter articulos Petri Oxoniẽsis dãnatos à Sixto 4. hic vnus erat: *Ecclesiã vrbis Romæ errare posse.* Si autẽ intelligatur nõ posse cathedram Petri separari à Roma, nõ erit adeò certa propositio, vt contraria sit erronea: est tamen probabilissima, & probatur. primò quia mansit Romæ sedes Apostolica tandiu, id est à Petro vsque nunc, non obstantibus [c] persecutionibus, & occasionibus recedẽdi. Et certè cùm Romani Pontif. per 70. annos Auinioni manserint cum Curia Romana, mirum est, si potest transferri sedes Apostolica, quare non mutauerint Romanum Episcopatum cum Auinionensi.

Secundò iussit [d] Petro Christus ex Antiochia Romæ transferre sedem, [e] Ambrosius refert Dominum voluisse vt Petrus Romę moreretur. Vtrumque [f] Leo docet. Quæ autem iubet fieri Deus mutari ab hominibus nequeunt. Dices ergo de fide erit quod solũ probabilissimum duximus, Resp. 1. Marcellum, & Leonẽ non definire hoc tanquam de fide, sed tantùm vt historiam narrare. 2. neque constare iussisse Dominum Petro vt Romæ sedem immobiliter collocaret.

[a] 1. *Epist.* 3.

[b] *Martinus V. in Bulla quam edidit, Concilio Constant. approbante, hæreticos haberi censuit eos qui de Sacramẽtis aut fidei articulis aliter sentiunt quã Rom. Ecclesia.*

[c] *tempore Ethnicorum Imperatorum, Gothorum sub Alarico, Genserico Totila & Longobardorum.*

[d] *teste B. Marcello Epist. ad Antiochenos.*

[e] *orat. de tradendis Basilicis.*

[f] *Serm. 1. de natali Apostol. Petri & Pauli.*

Tertia propositio & quarta.

CAP. V. & VI.

TERTIA [a] *Neque in præceptis morum quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, neque in rebus ad salutem necessarijs, vel per se bonis aut malis errare potest Papa.*

[a] CAP. V.

Primo quia alias tunc Ecclesia grauiter erraret, quomodo ergo diceretur Sancta, cum doceret malum: imò erraret in fide, nam aliquando teneretur aliquid credere licitum, aut bonum, cuius fides contrarium doceret.

Secundò, Deus defieeret Ecclesiæ suæ in necessariis: iussit enim obediri Pontifici, & Pontificem permitteret errare.

[b] Quarta, *Probabile est Papam & particularem personam hæreticum formaliter esse non posse.*

[b] CAP. VI.

Primò, quia id videtur requirere suauis dispositio prouidentiæ diuinæ: cum enim Papa semper veritatem ex cathedra docere debeat: quomodo id faciet (nisi violenter extorqueat Deus) si Papa fuerit hæreticus?

Secundò quia nullus adhuc Papa hæreticus fuit. Quod signum est esse non posse.

Soluuntur obiectiones.

CAP. VII.

PRIMA, [a] multi canones docent Pontificem iudicari non posse, nisi inueniatur à fide deuius. Ergo potest deuiare à fide.

[a] *Can. si Papa dist. 40. Concil. V sub Symmacho & generali 8. act. 7. Anacleto epist. 3.*

Resp. non velle dicere hos can. Pontificem etiam vt priua-

tam personam errare posse, sed tãtùm non posse iudicari Pontificem: quia verò non est omnino euidens an possit hæreticus esse necne, ideò ad maiorem cautelam additum, *nisi fiat hæreticus.*

Secunda, si infallibiliter Papa potest definire dogmata fidei. Ergo Concilia frustra. Negatur conseq. sunt enim vtilissima, & sæpè necessaria vt finis controuersijs imponatur, & seruentur decreta fidei. quando enim non congregatur Concilium: nonnulli ignorantiam decretorum prætexunt, alij conqueruntur non fuisse vocatos: alij apertè dicunt Papam errare posse.

Tertia, sequeretur esse hæreticos vel saltem læthali errore teneri, qui pertinaciter aliquid assererent contra definitionem Pontificis Romani: cuius contrarium patet in Cypriano qui nec quidem peccauit mortaliter, cum inter martyres colatur.

Resp. 1: non esse hæreticum, nisi pertinaciter asserat aut neget aliquid cõtrarium definitioni de fide: non est autem definitio de fide Pontificem errare non posse. 2. etsi Stephanus contra Cyprianum iusserit non rebaptizari hæreticos, & contrauenientes iudicauerit excommucandos: nullum tamen edidit hac de re decretum. Si autem [b] venialiter tantum peccauit Cyprianus, quod res non esset definita de fide, & arbitraretur probabiliter se rectè sentire, martyrium deleuit peccatum. si mortaliter quia non obediebat in re graui suo pastori, imò eum conuitijs lacessebat (si verba eius sint quæ habetur in epist. ad Pompeium) credendum est [c] mutasse sententiam suam, ante mortem.

[b] *vt sentit Aug. 1. contra Donatist. 18.*

[c] *ita Aug. epist. 48.*

Quarta Concil. Africanum, epist. ad Cælestinum, asseruit minus posse errare Concil. Prouinciale in Iudicio, quam Romanum Pontificem.

Respondeo 1. hanc epistolam non fuisse con-

firmatam à Leone: respondeo 1. loqui de Iudicio facti, non fidei.

[d] Quinta, potest. Rom. Pontifex incidere in Auaritiam. Superbiam, &c. Ergo & in hæresim, negatur conseq. Quia ne incidat in hæresim habet speciale & perpetuum priuilegium à Deo, non autem ne in alia peccata.

[d] *est Nili in suo lib. de Primatu.*

De erroribus falsò ascriptis Lino, Anacleto, Telesphoro, Victori, Zepherino, Vrbano, Pontiano, Cornelio, Marcellino, Pontificibus Romanis.

CAP. VIII.

SANCTO Petro errores equidem ascribunt: sed de iis [a] alibi egimus. [b] Lino verò, quòd iusserit ne fœminæ in Ecclesiam ingrederentur: nisi capite linteis cooperto. Sed si errauit ergo & Paulus [c] cum eo.

[d] Anacleto, quòd memoriam S. Petri construxerit, atque ornauerit. Stulta reprehensio. Telesphoro, quòd mandauerit clericis iciunare 7. hebdomadibus ante Pascha: cùm scriptum sit: [e] *Nemo vos iudicet in cibo, & potu.* Missas ac earum auxerit ritum, & alligauerit ad tempus certum: cùm Cœna Domini, non sit instituta propter numerum, aut cæremonias, aut tempus. Euexerit denique nimium clericorum dignitatem supra plebeiam: cùm scriptum sit: [f] *Omnes vos vnum estis in Christo.*

Sed non satis probant hæc errores esse. Paulus enim Colos. 2. non loquitur de abstinentia ad edomandam corporis petulantiam, sed de Iudaica: quæ vmbra futurorum erat: vt patet ex sequentibus: *aut in parte festi dici aut neomeniæ aut*

[a] *in prærogatiuis Sancti Petri.*

[b] *Magdeb. Cent. 1. lib. 2. cap 10. col. 627.*

[c] *1. Corinth. 11. v. 6.*

[d] *Magd. sup. cap. 10. col. 628.*

[e] *Coloss. 2. v. 18.*

[f] *Galat. 3. v. 28.* πάντες ὑμεῖς εἷς ἐστε ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

sabbathorum. Propter numerum, &c. non est Domini Cæna instituta, sed numerus, ritus, &c. propter eam, vt ordo in Ecclesia Dei vbique seruetur. Ita demum Apostolus ait, nos vnum, g vt intelligat sicut vnum sunt inter se vnius corporis membra: quæ certe non sunt perfectionis æqualis.

g *Corinth. 1. cap. 12. v. 12.*

Victori quod à quibusdam Hæreticis infamatus fuerit, credidisse Christum, esse purum hominem, apud Euseb. 5. histor. 27. Sed ibid. Euseb. ait Principem eius hæreseos Theodotum fuisse excommunicatum à Victore.

Zephirino, quòd hæresim Montani approbarit. Scribit enim h Tertullianus R. Pontificem, agnoscentem prophetias Montani, & propterea Ecclesijs Asiæ, & Phrygiæ literas pacis emittentem, à Praxea persuasum reuocasse, constat autem tunc temporis Romæ Zephirinum sedisse.

h *lib. contra Praxeam.*

Sed non est hâc in parte omnino credendum Tertulliano Montanistæ, verisimile tamen est Zepherinum voluisse pacem Montanistis reddere persuasum ab eis doctrinam Montani non esse diuersam à doctrinâ Ecclesiæ Romanæ: non quod probaret hæresim quam prædecessores eius damnauerant, sed crederet Montanistas falsò hac de hæresi accusatos.

Vrbanum reprehendunt, quòd instituerit Confirmationem, post Baptismum, ac in ea accipi Spiritum sanctum, & Christianos planè fieri dixerit. Sed de Cõfirm. i aliàs: interim mentiuntur contra seipsos Magdeburg. cùm aiunt Vrbanum instituisse Confirmationem. Nam k fatentur Tertullianum vnctionis, & signi Crucis post Baptismum necessarij meminisse: fuit autem antiquior Vrbano, vixit enim tempore Seueri, & filij eius Antonini. Pontianum, scripsisse Sacerdotes, proprio ore corpus De-

i *tom. 3.*

k *Centuria 3. Cap. 10. col. 277.*

mini conficere, populis tradere, ac per illos Deum, hostias aliorum acceptare, & reconciliari. Sed nondum probarunt Centuriastæ in his aliquem errorem: cum similia habeant [l] Hierony. [m] August. [n] Chrysost. [o] Cornelium, docuisse solam aquam esse offerendam in calice Domini, quia Cyprianus 2. Epist. 3. ad Cornelium, multa disputat contra hunc errorem. Sed 1. hæc Epistola non est ad Cornelium, sed ad Cæcilium Africanum Episcopum. 2. nec dicit Cyprianus hunc errorem esse illius, ad quem scribit.

Marcellinũ sacrificasse idolis. Sed neque propterea fuit Hæreticus, aut docuit contra fidem aliquid: cùm tantum metu mortis id egerit. Quod cum satis omnibus constaret, propterea non videtur subinde excidisse à Pontificatu: quamuis nihilominus se sponte abdicauerit.

[l] *epist. ad Heliodorum Absit vt de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui.*

[m] *3. lib. de sacerdotio succedentes Christi corpus Sacro ore conficiunt.*

[n] *Epist. 122. Nec istæ (fœminæ captiuæ inter Barbaros) possunt vel offerre oblationem ad altare Dei, vel inuenire ibi Sacerdotem, per quem offerant Deo.*

[o] *3. de Sacerdotio. Nostris Sacerdotibus non corporis Lepram, sed animæ sordes non dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum est.*

De Liberio & Felice.

CAP. IX.

ILMANNVS [a] Heshusius audacter affirmat hos Pontifices hæresi infectos. Cæterum de Liberio certum est: & [b] ante, & [c] post exilium semper orthodoxũ, ac pium fuisse. An verò exilij tempore, de constantia suâ aliquid remiserit, est controuersia. Negant [d] Sulpitius, [e] Socrates, [f] Sozomen.

[a] *ita Magdeburg. Centur. 3. cap. 6. colum. 145. & cap. 7. colum. 165.*

[b] *ita Ammianus li. 1. de Ecclesiâ 9.*

Marcellinus lib. 15. histor. Anath. in vtraque Apolog. Ruffin. 10. hist. 11. Theodor. 2 cap. 16. & 17. [c] *Socrates 4. c. 11. & Ambros. 3. de Virginib. in principio. Epiph. hæres. 75. Basil. epist. 74. Syricius ep. ad Hymericum, vocarunt Liberium post mortem Sanctum & Beatum.*

[d] *2. Sacræ histor.* [e] *2. c. 29.* [f] *4. c. 10.*

g 9.c.35.36.& 37.
h *epist.ad solitariã vitam agentes.*
i *in Catalogo scriptorum in fortunatiano.*
k *lib. aduers. Constantium.*
l *teste Sozom.& Niceph.sup.*

g Nicephor. Affirmant k Athanas. l Hierony.
k Hylarius: quod probabilius est. Extant siquidem in Vaticanâ bibliotheca Liberij manuscriptæ epistolæ, in quibus satis apertè significabat se tãdem Imperatoris voluntati aquiescere voluisse. Non tamen hæresim docuit, aut hæreticus fuit. Si quidem, quia Ariani falsum sparserant rumorem, Liberium cæpisse docere, filium non esse Patri consubstantialem, l edidit, antequam Syrmio discederet, confessionem in qua excommunicabat apertè negantes Filium, Patri in substantiâ similem. Sed tantùm peccauit actu externo. Tùm quia subscripsit damnationi Athanasij, non tanquam fidei defensoris, sed vt multis criminibus (quamuis fictis) ab Arianis accusati. Tùm quia communicauit cum Valente, & Vrsacio Arianis: quamuis se catholicos simularent. Et quia inde videbatur explicitè damnari fides: propterea Hierony. dixit Liberium ad subscriptionem hæreseos inflexum tandem fuisse.

m *teste Hiero. in Chronico. Illa enim verba: quo in exilium truso, omnes Clerici iurauerunt, &c. posita an. 351. debent poni post illa: Liberius Episcopus Romanorum in exilium mittitur, quæ habentur an. 361.*
o *Ruffin. 10. histor. 22. & Theodor. 2. histor. 17.*
p *Hieron. in Acacio.*
q *sup.*

De Fœlice hæc est historia, Liberio in exiliũ ob fidem pulso, m iurauit Clerus Roman. nullum se alium, viuo Liberio, in Pontificem admissurum. Nihilominus q opera Arianorum, & præcipuè p Acacij Cæsarien. Episcopi creatur in Liberij locum. Fœlix Diaconus Rom. qui licet Arianus non esset, vt testantur q Ruffin. & Theodor. tamen liberè cum Arianis communicabat. *Propterea* (inquit Theodor.) *nemo ex Romæ habitatoribus in Ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit.* Post biennium autem succesit lapsus Liberij: tunc Roman. Clerus, abrogata Liberio Põtificiâ dignitate, (quòd haberetur tanquam hæreticus, vt qui pacem cum hæreticis fecisset) totus ad Fœlicem se contulit, non seruato iuramento: Atque ex eo tempore cœpit Fœlix verus esse Pontifex, ita in fide solidatus vt non solùm receserit à communione Aria-

norum, ſed etiam coacto Concil. declarauerit Imperatorem Conſtantium, & Epiſcopos Vrſacium & Valentem verè Hæreticos propterea redeunte Liberio in vrbem, Fælix cum ſuis, ab Arianis eiectus non diu poſt martyr expirauit. Poſt lapſum ergo Liberij Fælicem fuiſſe legitimum Papam, probatur.

Primò teſtimonio authoris Pontificalis in Fælice. 2. quia omnia Martyrologia ponunt memoriam ſancti Fælicis ſecundi Papæ, & martyris, qui Conſtantium Hæreticum declarauit: quem Fælicem eſſe eum de quo agimus, hinc patet, quòd atauus B. Gregorij, nequeat dici Fælix 4. ab authoribus, niſi iſte Fælix, fuerit ſecundus. Non enim ſunt niſi duo Fælices præter hunc noſtrum, ante Fælicem 4. Tertiò quia Gregor. 1 ponit integrum officium Eccleſiaſticum legendum ad Miſſam, in die S. Fælicis Pontificis, & martyris, quem eſſe hunc noſtrum [r] Micrologus teſtatur. 5. cum Romæ hâc de re [s] ambigeretur, inuenta eſt. 28. Iulij (id eſt pridie feſti eiuſdem Fælicis, quarto Kalend. Auguſti) caſu, arca marmorea in Baſilica SS. Coſmæ, & Damiani cum hac inſcriptione inciſa marmori antiquis caracteribus: *Hic iacet Corpus Sancti Fælicis Papæ, & Martyris, qui Conſtantium Hæreticum damnauit.* Iam verò mortuo Fælice, Liberius iterum ſibi conciliauit R. Clerum & Catholicum præſulem ſe præſtitit.

[r] *lib. Eccleſ. obſeruationum cap. 43.*
[s] *an. 1582.*

Obiicitur Hierony. in Acacio. *In tantum* (inquit) *ſub Conſtantio Imperatore claruit, vt in Liberij locum Romæ Fælicem Arianum Epiſcopum cõſtitueret.*

R. 1. Vocem hanc, Arianũ, irrepſiſſe videri. ſi quidem codices antiqui manuſcripti illam non habent vt notauit Marianus [t] Victorinus, nec tranſlatio Sophronij in Græcum, nec [v] Ado viẽnenſ. & [x] Freculphus referentes ad verbum hũc totum Hierony. locum. 2. Eo tempore Fælicẽ fuiſſe ſchiſmaticũ Papam: nec enim duo ſimul

[t] *in hunc locum Hieronym.*
[u] *in Chronico.*
[x] *4. cap. 8.*

sedere poterāt. Viuebat autem Liberius verus adhuc Pontifex. Quare etsi Fœlix tunc Arianus fuisset, nihil obesset Pontifici Romano.

Post Fœlicem 2. quemdam Leonem Papam nonnulli ponunt, Arianum planè, & qui instar Arij perierit vt refert Vincent.[y] in speculo. Verùm hoc totum est fictitium. Nam constat Leonem 1. fuisse, qui sedit tempore Concilij Chalced. annis 100. post Fœlicem 2. Et omnes veteres Scriptores ac recentiores post Fœlicem 2. substituunt Damasum.

[y] *lib. 14. c. 23.*

De alijs septem Pontificibus.

CAP. X.

SIRICIVM [a] accusat Caluinus quòd epistola ad Hispanos vocauerit coniugium pollutionem. Sed loquitur Siricius de illicitâ coniunctione eorum, qui post peractam publicam pœnitētiam, iterum ad eam redeunt. Nemo enim pœnitentiam agit pro legitimo matrimonio.

[a] *4. Inst. 12. §. 24.*

Innocentium 1. [b] errasse. 1. quia [c] præcepit ne sacra virgo iam velatā, si nupserit, aut fornicata sit recipiatur ad pœnitentiam, donec vixerit ille, cum quo peccauit. [d] 2. esse ratum Arianorum Baptisma, sed non conferri, per eos Spiritum sanctum quia se ab Ecclesia separarunt. Videtur enim velle efficaciam Sacramentorum pendere à bonitate ministri 3. [e] sacerdotem eum esse non posse, qui viduam duxerit: eo quod Moses in Leuitico præcipiat sacerdoti virginem in vxorem accipere: quasi Christiani teneantur legibus iudicialibus Testam. veteris.

[b] *ita Magd. Cent. 5. cap. 10.*
[c] *Epist. 2.*
[d] *Epist. 18.*
[e] *Epist. 22. c. 1.*

Ad 1. loqui Innocentium de virginibus nolentibus ab adultero separari.

Ad 2. loqui de hæreticis qui ab hæreticis baptizantur. Etsi enim verè Baptisma suscipiãt, non tamen gratiam Dei.

Ad 3. tantùm velle argumentari à simili, vel potius à maiori nimirum: non licebat sacerdotibus antiquis viduam accipere vxorem. Ergo multo minus sacerdotibus nouæ legis.

Cœlestinum, fuisse Nestorianum asserit [f] Valla. Sed deceptus est æquiuocatione nominis. Fuit enim quidam Cælestinus Pelagianus, quædam communia cum Nestorianis habens. At Cælestinus Papa [g] ipse est qui Nestorianos damnauit.

[f] *in declamatione de falsa donat. Constantini.*

[g] *apud Prosperum in Chronico an. 431.*

Leonem primum peccasse. 1. quia [h] docuit mulieres quę, putantes maritos suos defunctos, aut nusquam ex captiuitate redituros, nupserint alijs, non peccasse. 2. si mariti redeant, & velint eas in coniugium recipere teneri mulieres obedire, si nolint non teneri.

[h] *Epist. 79.*

Ad 1. loqui tantùm de mulire quæ nupsit, credens maritum esse mortuum: vt ipsemet explicat. de illa verò quæ putat nusquam redituru maritum nihil dixit dumtaxat, quòd existimaret rem per se notam, alteri non posse nubere.

Ad 2. sensum esse, si alter coniugum, velit redire ad coniugium, teneri alterum parêre: hâc enim in parte vir & mulier sunt pares: si nolint ambo, posse separatos manere, quoad vsum coniugij. non posse tamen mulierem manere cum secundo viro. Nam idem Leo ibidem docet, primum matrimonium indissolubile esse.

Gelasium docuisse. 1. in libro contra Eutychen manere in Sacramento verum panem cum carne Christi. 2. [i] non posse sine sacrilegio sumi vnam partem Sacramenti Eucharistiæ, sine alterâ: inde enim sequitur nunc omnes laïcos fideles peccare.

[i] *apud Grat. de consecr. d. 2. can. Comperimus.*

Ad 1. hunc librum non esse Gelasij Papæ, sed vel [k] Gennadij, vel [l] Gelasij Cæsarienſis Epi-

[k] *Qui librum eiusdem tituli scripsit ad Gelasium Papam.*

[l] *De quo Hieron. circa finem catalogi scriptorum.*

ſcopi. hic enim exiguus eſt liber. At Gelaſius Papa quinque contra Eutychen ſcripſit. Deinde author hic pollicetur ſe ferè omnium veterum ſententias collecturum de Incarnatione Domini, & tamen duos tantum ex Latinis profert Ambroſ. & Damaſum: videtur enim inde colligi, fuiſſe authorem Græcum. Ad 2. loqui de ſacerdote ſacrificante.

m *in refutatione deliriorum hæreticorum lib. 3. de ſummo Pontifice à cap. 18.*

De Anaſtaſio. 2. [m] diximus ſupr. Sed addunt [n] ex Gratiano approbaſſe ordines collatos ab Acacio, quem damnauerant Fœlix, & Gelaſius. Verum quis Catholicorũ ignorat ordines collatos ab hæretico, verè Epiſcopo ratos eſſe?

n *d. 19. can. Anaſtaſ.*

Vigilium, apud [o] Liberatum confirmaſſe hæreſim Monothelitarum epiſtolâ ſcriptâ ad Theodoram Imperatricem.

o *cap. 22.*

Reſp. id feciſſe cum Pſeudopapa tantùm eſſet. Anthemio ſiquidem depoſito, ab Agapeto Papa, petijt Imperatrix Theodora à Syluerio Agapeti ſucceſſore, vt reſtitueret Anthemium in ſuam ſedem Conſtantinopolitanam; ſed paſſa repulſam. Vigilius tunc Archidiaconus, Theodoræ promiſit ſe reuocaturum Anthemium, ſi Vigilius ipſe fieret ſummus Pontifex: ſtatim ergo Beliſarii operâ in exilium Syluerius pellitur, & Vigilius Antipapa ſedet: quo tempore illam epiſtolam, equidem Chriſtiano indignam, ſcripſit, ſed occultè propter cupiditatem præſidendi vt Liberatus ait. Cæterum paulò poſt, Syluerio mortuo, incœpit Vigilius eſſe legitimus Papa, nimirum eum recipiente Romano clero.

Tunc Imperatrix freta occultis Vigilij literis, ab eo petit, vt Anthemium reſtituat. At ille, ſe temerè quidem promiſiſſe reſpondit, ac propterea grauiter peccaſſe. Verùm nec poſſe, nec velle implere quod promiſerat. [p] Quare ab irata Imperatrice miſſus in exilium miſerè vexatus eſt vſque ad mortem.

p *Paulus Diacon. in Iuſtiniano Aimoinus 2. cap. 32. de geſtis Francor. Magdeb. Centur. 6. cap. 10. in Vigilio.*

Gregor. 1. reprehendit [q] Durandus, quòd conceſſerit

q *in 4. d. 7. q. 4.*

ceſſerit preſbyteris conferre Sacramẽtum Confirmationis. hoc enim tantùm Epiſcopis licitum eſt.

Reſp. 1. potius errare Durandum. Nam Concil.[r] Florẽtinum docet confirmationis ordinarium miniſtrum eſſe Epiſcopum. Ex quo ſequitur extraordinarium poſſe nõ Epiſcopum eſſe. 2. Gregorius nullum decretum hâc de re edidit ſed ſolùm conceſſit quibuſdam preſbyteris, vt abſentibus Epiſcopis confirmarent.

Bonifacium quintũ,[s] docuiſſe fingunt[t] Magdeb. nos Chriſtum à ſolo originali peccato liberaſſe. Illud enim, *ſolo*, de ſuo addiderunt.

[r] *in Inſtruct. Armenor. & Trident. ſeſſ. 7. can. vltimo.*

[s] *Epiſt. ad Eduinũ Reg. Anglor. apud Bedam 2. hiſt. Ang. 10.*

[t] *Centur. 7. cap. 10.*

De Honorio primo.

CAP. XI.

HONORIVM Monothelitam fuiſſe multi[a] probant. Primò, quia extant eius epiſtolæ ad Sergium duæ, in quibus approbat doctrinã Sergij ac dici prohibet in Chriſto duas voluntates.

Secundò, [b] in 6. Synodo damnatur, & comburuntur eius Epiſt. [c] In 7. & ab [d] Agathone, ac [e] Leone 2. vt hæreticus anathematizatur. [f] In 8. probatur Epiſtola Concilij Rom. ſub Adriano 2. quâ aſſeritur fuiſſe iudicatum Honorium poſt mortem à Concilio 6. quia de hæreſi accuſatus fuerat.

Tertiò, Tharaſ. [g] Epiſt. ad Patriarchas, Theodorus Hieroſoly. [h] Epiſt. Synodicâ, Epiphanius Diaconus [i] diſputatione cum Gregorio hæretico, & [k] Pſellus, Honorium fuiſſe hæreticum docent.

At pro Honorio ſcripſerunt [l] Albert. Pi-

[a] *Centuriaſtæ Cẽt. 7. cap. 10. & 11. col. 553. Et Melchior Canus 6. de locis c. vlt.*

[b] *Act. 13.*

[c] *Act. vlt.*

[d] *Epiſt. ad Conſtantinum Imperatorem, quæ habetur in 6 Syno. act. 4.*

[e] *Epiſt. ad eund. Imper.*

[f] *Act. 7.*

[g] *Quæ habetur in 7. Syno. act. 3.*

[h] *Quæ habetur in eadem Synod. act. 3.*

[i] *in 7. Synod. act. 6.*

[k] *carmine de 7. Synodo.*

[l] *4. Hierar. Eccl. 8.*

chius, [m] Hosius, [n] Ioannes à Louanio, & [o] Onuphrius, quarum rationes patebũt ex argumentorum solutione contrariorum.

Ad primum resp. 1. fortasse huiusmodi Epist. confictas, constat enim deprehensum fuisse in 6. [p] Synodo fuisse insertas Synodo quintæ fictitias quasdam Epistolas Vigilij Papæ, & Mennæ patriarchæ 2. in Epist. Honorij nullum contineri errorem. In his enim, quo ad rem confitetur duas voluntates in Christo, & operationes, ac solùm prohibet nomina vnius, vel duarum voluntatum, quæ tunc inaudita erant: idque prudentissimo consilio. Tunc enim primùm Cyrus Alexandrinus cæperat prædicare vnam in Christo operationem, è contrario Sophronius duas. Retulit Cyrus hanc contentionem ad Sergium Constantinop. Episcop. & vterque ad Honorium. Qui metuens id quod postea euenit, ne ista contentio in graue crescceret schisma, & simul intelligens, sine his vocibus saluari fidem, voluit vtramque opinionem conciliare, ac simul tollere de medio scandali, atque contentionis materiam. Itaque in epistolà 1. scripsit debere abstineri à vocabulo huius operationis, ne videamur cum Eutychianis vnã ponere naturam in Christo: & rursum à duarum operationũ vocabulo, nec videamur cum Nestorio duas ponere personas. Quod autem disertis verbis ait, *Vnde & vnam voluntatem fatemur Domini nostri Iesu Christi.* Intelligendũ est ratione humanitatis in quà non erant duæ voluntates contrariæ, vt planum est ex ratione quam reddit, *quia* (inquit) *profectò à diuinitate assumpta est nostra natura, non culpa illa profectò, quæ ante peccatum creata est, non quæ per præuaricationem vitiata.* quæ ratio nulla est ad probandam in Christo vnam voluntatem respectu vtriusque naturæ: optima vero ad probandum non fuisse in humanitate contrarias voluntates.

[m] 2. *contra Brentium.*
[n] *lib. de perpetuâ cathedræ Petri protectione c.* 11.
[o] *Annot. ad Platinam in Honorio.*
[p] *act.* 12. & 14. *dum relegerentur acta V. Synodi.*

Planum etiam ex Secretario ipsius Honorij quem testatur [q] Maximus Honorij contemporaneus asseruisse in epist. ad Constantinum Imperatorem loqui tantum Honorium de naturâ humanâ in Christo.

[q] *Dialogo contrà Pyrrhum Sergij successorem.*

Ad 2. Insertum fuisse ab æmulis Romanæ Ecclesiæ nomen Honorij inter hæreticos, in 6. Synodo. sicut erat consuetudo Græcorum vitiare libros, teste Nicolao 1. epistola ad Michaëlem. Nam non poterat damnare Concilium ipsum Honorium tanquam hæreticum nisi sibi contradiceret: approbauit [r] enim vt à sancto Petro dictatam Agathonis epistolam in quâ asserit Agatho, suos prædecessores, inter quos Honorius erat, semper restitisse hæresibus, & confirmasse fratres in fide, quod idem constanter profitetur Nicolaus primus. Vnde patet resp. ad testimonium ex [s] Agathone. Quare in Cõcilio Rom. sub Martino 1. Papa, & martyre. ante 6. Synodum, damnantur quidem Monothelite Sergius, Cyrus, Pyrrhus & Paulus, sed nulla fit Honorij mentio. Deinde etsi Concil. 6. damnasset Honorium: id factum ex falsa informatione, ac proinde errasse in quæstione de facto. Nam certe ipsæ Epistolæ Honorij sensum Catholicum habent, quo non satis intellecto, & rumoribus falsis inflexo, Concilium iudicauit Honorium vt hæreticum. Non tamen reclamarunt Agathonis Legati, ne impediretur definitio rectæ fidei, nec posset tolli schisma quod annis 60. durauerat. Leonis epistola videtur falsata à quibus falsatum Concil. 6. siquidem est pars quædam Concilij illius, vel certè sequutus est Leo Iudicium Legatorum Agathonis, ne disturbaret negotium iam confectum. Septima Synodus sequuta est sextam, & proinde decepta ex 6. corruptâ, vel quæ per errorem damnauerat Honorium. Arianus non apertè dicit Honorium hæreticum, sed ei dictum fuisse

[r] *Act. 8. & 18.*

[s] *qui nusquam dixit Anathema Honorio.*

anathema ab Orientalibus: non auſis ſententiam proferre ſine conſenſu Occidentalium: niſi dicas deceptum Adrianum ex corruptis exemplaribus Synodi 6.

Ad 3. opponuntur authores authoribus, [t] Maximum, [v] Epiphanem Iſaurum, [v] Emanuëlem Callecam, [y] Photium, [z] Zonaram, Paulum Diaconum Anaſtaſius biblioth. [a] Blondum Nauclerum, Sabellicum Platinam, imò, quidquid dicat [b] Canus, & Bedam. Nam quod in libro de 6. ætatib. Honorij nomen habeatur inter damnatos hæretic. in 6. Synodo, videtur additum, ſiquidem Beda Honorium pro ſancto viro [c] habuit.

[t] *ſup.*
[v] *in hiſtoria ſua.*
[x] *in libro pro Latinis contra Græcos.*
[y] *Libro de 7. Synodis.*
[z] *in Conſtantino 4.*
[a] *9. Decadis. 1.*
[b] *6. de locis.*
[c] *2. hiſt. Angl. 17. 18. 19.*

De alijs ſeptem.

Cap. XII.

MARTINVM 1. [a] arguunt quod negauerit [b] veniam dandam Preſbyteris, ac Diaconis poſt ordinationem ſuam peccantib. Sed loquitur tantùm de reſtitutione ad miniſteria ſacra, non autem de peccatorum veniâ.

Gregorium 3. peccaſſe 1. quòd [c] iuſſerit iterum conſecrandos, ordinatos ab alijs, quam Miſſis à Pontifice Romano. Sed hoc mendacium eſt: ſolum enim iubet iterum conſecrari, ordinatos à non veris Epiſcopis 2. [d] quod permiſerit viro; aliam ducere vxorem ſi propria ob morbum nequeat reddere debitum coniugalè. Reſpondeo loqui de impotentia naturali & perpetua. Matrimonia ſiquidem quæ ſtante hac impotentia contrahuntur nulla ſunt. Quod autem addidit debere virum, priorem vxorem alere: non præceptum, ſed conſilium eſt.

Nicolaum 1. [e] docuiſſe Baptiſmum in no-

[a] *Magd. Cent. 7. cap. 20.*
[b] *Epiſt. ad Amandum.*
[c] *Epiſt. ad Bonifacium.*
[d] *aliâ epiſt. ad Bonifacium.*
[e] *vt refertur de cõſecr. d. 4. can. A quodam Iudæo.*

mine Christi collatum ratum esse, cuius contrarium asseruit [f] Gelasius Papa & definiuit Concilium quoddam Anglicanum à Zachariâ confirmatum, qui Nicolaum præcessit vt patet ex can. *In Synodo.*

[f] *ead. dist. 4. can. multi & 1. can. in Synodo.*

Respondeo 1. Nicol. id dixisse non definiendo, vt Papam, sed exponendo vt doctorem particularem, opinionem suam. Quòd enim docere intendebat in can. *A quodam Iudæo*, non erat de forma Baptismi, sed tantùm de ministro. Quare cum respondisset definiendo, Baptisma esse ratum etiamsi à Iudæo, vel pagano detur: addidit obiter etiam esse ratum si in nomine solius Christi detur 2. etsi hæc sententia sit falsa, non tamen hæreticam esse. Nam Pelagius non definit quidquam, sed solum vt doctor suam explicat opinionem, ille verò canon *In Synodo*, videtur suspectus: citat enim Gratianus Epistolam Zachariæ ad Bonifacium: in qua tamen non habentur hæc verba canonis, nec meminit Beda huius Concilij Anglicani, cum tamen tempore Zachariæ vixerit: imo sententiam Nicolai (quæ etiam Sancti Ambrosij est) de Baptismi forma, [g] sequitur. Sed quamuis illud Concilium hoc definiuisset, non tamen explicauit num sit necessarium exprimere tres personas Trinitatis, necne, adde Zachariam dici laudasse quidem hoc Concilium, at confirmasse eius acta non legitur.

[g] *in 10. Actor.*

Stephanum 6. irritasse acta Formosi ac iussisse iterum ordinari ordinatos ab illo: quod factum probauit etiam Sergius 3.

Respondeo historiam ita se habere Formosus Cardinalis & Episcopus Portuensis à Ioanne 8. depositus, ac degradatus, discessit ex vrbe, iurauitque numquam se ad vrbem, vel Episcopatum rediturum. Mortuo Ioanne, successor eius Martinus 2. absoluit Formosum à iuramento, & dignitati restituit pristinæ, non diu

poſt idem Formoſus Papa creatur: vixitque annis 5. cui ſucceſſit Stephanus 6. qui odio in Formoſum, publico Epiſcoporum Concilio decreuit (vel neſciens, vel non credens abſolutum à iuramento Formoſum) illum nuſquam fuiſſe Pontificem legitimum, irritauit acta eius, & iuſſit ordinatos ab eo, rurſus ordinari. Diſplicuit hoc factum omnibus, ideò tres Pontifices ordine ſuccedentes Romanus 1. Theodorus 2. & Ioan. 9. conuocato alio Epiſcopali Concilio ſententiam Stephani irritauerunt. Nihilominus Sergius qui poſtea ſucceſſit, in omnibus Stephanum 6. imitatus eſt. Quare præcipua quæſtio fuit, an Formoſus extitiſſet Papa legitimus. In his autem quæſtionibus non negamus Papam errare poſſe: quod autem iuſſi ſint iterum ordinari ordinati, non factum eſt vi alicuius editi decreti, quo decerneretur ordinatos ab Epiſcopo degradato, iterum ordinãdos eſſe: ſed odio tantum in Formoſum[a] [h] reclamantibus penè omnibus.

[h] *teſte Sigiberto in Chronico an. 903.*

Ioannem 13. iuxta alios 14. cæpiſſe baptizare Campanas. Sed ſi de re loquuntur [i] Magdebur. mentiuntur: non enim baptizantur Campanæ, ſed tantum benedicuntur: ſi de nomine, ſciant à vulgo impoſitum fuiſſe: quod vident Campanas aſpergi aqua benedicta, & eis imponi nomina, vt interdignoſcantur.

[i] *Centur. 10. cap. 6. col. 294.*

Sylueſtrum 2. fuiſſe magum, & à diabolo diſcerptum in templo ſanctæ Crucis ad Hieruſalem, vt refert Martinus Polonus. Sed hoc mendacium eſt. nam nullus author vetuſtus probatæ fidei hoc pro certo affirmat. Et Sergius 4. vir ſanctus ac in ſede quinque annis tãtùm poſterior Sylueſtro 2. illius ſepulchrum in epitaphio laudibus ornauit. Locũ dedit fabulæ fortaſsè peritia eximia Sylueſtri in Geometria, & ſæculum obſcurum, in quo ipſe vixit.

De Gregorio ſeptimo.

CAP. XIII.

GREGORIVM 7. teſtimonio Benonis qui eo tempore vixit. 1. Inuaſiſſe Pontificatum pecuniis & armis, nullo ſubſcribente Cardinali. 2. inſontem Hericum quartum excommunicaſſe. 3. Hæreticum Berengarianum fuiſſe. 4. omnibus denique ſceleribus coopertum affirmant.

Reſp. non eſſe huic Benoni fidem aſcribendum, tùm quia fuit Pſeudo Cardinalis, creatus contra Gregorium ab Antipapa Clemente tertio, tùm quod alij authores contrarium dicant. De primo Sanct. [a] Anſelmus Epiſcopus Lucenſis: *vt ergo* (inquit) *de B. Gregorio patre noſtro dicam, quod de Cornelio ſcripſit B. Cyprianus, factus eſt Epiſcopus Dei & Chriſti eius Iudicio, de clericorum penè omnium, & (vt verius dicam) omnino omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc aderat ſuffragio* &c. Vide etiam formam electionis eius in Platina.

De ſecundo: [b] Stephanus Epiſcop. Halberſtatenſis *Dominus Henricus, quem regem dicunt, Epiſcopatus & Abbatias vendit* &c. *Quæ ſi impudenter negare volueris, teſte cælo, teſte terrâ omnes etiam à furno redeuntes ſcioli. Concludent hoc: Dominus Héricus hæreticus eſt. Pro quibus nefandis malis ab Apoſtolicâ ſede excommunicatus, nec poteſtatem aliquam ſuper nos, quia Catholici ſumus, poterit exercere.* ſimilia [c] Marianus Scotus [d] Dodechinus, [e] Anſelmus Cantuarienſis, Lambertus Schaffrabur-

[a] *Qui tunc viuebat in Epiſt. ad Guibertum dictum Clem. 3. Antipapam.*

[b] *Illo ipſo tempore Epiſt. ad Walramum Epiſcopum, teſte Dodechino in additione ad Marianum Scotum, anno* 1090. *& Trithemio in Chronico.*

[c] *in Chronico an.* 1075.

[d] *an.* 1106. *Henricum hominem peruerſum & iuſto iudicio ab Eccleſia electum conſtat manifeſtè, vendidit enim omnia ſpiritualia.*

[e] *Epiſt. ad Walramum quæ præcedit librum de azimo.*

genſis, [f] Albertus Krantzius, [g] Abbas Vrſperg. Ioannes [h] Auentinus narrant, imò & [i] Caluinus.

De tertio: non ſolùm minimè fuit Gregorius Berengarianus ſed ipſe hæreſim Berengarij [k] damnauit.

Quantum ad quartum: honorificè de Gregorio loquuntur [l] Trithemius, [m] Odo Friſingenſis *forma* (inquit) *gregis factus quod verbo docuit, exemplo demonſtrauit, ac fortis per omnia athleta murũ ſe pro domo Domini ponere non timuit.* [n] Nauclerus, [o] Marianus Scotus, [p] Auentinus, & multi alij.

De cæteris Pontificibus.

CAP. XIIII.

ALEXANDRVM tertium. 1. [q] dixiſſe alienum à diuina lege eſſe & conſuetudine Eccleſiæ, requiri in teſtamentis plures teſtibus tribus, præcipitque ſub excommunicatione ne vllus reſcindat teſtamenta, cum tribus teſtibus facta. Cuius tamen contrarium orbis Chriſtianus obſeruat: cum minimè ſint rata teſtamenta, niſi adſint teſtes 7. [r] Secundo quoſdam prædeceſſores ſuos iudicaſſe matrimonium per verba de præſenti contractum, non tamen conſummatum dirimi poſſe per aliud matrimonium: ſe verò contrarium ſentire.

Ad 1. reſpond. ſolùm tradere legem ſibi ſubiectis in tẽporalibus & ſpiritualibus: vel ſi tradat omnibus Chriſtianis, id tantùm in cauſis piis, de quibus Eccleſia iudicat.

[f] 5. *Metrop. & 5. Saxoniæ.*
[g] *in Chro. ann.* 1068. *Hic finis, hic interitus, hæc ſors vltima Henrici, illo ſub vocabulo, 4. Romanor. Imperatorũ à ſuis appellati: à Catholicis verò*, id eſt, *cunctis B. Petrò ſuiſque ſucceſſoribus fidem & obedientiam lege Chriſtiana conſeruantibus Archipirita, ita ſimul, & hæreſiarcha necnon Apoſtata perſequutórque plus animarum quã corpo. competenter dicebatur.*
[h] 5. *Annalium Boiorum.*
[i] 4. *Inſtit.* 11. 9. 13.
[k] *teſte Guitmundo lib. 3. de Euchariſt.*
[l] *in Chronico.*
[m] 6. *hiſtor.* 34. *& krants.* 5. *Metrop.* 20.
[n] *generat.* 37.
[o] *in Chronico an.* 1075. *vixit tempore Greg.* 7.
[p] *ſup. p.* 563. *vide etiam Leonem Hoſtienſem circa an.* 1080. 3. *hiſt. Caſſinenſis Guillel. Tyrium circa eund. an.* 1. *de bello ſacro* 13.
[q] *cap. Cum eſſes.* [r] *cap. Licet de ſponſ. duorum.*

Ad 2. Alexandrum,& eius prædeceſſores nihil dum taxat definiuiſſe, ſed ſolum explicuiſſe, quid ſenſerint.

Cæleſtinum 3. docuiſſe ita ſolui per hæreſim matrimonium, vt liceat aliud iniri, cuius contrarium Innocent. 3. [s] docuit, & definiuit [t] Tridentinum Concil.

[s] *cap. Quanto de diuortiis.*

[t] *ſeſſ.24.can.5.*

Reſp. neque Cæleſt. neque Innocentium, hac de re definiuiſſe aliquid: cum enim Innocent. ait prædeceſſorem ſuum aliter ſenſiſſe, indicat totum in opinione fuiſſe. Nec refert Epiſtolam Cæleſtini fuiſſe aliquando inter decretales: multæ enim ſunt, quæ ſolùm nobis declarant Pontificum opinionem, nec tamen aliquid definiunt.

Innocent. 3. [u] dixiſſe: *Cùm Deuteronomium ſecundâ lex interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, vt quod ibi decernitur in Teſtamento nouo debeat obſeruari*, quod pugnat cum B. Petro Actor. 15.

[u] *Cap. per Venerabilem qui filij ſint legitimi.*

Reſp. nolle dicere Deuteronomiũ nunc ſeruandum eſſe ad literam: ſed tantùm quatenus quæ in eo dicebantur, figuræ noui erant Teſtamenti.

[x] *in cap. Exiit de verborum ſignificatione in 6.*

Nicolaum 4. [x] definiuiſſe Chriſtum verbo, & exemplo docuiſſe perfectam paupertatem, quæ conſiſtit in abdicatione omnium rerum, nullo ſibi dominio relicto, nec in particulari, nec in communi: ac proinde talem paupertatem eſſe meritoriam. Quod falſum & hæreticum eſſe docet [y] Ioan. 22.

[y] *in Extrauag. ſuis de verborum ſignificatione.*

Reſp. tres quæſt. tractari à Ioanne & Nicolao, primam, quæ non eſt de fide, cùm adhuc de hâc ſint variæ doctorum ſententiæ, *an in rebus vſu conſumptilibus poſſit ſeparari vſus à Domino*, [z] affirmat rectè 2. Nicolaus, negat Ioan. Secundã, *an paupertas quæ dominium omne remouet à ſe, ſit ſancta, & meritoria*, affirmat & bene Nicolaus, nihil tamen definiuit, videtur negare Ioannes. Tertiam, quæ ad fidem pertinet, *an Chriſtus*

[z] *Nam idem poſtea apertè docuit Clemens V. in Clementina: Exiui de paradiſo, & ratio manifeſta. Nam eſſe Dominum, non eſt rem poſſe deſtruere quocunque modo, ſed poſſe deſtruere quando vbi, quomodo &c. voluerit.*

aliquando perfectiſsimam illam paupertatem verbo & exemplo docuerit. Nicolaus affirmat aliquando eam obſeruaſſe, aliquando verò aliam minus rigidam exemplo demonſtraſſe. Ioannes verò non negauit equidem Chriſtum aliquando nihil habuiſſe proprij, nec in ſpeciali, nec in communi: ſed tantùm definit hæreticum eſſe aſſerere, ſemper talem vitam Chriſtum egiſſe: vnde patet hos Pontif. hac in re non pugnantia dicere.

Ioannem 22. 1. docuiſſe animas beatorum non viſuras Deum ante Reſurrectionem. 2. ſi [a] Caluino credatur, animas eſſe mortales, neminem Cardinalium huic ſe oppoſuiſſe, Regem Galliæ ſuaſu ſcholæ Pariſienſis coëgiſſe Papam ad Palinodiam, eumque excommunicaſſe nire-ſipiſceret, teſte Ioanne Gerſone qui eo tempore vixit.

[a] 4. *Inſtit.* 7. §. 28.

Ad 1. ita equidem ſenſiſſe, ſed cum nulla adhuc præceſſiſſet Eccleſiæ definitio. Voluit [b] Ioannes rem definire, ſed dum in conſultationibus verſaretur, obijt. Pridie [c] tamen mortis partim declarauit, partim ſuam reuocauit ſententiam.

[b] *vt Benedictus 12. ſucceſſor Ioannis teſtatur in extrauag. Benedictus Deus, quam refert Alphonſus à Caſtro 3. contra Hæreſes verbo. Beatitudo, ita teſtatur.*

[c] *Ioannes Villanus 11. hiſtor. 19.*

Ad 2. nihil tale haberi apud Gerſonem aut alios: nec Gerſonem eo vixiſſe tempore, natus [d] eſt enim anno 1363. [e] obijt verò Ioannes 1334.

[d] *teſte Trithemio de viris illuſtribus.*

[e] *teſte Villano ſup.*

Ioannem 23. negaſſe vitam futuram, & carnis reſurrectionem vt patet [f] ex Concilio Conſtantienſi.

[f] *ſeſſ. 11.*

Reſp. 1. tunc fuiſſe tres qui Pontifices haberi volebant, nec ſatis conſtare an Ioannes eſſet legitimus Pontifex. 2. falſò tribui hunc errorem Ioanni: ponitur quidem inter articulos, ſine teſtibus productos in eod. Concilio, verùm quia nullam probationem habebat, cum recitatur ſententia eiuſdem Ioannis definitiua ſeſſ. 12. ac recenſentur cauſæ damnationis, &

depositionis nulla fit erroris, aut hæresis mētio. Benedictum 13. damnatum fuisse nomine hæreseos in eodem Concilio.

Resp. 1. hunc non fuisse legitimum Pontificem, cùm Clementi 7. successerit, qui sedem inuaserat viuente Vrbano 6. vero Pontifice.

2. non erasse in eo quod obijciebatur, scilicet credidisse non habere Concilium maiorem potestatem Papâ.

Eugenium 4. à Concilio [f] Basileensi depositum tanquam in hæresim lapsum. Sed neque aberrauit vlla in re Eugenius: neque [g] Concilium in sententiâ perstitit, nam Lausanę continuatum acta sua irritauit priora, & Nicolaum 5. Eugenij successorem, vt legitimum Pontificem recepit.

Vltimum, Innocent. 8. Noruegis [h] permisisse vt sine vino sacrificium celebrarent.

Resp. 1. non edidisse hac de re decretum. 2. non permisisse in alio consecrari liquore. Et proinde aut nullum: aut non exploratum errorem esse.

[f] *sess. 34.*

[g] *sicut cognosci potest ex literis Nicolai V. quæ Basileensi Concilio adiungi solent.*

[h] *vt refert Raphael Volateranus 7. Geographiæ.*

An summus Pontifex, vt Pontifex totius Ecclesiæ, possit leges condere, quæ obligent in conscientia & iudicare, ac punire transgressores pœna spirituali.

CAP. XV.

HIC de legibus iustis tantùm quæstio est, iniustæ siquidem [a] non sunt propriè leges. Vt autem sit iusta lex requiritur. 1. ordinari ad bonum commune. 2. vt sit ab habente authoritatem. 3. vt non prohibeat virtutem, aut præcipiat vitium 4. vt debito modo,

[a] *vt docet Aug. 1. de libero arbitrio 5.*

& ordine constituatur, & promulgetur: nimirum, vt eam seruet proportionem in honoribus distribuendis, & oneribus imponendis quam subditi in Rempublicam habent.

Sententia hæreticorum neotericorum docet 1. Episcopos, & proinde etiam Papam posse quidem constituere certum ordinem in Ecclesia ad conseruandam disciplinam, vt definire quo die sit in Ecclesiam eundum, &c. [b] Verùm has constitutiones non obligare in conscientia. 2. Non posse cogere Christianos ad seruandum legem Dei iubendo ex authoritate & puniendo transgressores, sed solùm exhortando, & reprehendendo; 3. esse equidem in Ecclesia potestatem eiiciendi homines incorrigibiles à suo cœtu: sed hanc potestatem nolunt residere in Papa, aut Episcopo per se, sed in cœtu ministrorum, populo consentiente. Catholici contra semper crediderunt Episcopos in suis Diœcesibus & R. Pontificem in totâ Ecclesiâ esse veros principes Ecclesiasticos qui sine plebis consensu, aut presbyterorum consilio, possint suâ authoritate, condere leges obligantes in conscientia & transgressores punire.

[b] *Lutherus libro de captiuitate Babylonicâ capite de Baptismo Caluin. 4. Instit. 10. 11. 12. Melanth. Confessione Augustana art. 28.*

Probatur posse Pontifices veras leges condere.

CAP. XVI.

PRIMO [a] Deuter. 17. *Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis moriatur homo ille, & auferes malum ex Israel.* Quod si Sacerdotes antiqui talem potestatem habebant, quanto magis

[a] *verſ. 12.*

noui Testamenti Pontifices?

Respondent ex hoc & similibus colligi solùm, peccare in conscientia inobedientes : non ob præcepti transgressionem, sed contemptum, & & superbiam in superiorem.

Sed negare nō possunt ibi agi de vero Imperio. At qui imperare siue præcipere potest, etiā potest actum indifferentē, præcepto suo facere necessarium, & bonū: alioquin frustra præciperetur: nec Dei leges positiuæ vt Baptismus obligarent in conscientia: Baptismus siquidem, per se est res indifferens, nec præceptus à Deo simpliciter vt Deo, sed legislatore. At omittere actū necessarium, & bonum, est peccatum in conscientia etiam citra contemptum, & proinde obligat in conscientia. Igitur Pōtifices possunt obligare in conscientia.

Secundò hæc verba Math. 16. *Quodcumque ligaueris super terram erit ligatum & in cœlis*: debent referri ad omnia, quæ secundum scripturæ vsum dicuntur ligari. Nam generaliter loquitur Dominus. Sed ligare significat etiam leges imponere Math. 23. [b] Ergo Dominus Petro promisit, vt quam obligationem præcipiendo fidelibus Petrus imposuerit ratam simul in cœlis haberi: id est præceptum Petri, esse præceptum Christi.

[b] *Alligant enim onera grauia, &c.*

Tertiò Ioan. [c] 20. *Sicut misit me pater & ego mitto vos*, in quem locum Chrysost. *Suum eis* (inquit) *reliquit ministerium*. At Christus missus est à patre, cum potestate etiam præcipiendi, & iudicandi vt omnes fatentur. Igitur hanc potestatem Apostolis dedit, & in primis Petro, vt cui dixit Ioan. 21. ποίμαινε τὰ πρόβατά μὲ *pasce regendo oues meas*.

[c] v. 21. καθὼς ἀπέσταλκέ μὲ ὁ πατὴρ, κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς.

Quartò Actor. 15. [d] Apostoli nouam legem condunt, nam de suffocato & sanguine, nihil præcepit, aut natura, aut Christus, hanc autem obligasse in conscientia probatur 1. quia illam

[d] *vers. 28.*

vocauit Apoſtoli onus 2. dicunt eſſe neceſſariam 3. quia [c] Lucas abſolutè præceptum vocat 4. teſtimonio [f] Chryſoſt. *Vide* (inquit) *breuem Epiſtolam, neque epicheremata, neque Syllogiſmos habentem, ſed imperium* 5. quia Apoſtolor. [g] can. 26. clerici comedentes ſanguinem, aut ſuffocatum deponuntur, Laici excommunicantur. At pœna tam atrox nequit imponi niſi pro mortali peccato.

[c] *v. 41. & cap. 16. verſ. 4.*
[f] *Homil. 33. in Acta.*
[g] *renouato in Concil. 2. Aurelianenſi can. 19. & 20.*

Reſp. [h] Caluinus nihil non præcepiſſe Apoſtolos, ſed ius diuinum ſolùm, nimirum, non manducare cum ſcandalo proximi 1. quia ſcopus Apoſtolorum decreti erat liberare gentes à Iugo cæremoniarum Iudaicarum. Ergo ſi ad has obligabant cæremonias, ſuum euertebant decretum 2. hoc præceptum nunc minimè ſeruatur: ſcilicet quia ceſſat ratio ſcandali 3. Paulus qui Concilio interfuit & ſcripſit: primam ad Corinthios poſtea, explicat illud decretum cap. 8. & 10. ac docet non eſſe illicitum comedere idolothyta, niſi inde ſcandalizentur infirmi.

[h] *4. cap. 10. §. 21. & 22.*

Sed quamuis finis præcepti Apoſtolici eſſet ne ſcandalizarentur infirmi, tamen præceptum non cadebat ſuper finem, ſed ſuper abſtinentiam ab immolatis, ſanguine, & ſuffocato. Sicut omnium diuinorum præceptorum finis eſt charitas, quæ tamen non præcipitur in particularibus præceptis vt de non furando, *&c.* probatur 1. quia Chryſoſt. ait hâc Apoſtolicam legem eſſe nouam, & ex cæremonialibus Moſis ſumptam: non ſcandalizare autem eſt lex antiquiſſima 2. ita intellexerunt PP. veteres [i] Tertull. [k] Origenes [l] Cyrillus, & S. Blandina apud [m] Euſeb. *Multum erratis* (inquit) *ô viri quòd putetis infantium carnibus veſci* (ſcilicet clam) *eos qui ne mutorum quidem animalium ſanguine vtuntur*, at clam veſci nulla eſt occaſio ſcandali. Auguſt. Epiſt. 154. Concil. [n] Gangrenſe verò ait non habere ſpem ſalutis, qui veſcuntur immolatis,

[i] *in Apolog. cap. 9.*
[k] *S. contra Celſum.*
[l] *Catech. 4.*
[m] *5. hiſtor. 1.*
[n] *cap. 2.*

ſanguine, & ſuffocato: habere qui veſcuntur aliis carnibus: quod nequit exponi ratione ſcandali: qui enim aliis veſcuntur cum ſcandalo, etiam peccant.

Ad 1. hanc legem impoſitam fuiſſe non tanquam ex lege Moſis, ſed vt Apoſtolicum, & Eccleſiaſticum præceptum.

Ad 2. non ſeruari, quia ceſſat ratio ſcandali vniuerſaliter. At ſi non ceſſaret niſi in vno, aut altero, adhuc obligaret. Quamuis autem ceſſante vniuerſaliter fine præcepti, præceptum nõ obliget. Non tamen non ſequitur ipſum finem præcipi.

Ad 3. Reſp. 1. fortaſſe non peruenifſe [o] adhuc ad Corinthios præceptum illud Apoſtolicum, & Paulum reſpondiſſe ſecundum ius naturæ. 2. Etſi peruenifſet: non tamen agere Paulum de vi ipſius præcepti, ſed ratione, quare fuerit editum: nimirum, tum propter ſcandalum infirmorum, tum propter idololatriæ periculum.

[o] *Aliàs cur petiiſſent à Paulo per literas, num eſſet illicitum veſci immolatis.*

Quintò. Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt.* [p] *Ideóque neceſsitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram:* (id eſt metũ pœnæ quam exercent principes & ſuperiores non ſolum in contemptores, quin etiam in violatores legum particularium.) *Sed etiam propter conſcientiam,* quamuis enim Chryſoſt. Theoph. Oecum. intelligant conſcientiam beneficiorum: omnes [c] tamen alij interpretantur de conſcientiâ peccati: & in hâc ſignificatione ſemper vtitur hâc voce Paulus.

[p] *v. 5.* διὸ ἀνάγκη ὑποτάσσεσθαι, οὐ μόνον διὰ τὴν ὀργὴν, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ συνείδησιν.

[c] *Theodor. Ambr. Beda, Anſel. in hunc locum Aug. epiſt. 54.*

Sextò. [d] *Quid vultis in virgâ* (id eſt iudiciaria puniendi poteſtate, vt interpretantur omnes) *veniam ad vos?*

[d] *1. Cor. 4. verſ. 21.* τί θέλετε; ἐν ῥάβδῳ ἔλθω πρὸς ὑμᾶς.

Reſp. [e] martyr. hanc poteſtatem eſſe tantùm

[e] *in cap. 5 prior. ad Corinth.*

in cœtu Ecclesiæ, quia Paulus ait: *Congregatis vobis & meo spiritu*, &c. Sed in hac [f] virga solus occidit Ananiam, & Saphiram Petrus: Elymam excæcauit, & Alexandrum, ac Hymæneum excommunicauit Paulus. Qui non quidem voluit congregari omnes vt deliberarent an deberet ille incestuosus excommunicari, quem iam decreuerat Sathanæ tradere, sed præcipit vt congregatâ Ecclesiâ promulgetur ab eo lata excommunicatio.

[f] *vt ibidem Petrus Martyr fatetur.*

Septimo 1. Timoth. 3. legem statuit Apostolus ne ordinentur bigami. obligasse in conscientiâ, patet: quia nusquam ausa est Ecclesia bigamos ordinare: & Concil. [g] 4. Carthag. pœnam statuit grauissimam ordinantibus bigamos.

[g] *can. 69.*

Octauò, [h] *Qui vos audit me audit*, &c. [i] *Laudo vos quod præcepta mea tenetis.* [k] *Qui hæc spernit non hominem spernit sed Deum. Si* [l] *quis non obedit verbo nostro per Epistolam hunc notate, & ne commiscemini illi.*

[h] *Luc. 10. vers. 16.* ὁ ἀκούων ὑμῶν, ἐμοῦ ἀκούει.

[i] 1. Corinth. 11. v. 2. ἐπαινῶ δὲ ὑμᾶς ὅτι πάντα μου μέμνησθε καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν τὰς παραδόσεις κατέχετε.

[k] 1. Thess. 4. v. 8. τοιγαροῦν ὁ ἀθετῶν, οὐκ ἄνθρωπον ἀθετεῖ, ἀλλὰ τὸν θεόν.

[l] 2. Thess. 3. v. 14. εἰ δέ τις οὐχ ὑπακούει τῷ λόγῳ ἡμῶν, διὰ τῆς ἐπιστολῆς τοῦτον σημειοῦσθε, καὶ μὴ συναναμίγνυσθε αὐτῷ.

Nonò, [m] *Obedite præpositis vestris & subiacete eis*, &c. Basil. hunc locum [n] exponens ait Apostolum subiunxisse: *Id enim vobis non est vtile*: vt indicaret graue damnum & peccatum inobedientibus. In Græco enim non habetur negatiuè, sed positiuè, *incommodum est*.

[m] *Hebræo. 13. vers. 17.* πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν καὶ ὑπείκετε. αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν.

[n] *in constitut. cap. 22.*

Decimò, ex patrum traditione: nullum enim est Concilium ferè, quod non præcipiat aliquid, vel interdicat sub pœna anathematis, vel depositionis. Et pleni sunt tomi Conciliorum actus canonicum epistolis Pontificum in præceptis & censuris. Certè vt alia prætermittamus non negant aduersarij ieiunium Quadragesimæ, quatuor temporum, & vigiliarum esse positiuum Ecclesiasticum præceptum. At obligare in Conscientiâ constat. ex can. 68. Apostolor. quo soluentes indicta ieiunia, si Clerici deponuntur, si laïci excommunicantur. Concilium [o] Gangrense

[o] *can. 19.*

grense eos iubet excommunicari. [p] Toletan. 8. priuat sacrâ communione in Paschate, & iubet toto anno à carnibus abstinere, qui Quadragesi. ieiunium violauerint: non dixit ex contemptu, sed ex intemperantia. Basil. orat. 2. de ieiunio. [q] Chrysost. *Adueniente* (inquit) *ieiunio & si millies quis hortetur, & infinita crucient & cogant vinum delibare, vel aliud quid ieiunij lege non concessum gustare, omnia quis mallet pati, quam prohibitum tangere nocumentum.* [r] Ambrol. serm. 25. Hieron. [s] August. *In Quadragesima non ieiunare peccatum est.* Leo serm. 3. de ieiunio decimi mensis. Quare [v] Epiph. inter hæreticos Aërium ponit, quòd ieiunandum quidem esse diceret, sed non ex præcepto Ecclesiæ.

Vndecimò, ratione. Sunt necessariæ quędam leges ad Ecclesiam benè gubernandam præter ciuiles vt patet, & diuinas ac Euangelicas: quia illæ nimis vniuersales. At omnis vera lex vim coactiuam habet. Est enim regula quædam humanarum actionum à Deo immediatè, vel mediatè constituta. Deuiare autem à Regulâ peccare est. Ergo sunt necessariæ in Ecclesiâ leges coactiuæ Ecclesiasticæ. Nō fuerunt autem huiusmodi aliæ, præter latas à Summis Pontificibus, & Conciliis. Igitur, &c.

[p] *can. 9.*

[q] *Homil. 6. ad Populum Antiochenum.*

[r] *Non leue peccatum est, inducta m fidelibus quadragesimam violare.*

[s] *Epist. ad Marcellam.*

[t] *serm. 62. de tempore.*

[v] *Hæres. 75. & Aug. hæresi 63.*

Soluuntur argumenta aduersariorum.

Cap. XII. XVIII. XIX. XX.

[a] Rimvm, quando misit Dominus Apostolos dicens [b] *Baptizate omnes*, &c. non adiunxit, *docentes mandata vestra*, sed: *quæcunque mandaui vobis.*

Resp. in iis quæ mandauit, includi obedientiam præceptis Prælatorum.

[a] Cap. XVII.

[b] *Matth. vltimo. v. 19.* διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν.

Secundò, [c] *non addetis ad verbum, &c.* [d] *Quod præcipio tibi hoc tantùm facito Domino, nõ addas, &c.* Loquitur autem de præceptis cæremonialibus, & iudicialibus.

Resp. dupliciter fieri posse additionem præcepto. Vno addendo præceptum præcepto, vel detrahendo. 2. addendo vel detrahendo ad opus præceptum. priori non prohibetur additio: sed posteriori tantùm, quando additio corrumpit opus, non autem quando perficit. Cæremonialibus enim fit additio Esther 9. Iudith. vlt. 1. Machab. 4. Iudicialibus [e] 1. Reg. 30.

Tertiò, [f] *Dominus Iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster:* id est, iuxta Iacobũ: [g] *Vnus est Legislator, & Iudex qui potest perdere, & saluare:* quo vult Iacobus excludere omnes alios legislatores, qui velint obligare conscientias: reddit enim rationem cur debeant omnes homines leges seruare, & non dare.

Resp. hæc tantùm dici de primario Legislatore. Nihil autem aliud vult Iacobus, quam docere nemini licere iudicare legem sui superioris, cum vnus sit tantum Legislator ita summus vt solus leges dare, non autem accipere debeat, [& ad quem spectat iudicium omninò supremum.]

Quartò, [h] reprehenduntur Iudæi quod timuerint Deum mandato hominis, & doctrinis. Respondeo, mandatum, in scripturis vocari præcepta quæ nec Deo iubente, nec inspirante, nec eius authoritate, ab hominibus conduntur quæ vel inutilia sunt, vel diuinis contraria.

Quintò. 2. Corinth. [i] 3. *vbi Spiritus Domini ibi libertas.* Ad Galat. 4. [k] *Non sumus ancillæ filij, sed liberæ,* & 5. [l] *State & nolite iterum iugo seruitutis contineri.*

Resp. libertatem Christianam consistere in tribus 1. in liberatione à seruitute peccati 2. legis diuinæ moralis: non quòd eximamur ab obli-

[c] *Deuter. 4. v. 2.*
[d] *cap. 12. v. 32.*

[e] *v. 25. Et factum est hoc ex illo die, &c.*
[f] *Isaiæ. 33. v. 22.*
[g] *Iacobi 4. v. 12.* Εἷς ἐστὶν ὁ νομοθέτης ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι.

[h] *Isaiæ 29.*

[i] *v. 17.* Οὗ δὲ τὸ πνεῦμα κυρίου, ἐκεῖ ἐλευθερία.
[k] *v. 31.* Οὐκ ἐσμὲν παιδίσκης τέκνα, ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας.
[l] *v. 1.* μὴ πάλιν ζυγῷ δουλείας ἐνέχεσθε.

gatione legis implendæ, ſed quia per gratiam Chriſti impletur quod lex iubet, & minatur pœnam: nec tamen ſine gratia poteſt impleri: & de hac loquitur Paulus 2. Corinth. 3. in liberatione à ceremonialibus, & iudicialibus præceptis Moſis de qua Galat. 4. & 5.

[m] Sextò, ſi Deus voluit eſſe Chriſtianos liberos à Iudaicis legibus. Ergo multo magis à Pontificum Eccleſiæ decretis 1. quia præſtaret magis habere diuinas, id eſt illas antiquas quam humanas 2. nihil prodeſſet liberatio à Iudaicis legibus, [n] dicuntur enim importabile iugum, propter multitudinem, & obligationem ad peccatum. At Pontificiæ, numero, & ſeueritate excedunt, vnde [o] Auguſt. *Ipſam religionem quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebrationum Sacramentis miſericordia Dei liberam eſſe voluit ſeruilibus oneribus premunt vt tolerabilior ſit conditio Iudæorum, &c.*

[m] CAP. XVIII.

[n] *Act. 15. v. 10.*

[o] *Epiſt. 119. cap. 19.*

Negatur conſeq. ad 1. probationem noluiſſe nos Deum obligare antiquis legibus illis, quia cæremoniales erant figuræ futurorum: iudiciales verò pro ſtatu politiæ populi huius: & idcirco ſtatu mutato, neceſſe præcepta mutari.

Ad 2. leges Pontificias pauciores eſſe. Nam vix inueniuntur præter quatuor: ſcilicet *ſeruare feſta, ieiunia, confiteri ſemel in anno, communionem ſumere in Paſchate*, quæ omnes obligent Chriſtianos. Cætera quæ ſunt in tomis Concil. vel canonico iure: aut ſunt admonitiones, aut piæ inſtitutiones, ſine obligatione ad culpam: vel leges conditionales, nimirum impoſitæ tantùm volentibus admitti ad ſacros ordines: vel regulæ ſunt Eccleſiaſticis iudicibus præſcriptæ: vel Cenſuræ. At Moſaicæ leges longè plures, omnibus imponebantur. Sunt etiam mitiores Eccleſiaſticæ, nam ex quatuor ſupradictis, nulla eſt quæ non moderetur. Nec enim verbi gratia adeo feſta ſtrictè obſeruantur quin non liceat

opera neceſſaria aut valdè vtilia corpori exercere: quod non licebat Iudæis Sabbatho. Adde has quatuor eſſe determinationes iuris diuini, quo tenemur aliquando vacare *cultui Dei, ieiunare, confiteri, communicare*, quare ſi quod onus, eſſet reuocandum in ius ipſum diuinum. Aug. autem non loquitur de legibus Pontificiis, ſed [P] conſuetudinibus introductis à vulgo.

[q] Septimo 4. Reg. 16. reprehenditur Achaz quod addidiſſet templo vnum altare, & ſi videretur fieri ad ornatum loci. Cap. 21. quod Manaſſes extruxerit aras, quas Dominus non præceperat. cap. 17. fuere puniti à Leonibus qui de Babylone in Samariam venerant, quod colerent Deum cæremoniis nouis.

Reſpond. ſcripturam docere hos omnes idolatras fuiſſe Achaz extruxerat aram ad ſimilitudinem altaris idoli Damaſci. Manaſſes vniuerſæ militiæ cœli: de illis Babylonijs dicitur: [r] *Vnaquæque gens fabricata eſt Deum ſuum*, &c.

Octauò, [s] Paulus prohibet ſeruire hominibus cum timore peccati: *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.*

Reſp. ſolùm prohibere, [t] *ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes*: id eſt ſeruire hominibus præcipuè propter homines.

Nonò, Conſcientia ad forum ſolius Dei ſpectat, ſolus enim ſcrutatur renes & corda. Igitur nequeunt homines obligare in conſcientiâ. Confirmatur: Ridiculum eſſet ſi quis obligaret ad pœnam quam infligere non poſſet. At homines non poſſunt infligere pœnam æternam.

Ad anteced. verum eſſe, in quantum Deus ſolus poteſt certo de interioribus iudicare. falſum quod ſolus poſſit leges condere obligantes conſcientiam. Ad hoc enim non eſt neceſſe videre interiora, ſed ſatis eſt legitimè imperare, & ita obligare ad opus externum, vt ſi non fiat intelligat inobediens ſe malè agere. Ad confir-

P *omnia* (inquit) *talia quæ neque ſanctarum ſcripturarũ authoritatibus continentur, neque in Conciliis Epiſcoporũ ſtatuta inueniuntur, neque conſuetudine vniuerſæ Eccleſiæ roborata ſunt: ſed diuerſorum locorum diuerſis moribus innumerabiliter variantur, &c. reſecanda exiſtimo.*

q CAP. XIX.

r *verſ.* 25.

s 1. *Corinth.* 7. *v.* 23. τιμῆς ἠγοράσθητε. μὴ γίνεσθε δοῦλοι ἀνθρώπων.

t *Epheſior.* 6. *v.* 9. μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλείαν, ὡς ἀνθρωπάρεσκοι.

mationem non obligare legem humanam ad pœnam æternam, niſi quatenus violatione legis iuſtæ humanæ offenditur Deus, omnium legum iuſtarum primarius author.

Soluuntur argumenta ex PP.

CAP. XXI.

ORIGEN. [a] *Sicut* (inquit) *omnia carnalia in neceſsitate ſunt poſita, non in voluntate, ſpiritualia autem in voluntate, non in neceſsitate, ſic & principes ſpirituales. Principatus eorum in dilectione ſubiectorum debet eſſe poſitus, non in timore corporali.*

[a] *Tract.* 12. *in Mathæum.*

Reſpondeo, non excludere à principe Eccleſiaſtico coactiuam potentiam: ſed ſolùm monere vt ſubditi, potius amore, quàm timore ducantur: quia finis eius eſt vita æterna, & pax ſubditorum tàm interna, quàm externa.

Chryſoſt. [b] *Chriſtianis minimè omnium licet peccantium lapſus vi corrigere, &c. Neque enim nobis facultas tanta à legibus data, ad delinquentes coërcendos.*

[b] 2. *de ſacerdotio ante medium.*

Reſp. Chryſoſt. numquam negaſſe coactiuam Pontificum poteſtatem. [c] *Nec vllus* (inquit) *Eccleſiaſtica deſpiciat vincula, non enim qui ligat eſt homo, ſed Chriſtus.* Tantùm ergo vult non habere tantam poteſtatem Epiſcopum, vt poſſit cogere hominem mutare reuera mores, & curationem animi ſuſcipere, quomodo paſtor ouilis, inuitus curat ouem, & Iudex temporalis poteſt cogere ſubditos, vt mutet mores externos, circa quos tantum verſatur [directè, & indirectè.] Dici etiam poteſt agere ibi Chryſoſt. de poteſtate ſacerdotali in foro conſcientiæ.

[c] *homil.* 70. *ad populum.*

Auguſt. [d] *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam Dei.* Ergo peccatum non eſt legis humanæ tranſgreſſio.

[d] 22. *contra Fauſtum* 27.

Resp. omnem legem iustam, à Dei lege æterna deriuari.

Bernard. [e] *non monstrabunt puto, qui hoc dicent, vbi aliquando quisquam Apostolorum iudex sederit hominum*, &c.

[e] 1. *de Consideratione.*

Resp. loqui Bernardum de iudicijs in ciuilibus causis. Ibidem enim: *Quidni contemnant iudicare de terrenis possessiunculis hominum, si in cœlestibus, & Angelos iudicabunt. Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra*, &c. Adde non tàm disputare an liceat Pontifici iudicare de litibus terrenis, quàm an conueniat.

Apostolos à Christo Iurisdictionem omnem accepisse, ac Episcopos à Papa.

[a] CAP. XXI.
[b] *Franciscus a Victoriâ relect. 1. de potest. Eccles. q. 2. Alphonsus à Castro 2. cap. 24. de iusta hæreticorum punitione.*
[c] *Turrecrem 2. cap. 54. summæ de Eccles. Dominicus Iacobatius 10. de Cœlis art. 7.*
[d] *Caiet. tract. de authorit. Papæ, & Concil. c. 3. domin. à Soto. 4. dist. 20. q. 1. ar. 2. Franciscus Vargas libello de hâc quæstione, &c.*
[e] CAP. XXIII.

CAP. XXII. XXIII. & XXIIII.

TRIPLEX [a] in Pontifice, aliisque Episcopis est potestas. Vna ordinis, quæ ad Sacramenta conficienda, & ministranda refertur: alia Iurisdictionis interioris, quæ ad forum conscientiæ: tertia exterioris Iurisdictionis, quæ ad forum spectat externũ. De qua in hac controuersiâ de R. Pontifice agimus. Hâc ergo volunt [b] alij tam Apostolos, quàm alios Episcopos accipere à Deo immediatè. [c] Alij Apostolos, non à Christo sed à Petro, Episcopos non à Deo sed à Papa immediatè accipere. Alij [d] denique, Apostolos quidem accepisse à Christo omnem suam authoritatem, Episcopos tamen non nisi à Papâ. Quæ verior sententia est. Prima pars probatur.

[e] Primò. Ioan. 20. *Sicut misit me pater & ego mitto vos.* quo loco Patres docent Apostolos factos Christi vicarios, & ipsius Christi officium,

& authoritatem accepisse.

Secundò [f] Mathias non fuit ab Apostolis electus, aut ab eis vllam potestatem accepit: sed diuinitùs impetratâ electione, inter Apostolos annumeratus est. Paulus [g] etiã testatur se authoritatem, & Iurisdictionem habuisse immediatè à Christo.

[f] *Actor. 1.*

[g] *Gal. 1. v. 1.*

Tertiò, Apostoli à Christo soli [h] facti sunt. Ergo ab ipso potestatem acceperunt, est enim Apostolica dignitas omnium in Ecclesia suprema: Et proinde quæ Iurisdictione non careat. Vnde Paulus, vt Apostolus, passim leges constituit. Nec refert ante passionem Apostolos fuisse, non tamen Iurisdictionem habuisse. Nã quod inchoauerat ante passionem post eam absoluit Christus. Secunda pars probatur.

[h] *Luc. 6.*

Primò, [i] quem locum habuit Moses in populo Iudaico, habet Pontifex in Ecclesiâ. Sed [k] legimus datum Septuaginta senioribus vt (vnâ cum Mose regerent) ablatum de Spiritu Mosis, non quidem per diminutionem Spiritus eius, sed, vt Aug. [l] interpretatur, quòd à Mose potestatem haberent. Ergo, &c.

[i] CAP. XXIIII.

[k] *Numer. 11. v. 16. & 17.*

[l] *q. 18. in Numer.*

Secundò, [m] Cyprian. comparat sedem Petri Capiti, Radici, Fonti, Soli, At in omni corpore virtus à capite manat: in arbore, à radice: in riuis, à fonte: in radiis, à sole.

[m] *libro de vnitate Ecclesiæ.*

Tertiò, si Deus immediatè conferret Episcopis Iurisdictionem: omnes æquales haberent, Deus enim nunquam determinauit Episcoporum Iurisdictionem. At certum est, inæqualem habere.

Quartò, non posset illam Pontifex auferre, & mutare quod tamen facit. Respondent 1. auferre, quia etsi immediatè à Deo habeant: tamen cum subiectione ad Pontificem. 2. non auferre quidem, sed tantum materiam subiectam, nimirum subiectos.

Ad 1. hoc non sufficere, vt possit tolli. Nam

Apostoli habebant à Christo, cum subiectione ad Petrum : nec tamen Petrus auferre poterat. Ordinis potestatem, Sacerdotes à Deo habent cum subiectione ad Papam. Sed illam Papa nequit irritare. Si clericus in diœcesi habeat potestatem à Papâ, Episcopus illam mutare nõ valet.

Ad 2. Respondeo. 1. Iurisdictionis potestatẽ significare relationem Prælati ad subiectũ : vno autem relatiuorum sublato, & alterum tollĩ. [Verùm quia responderetur hanc potentiam, non esse formaliter relationem, sed tãtùm fundamentum relationis quod remanere potest sine relatione. Respondeo 2. mirum videri, Deũ dedisse potestatem, nec dedisse media quibus exerceretur.] mirum quoque, si prouidentia diuina, quæ suauiter cuncta disponit noluisset per eum Iurisdictionem dari, per quem voluit minui, ac augeri [saltem in exercitio.]

Quintò, aduersarij ostendant aliquod verbum Dei pro se. Nam verba quibus Apostolis dedit potestatem Christus, non fauent. Per hæc enim confertur amplissima potestas, quam nolunt in Episcopis agnoscere.

Sexto, [n] ex Innocent 1. *A Petro* (inquit) *ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis emersit*, & Leone, [o] *si quid commune cum eo aliis voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quidquid aliis non negauit.* Quibus accedant verba Pontificis, in creandis Episcopis : *Prouidemus Ecclesiæ tali, de tali persona, & præficimus eum in patrem, & Pastorem, ac Episcopum eiusdem Ecclesiæ, committentes ei administrationem in temporalibus, & spiritualibus in Nomine P. & Filij & Spiritus Sancti. Amen.*

[h] *Epist. ad Concil. Carthag. nonagesima-prima inter epistolas Aug.*

[o] *serm. 3. de Assumpt. suâ.*

Soluuntur argumenta.

CAP. XXV.

PRIMVM. Episcopi Apostolis succedunt, vt Pontifex Rom. Petro. Ergo si Apostoli habent iurisdictionē immediatè à Christo. Igitur & Episcopi. Nam successor iurisdictionem habet, à quo prædecessor.

Resp. falsum anteced. propriè loquendo. Nam Papa propriè succedit Petro, non vt Apostolo, sed vt ordinario pastori vniuersali. At Episcopi non nisi impropriè Apostolis: nimirū ratione ordinis sacri Episcopalis: & quòd sicut Christo in terris, primò subiecti erant Apostoli 12. deinde discipuli: ita sub Rom. Pontifice sunt Episcopi, post eos Presbyteri diaconi, &c. Nam aliàs non habēt vllam partem veræ Apostolicæ authoritatis: nec enim iurisdictionem in vniuersum orbem Christianum habent, aut libros possunt canonicos condere, deinde non succeditur, nisi præcedenti. At simul cum Apostolis erant in Ecclesia Episcopi. Cui precor Apostolorum successit Titus, aut Timoth. qui simul cum Apostolis vixerunt?

Secundo [a] *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos spiritus sanctus*, &c. Item [b] *Ipse dedit quosdam Apostolos, alios Prophetas, alios pastores & Doctores*, id est Episcopos. [c] Dionys. ait Episcoporum Hierarchiam immediatè terminari in Iesum. [d] Cyprianus Episcopos fieri à Christo, sicut Apostoli. [e] Bernard. *Erras* (inquit) *si vt summam ita, & solam institutam à Deo æstimas vestram Apostolicam potestatem.*

[a] *Actor. 20. v. 28.* προσέχετε ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ.
[b] *Ephes. 4. v. 11.*
[c] *cap. 6. Hierarch. Eccles.*
[d] *3. epist. 9.*
[e] *3. de consider.*

Ad 1. testim. loqui de mediata constitutione:

iuxta illud, *non est potestas nisi à Deo*, nimirum mediatè vel immediatè: & ita loquitur Bernard. Ad 2. & 4. nihil aliud velle, quàm Ordinem Episcoporum esse de iure diuino. Deus enim instituit vt in Ecclesia essent Episcopi. Dionys. autem de ordine, non de iurisdictione agit.

Tertiò, præciso capite, moriuntur membra. Ergo si Episcopi à Papa Iurisdictionem habẽt: mortuo Papâ, authoritas Episcoporum deficiet.

Respond. antecedẽs verum esse in corpore naturali, non autem mystico ratione præsertim capitis ministerialis, & externi.

Quartò ad ordinem Episcopatus est necessaria iurisdictio. Ergo Deus qui confert ordinem, confert & iurisdictionem.

Resp. vtrumque conferre: immediatè ordinem, quia potestas Ordinis caracterem requirit & gratiam, quam solus Deus efficere potest: mediatè iurisdictionem, quia solum requirit superioris voluntatem.

Quintò, Papa vocat Episcopos fratres & collegas.

Respondeo, id esse ratione Ordinis in quo sunt æquales. Et quòd assumantur ad suum sustentandum onus non ad aliquod inferius ministerium.

Sextò sequeretur ex nostra sententia multos non fuisse veros Episcopos, vt non ordinatos à Papa.

Respondeo sufficere, mediatè creari ab eo per Patriarchas, & Archiepiscopos, &c.

LIBER QVINTVS

DE POTESTATE PONTIFICIS temporali.

PRIMA PROPOSITIO.

Papam non esse Dominum totius mundi.

CAP. I. & II.

DE [a] potestate temporali Papæ tres sunt opiniones. Prima [b] Papam habere iure diuino pleniſſimam potestatem in vniuersum orbem tàm circa res Ecclesiasticas, quàm politicas. [c] Secunda, iure diuino nullam habere potestatem temporalem, aut posse sæcularibus imperare principibus: Nec licuisse Pōtifici aliisque Episcopis accipere dominium temporale. [d] Tertia non habere quidem directè, & immediatè vllam potestatem temporalem: tamen ratione spiritualis haberè indirectè summam in temporalibus. Hanc sequimur sententiam & probatur nostra propositio.

[e] Papa non est Dominus prouinciarum quas infideles obtinent 1. quia solas suas oues Petro commisit Christus, cuiusmodi non sunt infideles 2. *Quid ad me de his qui foris sunt iudicare?* Inquit [f] Paulus 3. infideles principes sunt veri, &

[a] CAP. 1. *ita Augustinus.*

[b] *Triumphus in summâ de potestate Eccles. q. 1. ar. 1. Aluarus Pelagius 1. de planctu Ecclesiæ 13. & multi Iurisconsulti.*

[c] *Caluin. 4. Instit. 11. §. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Magdeburg. Centur. 1. lib. 2. cap. 4. col. 435.*

[d] *Catholicorum, & Theolog. communis Hugo de sancto Victore 2. de Sacram. p. 2. cap. 4. Alens. 3. p sum. q. 40. m. 5. Bonau. de Ecclesiasticâ Hier. p. 2. cap. 1. Ioannes Driedo 2. de libertate Christ. 2. Turrec. 2. sum. cap. 113. Sanderus 2. cap. 4. visibilis Monarchiæ.*

[e] Cap. 11.

[f] *1. Corinth. 5. v. 12. τί γὰρ μοι καὶ τοὺς ἔξω κρίνειν.*

ſupremi principes regnorum ſuorum. Dominium enim non fundatur in gratia, aut fide, ſed libero arbitrio, & ratione: nec deſcendit ex iure diuino, ſed gentium. Nam Deus approbat regna gentilium in Teſtamento vtroque.

Obiicitur Alexandrum 6. diuiſiſſe orbem nouum regibus Hiſpaniæ, & Luſitaniæ.

Reſpondeo, non diuiſiſſe, vt reges infideles debellarent, eorum occupando regna. Sed vt protectione Regnum Chriſtianorum Verbum Dei fructificaret ibi & diſſidia inter Chriſtianos reges impedirentur.

SECVNDA PROPOSITIO.

Papam non eſſe Dominum totius Chriſtiani orbis.

CAP. III.

PRIMO quia neque ex ſcripturis neque traditione conſtat eſſe. Secundò fides Chriſti non obeſt, ſed prodeſt: nec aufert quod bonum eſt, ſed perficit. Igitur reges cùm Chriſtiani fiunt, regnũ ſuum non amittunt: ſed acquirunt nouum ius ad regnum æternum. Tertiò, aliàs ſequeretur Epiſcopos etiam, in ſingulis oppidis ſui Epiſcopatus, eſſe temporales Dominos. Quod enim eſt Papa in vniuerſa Eccleſia, id eſt Epiſcopus in particulari. At illud non admittunt aduerſarij. Quartò, teſtimoniis [a] Leonis faſſi Martiniano à Deo ad imperium electum. Gelaſij Epiſt. ad Anaſtaſium Gregorij. 2. Epiſt. 61. [b] Nicolai. *Nolite* (inquit) *præiudicium Dei Eccleſiæ irrogare, Illa quippè nullum imperio veſtro præiudicium infert.* [c] Alexandri 3. qui rogatus an appellatio à ſæ-

[a] *Epiſt. 38.*
[b] *Epiſt. ad Michaelem.*
[c] *cap. ſi duobus §. Denique. Extra de appellationibus.*

culari iudice ad Papam teneret. *Tenet* (inquit) *in his qui sunt nostræ temporali iurisdictioni subiecti: in aliis verò, secundum iuris rigorem credimus non tenere* [d] Innocent. 3. *Cùm* (inquit) *iurisdictionem propriam non sufficiamus explere, cur alienam vsurpare vellemus?*

[d] *cap. Nouit. de Iudic.*

TERTIA PROPOSITIO.

Papam non habere vllam merè temporalem iurisdictionem directè, de iure diuino.

CAP. IIII.

PROBATVR, etsi Christus vt Deus semper fuerit Dominus omnium creaturarum eo modo quo pater: & in quantum homo, potuisset si voluisset dignitatem accipere regiam: tamen dum in terris vixit non accepit, nec voluit vllius prouinciæ, vel oppidi, merè temporale dominium. At summus Pontifex, Christi vicarius est, ac Christum repræsentat, qualis erat dùm hîc viueret. Igitur Papa, vt Papa, nullum habet temporale dominium prouinciæ alicuius, vel oppidi.

Maior probatur. 1. quia neque habuit regnum ex hæreditate. Etsi descenderet ex Dauide, non tamen constabat an essent illo propinquiores, Deinde regnum Dauid fuerat translatum, [a] prædixerat enim Deus nullum ex Iechoniæ familia futurum Regem, nimirum temporalem. Neque electione acquisiuit, imò, [b] *cum venturi essent vt raperent eum & facerent regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Neque iure belli, bellum enim eius, non fuit cum regibus

[a] *Hierem. 22. v. 30*

[b] *Ioan. 6. vers. 15.*

ἰησοῦς οὖν γνοὺς ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι, καὶ ἁρπάζειν αὐτὸν, ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα, πάλιν ἀνεχώρησεν εἰς τὸ ὄρος αὐτὸς μόνος.

mortalibus, sed cum principibus tenebrarum. Neque dono speciali Dei, ideò enim dixit [c] *Regnum meum non est de hoc mundo*, Id est, *Ego quidem Rex sum, sed non eo modo quo Herodes & Cæsar. Nam regnum meum non constat opibus, & honoribus humanis.* Volebat si quidem (vt docent [d] PP.) liberare Pilatum à suspicione, quâ credere poterat se regnum affectare Iudæorum temporale 2. quia authoritas regia, Christo necessaria non erat: imo inutilis. Venerat enim redimere nos, ad quod non requiritur regnum temporale, & persuadere cõtemptum diuitiarum, & omnium terrenarum rerum: ad quod inutilis fuisset, imo impedimento, possessio regni temporalis 3. quia omnia ferè loca scripturæ quæ de regno Christi agunt de spirituali sunt intelligenda.

[c] *Ioan. 18. vers. 36.* ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου.

[d] *Chrysost. Aug. Cyrill. Theophy. in hunc locum Ambros. 3. in Lucam.*

Minor verò probatur, Papæ enim non conueniunt officia Christi, vt Dei, vel hominis immortalis ac glorioſi. Ergo ea solùm quæ, vt hominis mortalis: verùm, nec quidem adhuc omnia, sed tantùm quæ homini puro communicari decebat. Nec enim Papa potest Sacramenta instituere, aut absoluere à peccatis sine Sacramento, &c.

Soluuntur argumenta.

CAP. V.

[a] *Math. 28. v. 18.* ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς.

[b] *epist. ad Mediolan. & habetur in decreto d. 22. can. Oues.*

PRIMVM [a] *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* vtrámque autem dedit Petro. *Christus* (inquit [b] Nicolaus) *B. Petro vitæ æternæ claui gero terreni simul, & cælestis Imperij iura commisit.*

Respondeo, loqui dominum vel de potestate spirituali tantum vt Hierony. & Anselmus exponunt, vel quâdam summâ in omnes creatu-

ras, quæ homini mortali communicari nequit. Nicolaus autem nihil aliud vult, quam quod dixerat Christus: *Quodcumque ligaueris super terram erit solutum, & in cælis.*

Secundo, Luc. 22. Dominus duos gladios Petro concessit vt deducunt. [c] Bernard. & Bonifac. 8. [d]

[c] 4. *de Considerat.*
[d] *in Extrau. Vnam sanctam.*

Respondeo, ad literam nullam fieri mentionem gladij spiritualis vel temporalis Pontificis: sed solùm velle dominum monere discipulos, tempore passionis suæ in ijs redactos angustijs, in quibus sunt, qui tunicam vendunt, vt emant gladium. Bonifacius, & Bernardus interpretantur mystice tantum, hunc locum. Nec volunt vno, eodémque Papam habere gladium vtrúmque: sed spiritualem directè, temporalem verò indirectè: in quantum scilicet conducit ad finem spiritualis potestatis. Quomodo est intelligendus author libri de regimine principum qui D. Thomæ tribuitur: & ipse D. Th. 2. d. 44. prope finem, cùm ait in Romano Pontifice apicem vtriusque potestatis residere.

Tertiò [e] can. *Quicumque litem*, & can. *Quæcumque contentiones*. Omnes lites & contentiones etiam temporales ad iudicium Papæ pertinent.

[e] 11. q. 1.

Respondeo, primum canonem esse Theodosij, qui ex pietate non ex debito, id honoris Ecclesiæ tulit. 15. autem canon. iam abrogatus est. secundum, esse particularis cuiusdam Episcopi: & proinde, dumtaxat, authoritate carere. Adde, posse intelligi de cõtentionibus, quæ nequeunt terminari per sæculares iudices: tunc enim causæ deuoluuntur ad iudicium Ecclesiæ per viam correctionis fraternæ vt Innocent. [f] 3. docet.

[f] *c. Nouit. de Iudiciis.*

Quartò vacante Imperio, Papa [g] vtitur Imperiali potestate.

[g] *vt habet Innoc. 3. cap. Licet. de foro competenti, & Concil. Vienn. Clementina: Pastoralis de sententiâ, & re Iudicatâ.*

Respondeo, id tantum fieri in causis, quæ à solo Imperatore iudicari solent, nec facile pa-

tiuntur morum. Non quòd Pontifex sit in temporalibus summus: sed propter ea quæ docet
h Innocent. supra.

h *cap. Nouit.*

QVARTA PROPOSITIO.

Papam habere summam temporalem potestatem indirectè.

Cap. VI. & VII.

a Cap. VI.

Ensvs a propositionis est. *Quemadmod. caro & Spiritus sunt quasi duæ Respublicæ: quæ & separatæ, & coniunctæ inuenirí possunt: vt autem coniunctæ* (sicut in homine) *Spiritus carni præest: & quamuis ille non se immisceat huius actionibus: tamen quando officiunt fini ipsius spiritus, spiritus carni imperat, eumque castigat etiam cum detrimento corporis: & similiter si ad finem spiritus assequendum, necessaria sit aliqua operatio carnis de ipsa disponit. Ita politica potestas & Ecclesiastica habent quidè suos distinctos principes, & leges: ac inueniuntur separatæ, & coniunctæ. At cum sunt coniunctæ, politica vt inferior debet subiici Ecclesiasticæ. Et quamuis Ecclesiastica non se immisceat temporalibus negotiis politicæ. si tamen obsint, aut requirantur ad finem Ecclesiasticæ, Ecclesiastica illi imperare potest, & cœrcere quod obest.*

Papa ergo non poterit certè tanquam ordinarius iudex deponere reges & auferre regna, etiam iustâ de causa. sicut deponit Episcopos. Neque legem ciuilem condere, confirmare, infirmare, aut de rebus temporalibus iudicare. Hæc tamen omnia poterit si id sit ad animarum salutem, Probatur.

b Cap. VII.

b Primò, potestas ciuilis est subiecta spirituali, quando vtraque est eiusdem Reipub. pars finis

nis enim tẽporalis subordinatur spirituali: subordinantur autem facultates, sicut & finis. Deinde vnum corpus Clerus, & laici faciunt. In omni autem corpore, est subiectio & ordinatio quædam inter membra, spirituale autẽ corporali non subijcitur. At omnis superior potest imperare inferiori, ergo Princeps spiritualis temporali.

Secundò, Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta, & sibi sufficiens ad suum finem. Tales enim sunt omnes reipublicę benè institutæ. Sed ad id necessaria est potestas vtendi, & disponendi de tẽporalibus rebus, quia alioquin possent mali principes impunè hæreticos fouere, & euertere religionem. Igitur & hanc potestatem habet Ecclesia.

Tertiò, non licet Christianis tolerare regem infidelem, aut hæreticum si conetur subditos ad suam pertrahere hæresim, vel infidelitatem vt colligitur ex Deutero. 17. & patet, cum id sit exponere religionem euidentissimo periculo. At iudicare an Rex pertrahat ad hæresim vel infidelitatem, necne, ad Pontificem pertinet.

Quartò, quando Reges, & Principes ad Ecclesiam veniunt vt Christiani fiant, recipiuntur cum pacto expresso, vel tacito sua subiiciendi sceptra Christo, & seruandi religionem ac defendendi, etiam sub pœna perdendi regni. Non enim, idoneus Baptismo qui minimè paratus est Christo seruire, & propter ipsum, amittere quidquid habet [aa] Luc. 14. Ergo quando fiunt hæretici, vel religioni obsunt, possunt ab Ecclesiâ iudicari & deponi.

aa *Si quis venit ad me & non odit patrem.*

Quintò, data est potestas Petro necessaria omnis, ad pascendum gregem Christi. Hæc autem triplex est in pastore, scilicet arcendi lupos, cohibendi arietes, ne cornu lædant & ouibus conuenientia tribuendi pascua. Ergo si aliquis

Princeps Christianus fiat aries insolens, aut lupus id est hæreticus coerceri à Papa poterit.

Idem exemplis probatur.

CAP. VIII.

OZIAS [a] Rex cum Sacerdotum vsurparet officium è templo eiectus, & regno priuatus est iuxta illud Leuit. [b] 13. *Quicumque maculatus fuerit leprâ, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, solus habitabit extra castra:* Legimus autem Oziam habitasse extra vrbem in domo solitaria, & filium eius iudicasse populum terræ. Ergo separatus [c] est arbitrio Sacerdotis.

Athalia iussu Ioiade interfecta est, qui Ioan. creauit in Regem. [d] Ambrosius excommunicauit Theodosium, coëgit publicam inire pœnitentiam, & legem ciuilem condere.

[e] Gregorius 2. Leoni Iconomacho à se excõmunicato prohibuit vectigalia ab Italis solui: quod factum nulli reprehendunt, multi laudant. Zacharias [f] Childericum Regem Franciæ deposuit, Pipinum substituit. Leo 3. Imperium transtulit à Græcis, ad Germanos, de qua [g] re infra. Gregorius 5. sanctionem edidit de imperatore eligendo per septem Germaniæ principes quæ adhuc seruatur. Gregorius 7. Henricum 4. Imperio priuauit, omnium bonorum applausu. [h] Innocent. 3. Othonem 4. [i] Innocentius. 4. Fridericum 2. [k] Clemens 6. Ludouicum 4.

[a] 2. *Paralip.* 26.

[b] *v.* 44. *&* 46.

[c] 2. *Paral.* 23. *&* 4. *Reg.* 11.

[d] *apud Theodor.* 5. *hist.* 17.

[e] *Vt etiam fatentur Magdeburgenses Centur.* 8. *cap.* 10. *in vitâ Gregorij* 2.

[f] *Cedren. in Leone Isauro Paul. Diac.* 6. *cap.* 5 *de gestis Lõgobard. Sanctus Bonifacius Episc. Moguntinus epist. ad Zachariam.*

[g] *de Translatione Romani Imperij.*

[h] *apud Blond. Decad.* 2. *lib.* 6.

[i] *in Concil. Lugdun. vacauit tunc Imperium annis* 28. *teste Palmerio in Chronico.*

[k] *Vide Pighium lib. Eccl. Hierar.* 5. *cap.* 14. *&* 15.

Non pugnare cum verbo Dei vt vnus homo sit princeps Ecclesiasticus & politicus simul.

CAP. IX.

PRIMO Melchisedech Rex fuit simul, & Sacerdos Gen. 14. & Hebr.7. Moses summus temporalis princeps Exo. 18. & 32. ac summus Pontifex cap.40. & Leuit.8. Heli similiter 1. Reg. 1. & 4. Iudas, Ionathas, Simon Machabæi item Iosep. 12.antiq. & seq.

Secundò, politica & Ecclesiastica potestas non sunt contrariæ sed vtraque bona, & vna alteri inseruit.

Tertiò magis sunt diuersa pax, & bellum. At vnus Rex præest togatis, & armatis.

Quarto: potest Rex vnus diuersissima legibus, & moribus regere regna.

Quintò qui [l] donauerunt Pontificibus temporalia pij ab omnibus laudantur, qui [m] abstulerunt sacrilegi habentur, qui [n] receperunt, plurimi sanctissimi fuerunt. Denique experiẽtia docet esse necessaria temporalia bona ecclesiæ propter ingratam temporum malitiam.

Iure possideri ab Ecclesia patet, quia dono data, & abundè sufficeret præscriptio 800. annorum.

[l] *vt Carol. Magnus, & Ludouicus Pius.*

[m] *vt Aistulphus Rex Longobard. apud Adonem in Chronic. an. 727. Henricus 4. 5. Otho 4. &c.*

[n] *vt Leo 4. miraculis clarus vide Platinam Leo 10. apud Othonem Frisig. Greor. 7. Cælestin. 5. &c.*

Soluuntur argumenta.

CAP. X.

PRIMVM Math. 20. [a] *Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic.* R. 1. solum instituere hîc Christum meros Ecclesiasticos principes. 2. nõ

[o] *Ado in Chron. an. 727. Pipinus Rauennam, totamque Pẽtapolim S. Apost. Petro, & Paulo tradidit vide Grat. d. 63. & Leonem Hostiens. 1. Chron. Casinens. 9. & lib. 3. cap. 48.*

[a] *v. 25. οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν ἐξουσιάζουσιν αὐτῶν.*

prohibere Episcopis dominatū simpliciter, sed violentum, vt patet ex Græco [b] κατακυριεύσει αὐτῶν.

Secundum Luc. 12. [b] *O homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem inter vos.* Act. 6. [c] *Non est æquum nos relinquere &c.*

Resp. solùm his admoneri principes Ecclesiasticos ne minutis & vilibus officiis se occupēt.

Tertium *Apostolis* [d] (inquit Bernard.) *interdicitur dominatus.* Respondeo loqui de Pontifice vt simpliciter Pontifex est.

Quartum [e] Gregor. 1. anathema dixisse Episcopis iubentibus titulum imponi agro, more fiscali.

Resp. nondum tunc habuisse Ecclesiam politicum principatum, sed possidebat temporalia bona, ad modum quo priuati ciues. quare non erat æquum, si fortè ab aliis occuparetur: propriâ authoritate more fiscali, sibi vendicaret.

Quintum [f] *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

Resp. in Græco haberi τοῖς τοῦ βίου πραγματείαις, quibus nimia significatur cura parandi victus, & proinde negotiationes, & mercemonia, non autem regimen politicum.

Vltimo, Nicol. [g] 1. asserit Christum distinxisse verum regem à Pontifice.

Resp. solùm voluisse dicere non conuenire vt idem sit Pontifex totius orbis, & Imperator. non quòd repugent, sed quia id Christus voluit, ad humilitatem Imperatoris & Pontificis conseruandam.

[b] *ita* 1. *Petri* 2. *Non dominantes in Clericis. μηδ' ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων.*

[b] v. 14. ἄνθρωπε, τίς με κατέστησε δικαστὴν ἢ μεριστὴν ἐφ' ὑμᾶς.

[c] v. 2. οὐκ ἀρεστόν ἐστιν ἡμᾶς καταλείψαντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ διακονεῖν τραπέζαις.

[d] 2. *de Consider.*

[e] 4 *epist.* 44.

[f] 2. *Timoth.* 2. v. 4. οὐδεὶς στρατευόμενος, ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις.

[g] *Epist. ad Michaelem.*

DE TRANSLATIONE
ROMANI IMPERII
à Græcis ad Francos

Aduersus Matthiam Flaccum Illyricum.

LIBRI TRES.

LIBER PRIMVS.

SVMMA.

ROMANVM IMPERIVM A GRÆCIS AD Francos, summi Pontificis authoritate translatum.

Complectitur contradictiones Illyrici in libro suo de translatione Imperij.

CAP. PRIMVM.

PRIMA, [a] *Quod non sit facta per Papas, Imperij translatio à Græcis ad Germanos.* At tùm in libro [b] contra primatum Papæ, tùm in [c] Cēturijs, afferit præcipuum Antichristi miraculum esse, Imperium Romanū ad Carolum, & Francos à Leone translatum.

Secunda, [d] ius in Imperium Rom. Germanos fuisse adeptos: cum ante mille quingentos annos, Arminio Duce, duas eripuerunt Romanis aquilas: atque in huius rei signum, gestatam ab Imperatoribus bicipitem Aquilam. At Centuria. [e] 9. *Aquila Romana* (inquit) *in duo capita statim ab initio huius saculi* (id est ab 800. ad

[a] *Titulus 2. p. primi capit.*

[b] *penè extremo.*

[c] *Centur. 8 c. 10. col. 751.*

[d] *in Epist. dedicatoriâ.*

[e] *cap. 16. col. 621.*

900.) *diuisa est. Nam Carolus Magnus à Leone Pontifice cum consensu Senatus, & populi Romani, Imperator Occidentis, solemni ritu inauguratur, Anno Domini* 801.

Tertia, [f] falsò Gelasium scripsisse Zachariam Papam deposuisse Hildericum Regem, & transtulisse in Pipinum Caroli Patrem Francorum regnum. Verùm Centuriâ [g] octauâ, hoc asserit quod Gelasium scripsisse putat Illyricus.

Quarta, [h] summos Pontifices quondam fuisse seruos atque mancipia Caroli Magni: nunc autem adigi Cæsares ad turpissima oscula pedum. At Centur. [i] 8. *Pipinus* (inquit) *& Carolus filius eius, in terram prostrati, pedes eius* (Stephani Papæ) *osculati sunt, & stapedes eius apprehenderunt, & frænum equi illius tenentes, stratoris officia ei præstiterunt.*

Quinta, [k] Leonem mox electum misisse ad Carolum insignia Papatus, atque vrbis Romæ, & ab eo petijsse sui confirmationem: quod magnum subiectionis signum est. At in Centurijs [l] legimus petijsse Leonem vt aliqui mandarentur à Carolo, qui Romanos, non Carolo, sed ipse astringerent Papæ. Quare [m] Engelbertus iussu Caroli, compulit Romanum populum fidelitatem Pontifici præstare.

Sexta, [n] Leone Bessicano imperante, Italiam fuisse ab Odoacro occupatam. At [o] Centuria 5. scribit sub Zenone.

Septima, [p] Theodoricum Ostrogothum, & nomen, & insignia Imperator Romanorum gestasse. At id negat [q] Centur. 6.

[q] Octaua, Carolo magno imperium donatum ab Irene, antequam à Leone Carolus coronaretur. At [r] Centur. 9. Græcos cõsensisse in Imperium Caroli, quod nequirent mutuare quidquid Leo duntaxat egerat.

[s] Nona, pro figmẽto habet Gregorium 5. cõtulisse decem Germaniæ principibus ius eligen-

[f] *cap.1. p. 9. ait Illyric. hoc haberi in epist. Gelas. ad Anastasium. At is Gelasius obiit anno* 496. *Zacharias verò floruit post an.* 700.
[g] *cap.10. col.706.*
[h] *cap 1. p. 12.*
[i] *cap.10. col.714.*
[k] *ead. pag.*
[l] *Centur.8. cap.10. col.750.*
[m] *vel Agilbertus Abbas sancti Richerij.*
[n] *p. 22.*
[o] *cap.16. col.1526.*
[p] *p. 26. & sequentibus.*
[q] *cap.16. col.840.*
[q] *p.49.*
[r] *cap.16 col. 621.*
[s] *cap.5 p. 89.*

di Imperatorem. At [t] Centur. 10. hoc ipsum, quod arguit, diserte asserit.

[v] Decima, solius Dei titulum esse trãsferre regna, cap. 1. libri sui de transl. At cap. 2. [x]. non semel docet translatum fuisse Imperium Græcorum ad Germanos, per ipsos Imperatores.

Vndecima cap. 1 p. 12. pro absurdo putat trãslatum Imperium à Græcis ad Germanos, & tamen Græcos non esse planè priuatos omni dignitate Imperij. Sed p. 22. numerat quatuor translationes factas à Græcis ad Germanos manente Græcis dignitate imperiali. Quia videlicet non totum imperium, sed altera pars, scilicet Occidentalis, translata est.

[y] Duodecima testatur se ab omnibus sectis, erroribusque à Romano Imperio, & Augustanâ cõfessione damnatis abhorrere. Sed Romanum Imperium (id est [z] Imperator cum electoribus quinque, septem supra cẽtum imperij principibus, liberis ciuitatibus nouem & triginta) damnauit confessionem Augustanam, tanquam hæreticam. Si ergo Illyricus Rom. sequatur Imperium: illum amplecti confessionẽ Augustanam falsum est. Si hanc sequatur, falsum, abhorrere illum ab omni sectâ ab Imperio damnatâ.

[t] *cap. 10. col. 546. Gregorius vndecimo exilij sui mense pristinæ dignitati per Imperatorem restitutus, suam patriam insigni aliquâ dignitate ornaturus, sanxit vt penes solos Germanos eligendi Regem esset ius, ac potestas: qui post diadema à Rom. Pontifice acceptum, Imperator, & Augustus appellaretur.*

[v] *p. 5.*

[x] *p. 21.*

[y] *ad finem dedicatoriæ Epistolæ.*

[z] *teste Cochlæo (qui præsens in eo conuentu interfuit) in actis Lutheri an. 1530. et 1531.*

Mendacia Illyrici.

CAP. II.

PRIMVM, Politici gloriam magistratus, atque dignitatẽ, per Lutheri doctrinam esse illustratam, & contra seductores ac oppressores vindicatam. Sed cuius sunt ergo, nisi Lutheri hæc verba? [b] *Principes mundani sunt: mun-*

[a] *non procul ab initio libri.*

[b] *libro de potestate sæculari. Item lib. quem inscripsit: duo Cæsarea mandata discordantia, &c. Oro (inquit) omnes pios Christianos vt dignentur simul precari Deum pro hu-*

dus autem inimicus est Deo. Idcirco & ipsos quoque facere oportet quod Deo contrarium &c. Quapropter semper pessima, quæque ab ipsis expectanda sunt, & parum boni sperandum est. atque his simillima plurima. Quis breuissimo tempore [c] in vnâ Franconiâ 292. arces impetu rusticorum demolitus est, nisi motus doctrinæ Lutheri, consequutâ supra centum millium rusticorum strage? Quis ferro, & flamma Germaniæ, Galliæque plurimos populos in magistratum armauit, nisi Lutheri impudentissimi fœtus?

Secundum, fuisse falsâ persuasos doctrinâ principes ante Lutherum, se professionem prorsus agere profanam, atque carnalem: vt propemodum de suâ salute desperare cogerentur. Eóque, non rarò desertâ sibi diuinitùs statione mandata, se se in ignauum monasteriorum ocium abdicasse. At nunc ex verbo Dei certò se scire, nihil Deo gratius, nihil hominibus vtilius esse vita seculari. Sed quis probatus in Ecclesia Catholica docuit author genus vitæ politicum Deo parum esse gratum? vbi, quæso, Deus mandauit politicos viros, atque magistratus nusquam se officio abdicare posse, si consulant saluti? Et quis vituperat Basilium, Nazianz. Martinum, Gregor. Lotharium [d] Cæuredum, ac similes qui aut ab Academia, aut militia, aut foro, & prætura, vel Imperio aut regno ad monachatum euolarunt? Quis vocat otium, nisi otiosus, ieiunijs, orationibus, laboribus, ærumnis, concionibus, & his similibus vacare? Denique, vbinam illud Dei verbum, quo intelligamus nihil supremo numini gratius vita sæculari. Mentitur fortasse Christus cum ait, [e] *si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes*, &c.

Tertium, conculcatos anteà seductorum pedibus principes: nunc se verbo Dei cernere, super omnem exaltatos animam. Sed nec verbis, nec factis Principes, & magistratus concul-

iusmodi miseris, & excæcatis principibus. Quare Carolus V. Imperator in edicto wormiaensi edito an. 1521. consensu Principum omnium Imperij loquens de Luthero. Obedientiam (inquit) *& regimen omne prorsus tollit, &c.*

[c] *an. 1525.*

[d] *Merciorum regē in Britannia, de quo vide Bedam lib. 5 histor. Anglic. 20.*

[e] *Matth. 19. v. 21.* εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, ὕπαγε, πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, *&c.*

cantur apud nos. quis noſtrûm vt Lutherus eos vſquam vocauit fatuos, inſanos, Turca peiores? Iam verò quoniam Dei verbo Illyricus audiuit politicum principatum præeſſe, Eccleſiaſtico, vt inde colligat exaltatos ſuper omnem animam principes?

Quartum, ſeueriſſimè Deum mandaſſe, dici debere nunquam fædiùs, ac diutius vexatum imperium, & Germaniam quam à Pontifice Romano: vt etiam omnes hiſtoriæ copioſiſſimè narrant, vbi huiuſmodi mandatum? niſi fortè Lutherum Deum, mandatum, ex ſuis libris habeant. Germaniam verò fidem ſuſcepiſſe Catholicam Pontificis operâ Romani, ne quidem [f] Illyricus negat, accepiſſe ab eod. Pontifice munus & officium eligendi imperatorem, negat quidem ille: ſed fatentur electores ipſi in [g] inſtrumẽto publico ad Nicolaum 3. Quod ſi vnum, aut alterum detrahas ex hiſtoricis, inuectiuas potius quam hiſtorias agitantibus, omnes penè alij narrant ornatam Germaniam à Pontifice Romano.

[f] *Cent. lib. 2. c. 10. col. 624. & Cent. 7. cap. 2. col. 31. & Centur. 8. & cap. 2. col. 2.*

[g] *infra lib. 3. cap. 3.*

Quintum, iniuſte Henricum 4. Imper. à Papa oppreſſum. Sed hoc mendacium [h] refellunt fermè omnes ſcriptores.

[h] *vide ſup.*

Sextum, nihil egiſſe Concil. Trident. de cleri reformatione. Sed fortaſſe non legerat Illyricus Concil.

Septimum, fuiſſe oblatum ab vniuerſo imperio libellum Adriano Papæ an. 1523. quo cẽtum, vt ait Illyr. importabilia grauamina continebantur. Sed vt docet [i] Cochlæus, cum in Comitiis Norimberg. fuiſſent propoſita quædam grauamina: quibus non ſolùm à Romana curia: verùm etiam à Germaniæ prælatis videbatur grauari natio Germanica, ea occaſione Lutherani librum ediderunt de centum grauaminibus Germaniæ.

[i] *ſup. an. 1523.*

Octauum, profitetur ſe eam religionem cole-

re, quam Apoſtoli, primitiua Eccleſia, & Auguſtana confeſſio ſectati ſunt. Sed peccatum Originale eſſe ſubſtãtiam, & hominem totum peccatum, manifeſtè pugnant cum ſacra ſcriptura, primitiua Eccleſ. & ipſa confeſſ. Auguſtana: vt plurimi non ſolum Catholici, ſed Lutherani etiam hunc errorem certiſſimis rationibus lapidauerint certatim, & hæc quidem mendacia, in dedicatoria Epiſt. Ex cæteris (quæ in libro innumerabilia) hęc pauca notabimus 1. fingi à nobis Carol. magnum ignoraſſe Papę Conciliũ de imperatoria dignitate illi conferenda. At reuera neſciuiſſe, tradunt fide digniſſimi authores [k] Eginarthus, [l] Abbas Vſpergen. Ioannes [m] Cuſpinianus ab Illyrico laudatus, [n] Ioannes Auentinus deliciæ Illyrici, & Albertus [o] Krantzius Germanus. 2. Fingi quoque coronationem Caroli in Imperatorem factum die Natali Chriſti. Sed penè omnium [p] vocibus, pluriſmis oculatis teſtibus ea die accidiſſe conſtat 3. falſum dici contra Annonium, ſiue Aimoinum fuiſſe à Zacharia regnum Francor. in Pipinum tranſlatum, depoſito Hilderico. Nam Annonius [q] *Pontifex* (inquit) *data authoritate ſua iuſſit Pipinum regem inſtitui.*

[k] *teſtis oculatus: Auguſti* (inquit) *nomen primo tantùm auerſatus eſt, vt affirmaret ſe eo die, quamuis præcipua ſolemnitas eſſet, Eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi Pontificis Concilium præſcire potuiſſet. in vitâ Caroli.*

[l] *in Chron. Dum ante Confeſſionem B. Petri Apoſtoli ab oratione ſurgeret nihil minus ſperanti. Leo Papa coronam impoſuit, & Imperatorem, Romanum pronuncianit.*

[m] *in vitâ Caroli.* [n] 4. *Annal. Boiorum p.* 345. [o] *lib.* 2. *Saxoniæ* 18.

[p] *Annales Francor. tempore Caroli ſcriptæ, Eginarth. in Caroli vitâ, Paulus Diaconus* (*li.* 23. *rerum Romanorum*) *Caroli æqualis Rheginо* 2. *Chronic. Ado. in Chro. ætat.* 6. *Aimoin.* 4. *de geſtis Francor.* 90. *Vrſperg. in Chron. anni* 801. *hoc teſtantur.*

[q] 4. *de geſt. Francor. Annal. Franc. Eginarth. Rheg. ſupra Lambertus Schafnaburg. in hiſtoriâ Germanicâ, Sigibertus in Chronico, Hermannus Contractus in Chronico, Marianus Scotus* 3. *Chron. Vrſperg. in Chron. Friſingenſis* 5. *hiſt.* 22. *Krants.* 1. *Metrop.* 14.

Refelluntur Illyrici prolegomena.

CAP. III.

PROLEGOMENA Illyrici in variis consumuntur fragmentis diuersorum recitandis authorum: ex quibus colligit ante quadringentos annos, inter Adrianum 4. & Fridericum 1. fuisse litigatum, *Vtrum Beneficio Papæ Germani Cæsares imperarent*: & tandem negatiuè conclusum. Sed etsi controuersia quædam eo tempore agitata fuerit, *essetne Romanum Imperium summi Pontificis feudum*: num tamen authoritate Pontificis fuerit à Græcis ad Germanos translatum, non venit eiusdem tunc in controuersiam.

Primò autem, Illyricus producit narrationem [a] Radeuici (quem falso vocat Othonem Frisingensem. Etsi enim Otho rei interfuerit, tamen data opera hãc narrationem prætermisit) quâ legatio continetur duorum Cardinalium à Pontif. Adriano ad Fridericum Imperatorem cui Illyricus iungit fragmentum Epistolæ eiusdem Adriani, non totam, vt facilè persuaderet in ea Epistola voluisse Pontificem se demonstrare Imperij Romani authorem: neque aliud Imperium esse, quam beneficium, seu feudum Ecclesiæ Romanæ. Nos verò eum cum suis partibus omnibus, subiiciemus oculis: vt cuiuis facilè clareat, obiter tantùm Imperii mentionem haberi, scopum verò tendere, vt moneret Imperatorem Pontifex officij, in sacrilegis hominibus puniendis.

[a] *lib. 1. de gestis Friderici 8.*

EXEMPLVM EPISTOLÆ Adriani quarti ad Fridericum primum.

ADRIANVS *Episcopus seruus seruorum Dei, Dilecto filio Friderico illustri Romanorum Imperatori salutem, & Apostolicam benedictionem. Imperatoriæ maiestati, paucis retroactis diebus, recolimus scripsisse illud horrendum, & execrabile facinus, & piaculare flagitium tempore nostro commissum in Teutonicis partibus, sicut credimus aliquando intentatum, excellentiæ tuæ ad memoriam reuocantes, non sine grandi admiratione ferentes, quod absque dignâ seueritate vindictæ, vsque nunc transire passus sis tam pernicioſi sceleris feritatem. Qualiter enim venerabilis frater noster E. Lundonensis Archiepiscopus dum à sede Apostolicâ remearet, à quibusdam impijs & sceleſtis, quod sine grandi mœrore non dicimus, in partibus illis captus fuerit, & adhuc in custodiâ teneatur: Qualiter etiam in ipsâ captione prædictâ, viri impietatis, semen nequam, filij scelerati, in eum, & in suos euaginatis gladijs violenter exarserint, & eos ablatis omnibus, quam turpiter, atque inhoneſtè tractauerint, & tua Sereniſsima Celsitudo cognoscit, atque ad longinquas & remotiſsimas regiones fama tanti sceleris iam peruenit. Ad cuius vtique vehementiſsimi facinoris vltionem, sicut is cui bona placere, mala verò displicere, credimus, constantius exurgere debuisti, & gladium, qui tibi ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum est, ex diuinâ prouisione, conceſſus, in cernicem deſæuire oportuit impiorum, & grauiſsimè conterere præsumptores. tu verò ad ipsum ita diſsimulare diceris, sæuitiam neglexiſſe, quòd eoſdem non est quare pœniteat commiſisse reatum: quia impunitatem sacrilegij quod geſſerunt, iamiam sentiunt inueniſſe, cu-*

tus quidem dissimulationis, & negligentiæ causam penitus ignoramus: quoniam nos in aliquo serenitatis tuæ gloriam offendisse, conscientiæ scrupulus nostrum animum non accusat: Sed personam tuam sicut charissimi & specialis filij nostri, & principis Christianissimi, quem in Apostolicæ confessionis petrâ non ambigimus, per Dei gratiam solidatum, sincerâ semper dileximus charitate, & debitæ tractauimus benignitatis affectu. Debes enim glorioſissime fili, ante oculos mentis reducere, quam gratanter, & quam iucundè alio anno mater tua sacrosancta Romana Ecclesia te susceperit: quantâ cordis affectione tractauerit, quantam tibi dignitatis plenitudinem contulerit, & honoris: & qualiter imperialis insigne coronæ libentissimè conferens, benignissimo gremio suo tuæ sublimitatis apicem studuerit confauere: nihil prorsus efficiens, quod regiæ voluntati vel in minimo cognosceret obuiare. neque tamen pœnitet nos desideria tuæ voluntatis in omnibus impleuisse, sed si maiora beneficia excellentia tua de manu nostrâ suscepisset, si fieri posset, considerantes quanta Ecclesiæ Dei, & nobis per te incrementa posint, & commoda prouenire, non immeritò gauderemus. Nunc autem quam immensum facinus, quod in contumeliam vniuersalis Ecclesiæ, & imperij tui nosciturr etiam commissum, negligere, ac dissimulare videris, suspicamur vtique, ac veremur ne fortè in hanc dissimulationem, & negligentiam propter hoc tuus animus sit inductus, quod suggestione peruersi hominis zizania seminantis aduersus clementissimam matrem tuam sacrosan. Romanam Ecclesiam, & nos ipsos indignationem (quod absit) aliquam conceperis, vel rancorem. Ob hoc igitur, & ob alia negotia, quæ cognoscimus imminere, duos de melioribus, & charioribus, quos circa nos habemus, dilectos scilicet filios nostros Bernardum sancti Clementis presbyterum, Rolandum sancti Marci presbyterum Cardinalem, & Cancellarium nostrum viros vtique religione, prudentia, & honestate conspicuos, Serenitati tuæ de latere nostro ad præsens duximus destinandos, excellentiam tuam rogantes attentius, quate-

nus eos tam honorificè, quam benignè recipias, honestè tractes, & ea quæ ipsi super hoc, & super alijs ad honorem Dei, & sacros. Romanæ Ecclesiæ, ad decus etiam, & exaltationem Imperij proposuerint dignitati, sicut si ab ore nostro procedant, absque vlla hæsitatione suscipias, & ipsorum verbis, tanquam si ea contingeret nos proferre, fidem non dubites adhibere.

Secundo, refert [b] ex Radeuico, Imperatorem, ac principes ad illa verba, *Si maiora beneficia excellentia tua de manu nostra suscepisset*, &c. ac si diceretur Imperium Germanorum feudum R. Pontificis esse, mirum in modum exanduisse, & abfuisse parum quin Legati illicò trucidarentur, qui sine honore, & literis remissi iussi sunt breuissima via Romam repetere, seueriſſimeque cautum ne ad vllum Germaniæ Prælatum diuerterent. Interim scripsisse Imperatorem literas graues ad quoscumque Imperio Romano subiectos, quibus conqueritur se à Romano Pontifice affectum iniuria, dum is Imperij coronam, suum appellarit beneficium. Sed, si hæc narratio vera sit, multa quæ Fridericum damnent, nulla quæ Papam accusent, habet. [b] *sup. cap. 10.*

Primò ad tam horrenda sacrilegia (de quibus in Epist. Papæ) tacuisse Imperatorem 2. vnius ambiguitate verbi, cuius propria significatio, nihil offensionis redoleat, adeò grauem excitasse Tragœdiam 3. Legatos summi Pontif. indignè contra ius gentium tractasse 4. leues prorsus ineptiunculas contra se afferre: primam, Imperium à solo Deo esse: quia Christus in passione duobus gladiis necessarijs regendum orbem subiecerit. Nam vnum gladiorum Christus non dedit Cæsari, sed vtrumque Petro, verum vt ait [c] Bernard. materialem non euaginandum manu, sed nutu Pontificis manu militis ad iussum Imperatoris. Secundam Dixisse Petrum: *Regem*

honorate. Quare diuinæ institutioni resistere, quicumque dixerit Imperialem dignitatem suscipi à Papa, egregiè sanè. Non erit fortassè honorandus, qui ab alio regnum susceperit, aut illi iniuria fit, si dicatur ab alio accepisse? Ecquis omnium ignorat humana regna iure gentium constitui, dum populi transferunt, communi consensu, in vnum aliquem, potestatem suam, vt etiam [d] leges Imperatoriæ testantur? quomodo ergo erunt regna immediatè à Deo? Si Fridericus nihil acceperat à Papa, quare [e] petierat ab illo in Imperium prouehi?

[d] *l. ex hoc iure gentium. ff. de Iustitiâ, & Iure.*

[e] *per Oratorem suum Episcop. Bamberg. apud Krants. 6. Saxon. 16.*

Tertiò, ponit Epistolam quandam Adriani ad Archiepiscopos Mogunt. Treuirens. & Colonienſem, de qua (quod tota nostra sit) nihil est quod dicamus: nisi mëtitum Illyricum, dum ait Adrianum asserere Imperium esse Romani beneficium Sacerdotis: Augustúmque precariò dumtaxat regnare. Si quidem in tota Epistola, nusquam nomen beneficij legitur: & Pontifex docet, habere Augustum regis nomen ex electione suorum principum, nomen Imperatoris consecratione à Pontifice collatâ.

[f] *Generat. 30.*

Quartò, Epistolam Friderici ad Adrianum [f] ex Nauclero. Sed si Friderici est, illi maximè obest. Nam in ea scribit ante Constantini donationem, nihil regalium habuisse Syluestrum: Ex quo apertè agnoscere videtur Fridericus veram, atque legitimam Cõstantini donationem, apud Gratian. [g] d. 96. At hæc complectitur omnes Occidentalis Imperij prouincias, vnde ergo postea Occidëtale Imperiũ ad Carolum & eius successores peruenit, nisi ex beneficio Papæ?

[g] *can. Constantinus.*

Sextò, legationem populi Romani ad Fridericum & Friderici responsionem. Sed neque id ordine suo ponit Illyricus. (Nam hæc legatio missa fuit cum appropinquaret ad vrbem Fridericus coronationis gratia: contentio verò cum Adriano de Imperio, orta est sequenti anno)

anno.) Neque ad rem facit, non enim agitur de populi authoritate, ſed Papæ, qui etiam inuito populo coronauit Fridericum.

Septimò profert fragmentum Epiſt. Adriani ad quoſdam Germaniæ Epiſcopos, & eorum reſponſionem ad Papam. Sed cum nihil contineant niſi ſuperiorum repetitionem, vnum erit aduertendum mentiri Illyricum: cum ait Germaniæ Prælatos illud figmentum Papale reprehendere: & monere Pontificem, vt id noua ſcriptione reuocet. Hæc enim ſunt Prælatorum verba: apud Radeuicum libro 1. cap. 15. & 16. hiſtoriæ.

De cætero ſanctitatem veſtram ſuppliciter rogamus, & obſecramus, vt noſtræ parcatis infirmitati, vt quæ magnanimitatem filij veſtri ſicut bonus paſter leniatis ſcriptis veſtris, ſcripta priora ſuauitate mellita dulcorantibus.

Octauò, Adrianum Epiſt. ad Fridericum recantaſſe, atque ſuſtuliſſe ſuum papale figmentum, pollicitumque ſe poſtea Imperij iura minimè violaturum. Sed hoc falſum eſſe patet ex

h *ipſa Adriani Epiſtola apud Radeuicum 1. cap. 22.*

h *apud Radeuicum 1. cap. 22.*

Ex quo vniuerſalis Eccleſiæ curam, Deo, prout ipſi placuit diſponente, ſuſcepimus: ita in cunctis negotiis magnificentiam tuam honorare curauimus, vt de die in diem animus tuus magis, ac magis in amore noſtro, & veneratione ſedis Apoſtolicæ debuiſſet accendi, vnde ſine grandi admiratione non ferimus, quod cum audito ex ſuggeſtione quorumdam animum tuum aliquantulum contra nos fuiſſe commotum, duos de melioribus, & maioribus fratribus noſtris Rolandum ſcilicet Cancellarium tituli Sancti Marci, & Bernardum tituli Sancti Clementis presbyteros Cardinales, qui pro tuæ maieſtatis honore, in Romana Eccleſia ſoliciti ſemper extiterant, pro voluntatis tuæ cognitione ad tuam præſentiam deſtinauimus, aliter quam Imperialem decuerit honorificentiã, ſunt tractati. occaſione ſiquidem cuiuſdam verbi, quod eſt, Beneficium, tuus animus (ſicut dicitur) eſt

commotus, quod vtique nedum tanti viri, sed nec cuiuslibet minoris animum meritò commouisset. Licet enim hoc nomen, quod est, beneficiū, apud quosdā in alia significatione, quā ex impositione habeat, assumitur, tunc tamen in ea significatione accipiendū fuerat, quam nos ipsi posuimus: & quam ex institutione suā, noscitur retinere: hoc enim nomē ex bono, & facto est editum, & dicitur beneficium apud nos non feudum, sed bonum factum, in qua significatione in vniuerso scripturæ sacræ corpore inuenitur, vbi ex beneficio Dei, non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione, & bono facto ipsius gubernari dicimur, & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit quod nos ita benè, & honorificè Imperialis dignitatis insigne capiti tuo imposuimus, vt bonum factum valeat ab omnibus iudicari, vnde quidam verbum hoc, & illud scilicet, contulimus tibi insigne Imperialis coronæ, à sensu suo visi sunt ad alium retorquere: non ex merito causæ, sed de voluntate propria, & illorum suggestione, qui pacem regni, & Ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum, Contulimus nihil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est imposuimus. Sanè quod post modum personas Ecclesiasticas à debita sacrosan. Rom. Ecclesiæ visitatione (vt dicitur) reuocare iussisti, si ita est, quam inconuenienter actum sit, tua, fili in Christo charissime discretio, vt credimus, recognoscit. Nam si aliquid apud nos amaritudinis habebas, per nuncios, & literas tuas fuerat intimandum, & nos honori tuo curauissemus sicut filij charissimi prouidere. Nunc igitur ad commonitionem dilecti filij nostri Henrici Baioariæ, & Saxoniæ Ducis, duos de fratribus nostris Henricum tituli S. Nerei, & Achillei, & Hiacinthum S. Mariæ in Cosmedin Diaconum Cardinales, prudentes siquidem, & honestos viros ad tuam præsentiam destinauimus: celsitudinem tuam monentes, & hortantes in Domino, quatenus eos honestè & benignè recipias, & quod ab eis ex parte nostra tuæ magnificentiæ fuerit intimatum, à sinceritate cordis nostri nouerit tua excellentia processisse, ac per hoc cum eisdem filijs nostris me-

diate iá dicto filio noſtro Duce, ita ceſſitudo tua ſtudiat conuenire. vt inter te, ac matrem tuam ſacroſ. Roman. Eccleſiá nullius diſcordiæ ſeminarium debeat remanere.

Nono, cum Adrianus rurſus excitato diſſidio Fridericum excommunicaſſet, paulò poſt teſte Abbate Vrſperg. extinctus eſt à muſca, quæ in os Pontificis haurientis aquam ex fonte intrauerat. Sed Abbas Vrſperg. ex quodam Ioanne Cremonenſi authore obſcuro, atque ſchiſmatico id refert, Cremonenſis ex incerto rumore. At Radeuicus libro 2. cap. 43. Honorificè deſcribit obitum, ac ſepulturam Adriani, ſicut & alij qui vitas Pontificũ ſcripſerunt. Propterea ſuſpicatur Nauclerus generatione 39. narrationem Cremonenſis affectu potius, quam veritate conſcriptam. Fridericus autem cum diu Adrianum & Alexandrum eius ſucceſſorem vexaſſet: tãdem Caliſto Antipata (quem fouerat) abdicare coacto, ſe vero Pontifici Alexandro ſubiecit vt ſcribunt Vrſp. in Chron. Platina in Alexandro, Gulielmus Epiſcopus Tyri 18. belli ſacri 26. &c. Nihilominus dũ iter Hieroſolymitanum ageret, in gurgitem fluuii equo ſtimulato proſiliens, in monumento ſuffocatus eſt, ita Gulielmus Neubrigenſis huius temporis author 4. rerum Anglicar. 13.

a *Conſtantino mortuo, an. dom. 341. Occidentale Imperium Conſtantino Iuniori & Conſtanti: Orientale Conſtantio ceſſit, qui mortuis fratribus an. 353. ſolus Imperauit, Conſtantio Iulianus, Iuliano Iouianus ſucceſſit poſt Iouinianum Valentinianus Imperio Occidentis cõtentus Valenti fratri Orientale attribuit an. 368. atque ab hoc tempore vſque ad Auguſtulũ Imperatores diuerſi diuiſum Imperium tenuerunt.*

Imperium Rom. tranſlatum à Græcis ad Francos ſummi Pontificis authoritate hiſtoricorum teſtimoniis probatur.

CAP. IIII.

ROMANOR. Imperium à Conſtantini tempore, in [a] duas diuiſum partes, vnam Orientis, alteram Occidentis, pluribus vt plurimum regebatur Auguſtis, rarò verò ab vno. At Auguſto dulo abdicare coacto

Odoacro Herulo, & Occidétis Imperio à Barbaris occupato, ſolùm in Oriente regnarunt Imperatores vſque ad Iuſtiniani tempora, qui cùm Italiam, atque Africam recuperaſſet, tandem an. Domini 556. iterum ab vno Imperatore Oriens Occidénſque adminiſtratus eſt. Sed cum Imperator Græcus per Exarchos Italiam regeret, nec eam ab infeſtationibus Longobardorum iam poſſet tueri, ann. 801. ipſo Natali Domini, creatus eſt nouus Imperator Carolus Magnus, ac per hoc tranſlatum omninò Occidentale Imperium à Græcis ad Francos, Leonis tertij ſolâ, aut primariâ ac præcipuâ authoritate. Hanc tranſlat. ita factam fuiſſe probatur. Primò hiſtoricorũ communi conſenſu. Zonar. [b] *Roma* (inquit) *prorſus Francipotiti ſunt Carolo à Leone coronato, & Romanorũ Imperatore appellato*: nec aliquam facit populi, aut Senatus mentionem. [c] Cedren. *Venerunt etiam à Carolo, quem Leo Papa Romæ coronauerat, legati ad Irenem, eam Carolo in vxorem ambientes.* Paulus [d] Diacon. *Cæterum* Leo *Vicem Carolo recompenſans in Imperatorem coronauit eum in templo S. Petri Apoſtoli perungens oleo à capite vſque ad pedes, & circumdans Imperatoriâ veſte, atque coronâ.* 8. Kal. Ianu. indict. 9. [e] Eginarthus. *Auguſti nomen primò in tantùm auerſatus eſt, vt affirmaret ſi eo die, quãuis præcipua ſolemnitas eſſet, Eccleſiam non intraturũ, ſi Pontificis conſilium præſcire potuiſſet.* Annales Frãcor. incerti authoris, ſed omnium conſenſu fideliſſimi, & qui Caroli tempore vixit. *Ipſe autẽ eũ die ſacratiſsimo Natalis Domini ad Miſſarũ ſolẽnia Baſilicam ſancti Petri Apoſtoli fuiſſet ingreſſus, & coram altari vbi ad orationem ſe inclinauerat, aſſiſteret, Leo Papa coronam capiti eius impoſuit, cuncto Romanorum populo acclamante Carolo Aug. à Deo coronato, magno, & pacifico Imperatori Roman. vita, & victoria*: [f] Aimoinus 4. de geſtis Franc. 90. Ado. Viennẽſis [g] in Chron ætate 6. Rheginо [h]

[b] *author Græcus tom. 3. Annal. in vita Conſtantini & Irenes.*
[c] *in compendio hiſtoriar.*
[d] *lib. 23. rerum Roman.*
[e] *ſupra.*
[f] *ſiue Ammonius vixit tempore Ludouici pij vt ipſe indicat li. 5. cap. 17.*
[g] *tempore nepotum Caroli mag. floruit.*
[h] *ante annos 600.*

Abbas Prumienſis lib. 2. Chron. [l] Hermannus Contractus, in Chronico an. 801. [k] Marianus Scotus, *Carolus hoc tempore à Romanis Auguſtus appellatus eſt.* quomodo verò hîc ſe habuerit Papa ex aliis verbis Mariani, loquētis de alio Imperatore intelligetur. *Anno* (inquit) 875. *Carolus Caluus Romam perueniens datis Ioanni Papæ magnis muneribus, Imperator factus eſt.* [l] Lābertus Schafnaburgenſis in hiſtoria Germanica: Otho [m] Epiſcop. Friſingenſis, *anno ab incarnatione Domini* 801 *ab vrbe condita* 1552 *Carolus Rex,* 33. *Regni ſui anno, à ſummo Pontifice, ablato patricij nomine coronatus, omni populo tunc acclamante, Carolo Auguſto à Deo coronato magno, & pacifico Imperatori vita, & victoria,* 69 *Imperator ab Auguſto & Aug. vocatur. Ex hinc regnum Rom. quod à Conſtantino vſque ad id tempus in vrbe regia, ſcilicet Conſtātinopoli fuit, ad Francos deriuatum eſt.* Godefridus Viterbienſis in [n] Pantheo, Conradus Abbas [o] Vrſpergenſis in Chronico, Ludolphus Bambergenſis in proëmio, & cap. 1. libri de iuribus imperij, Mathæus Palmerius [p] in Chronico. [q] Blondus: *Leo Pontifex populi Romani ſcito, precibuſque, Carolum Imperatorem Romanor. declaratum diademate, vetuſto Imperatorū capitis geſtamine, coronauit.* Blondum [r] ſequuntur Æneas Syluius, & [s] Platina, atque hic primùm inuenitur, ſcitum populi Romani in creatione Caroli Imperatoris: ſed non refertur ad eum creandum, ſed creationem eius à Pontifice impetrandā, id enim ſignificat adiuncta vox, *precibuſque*: Trithemius in catalogo ſcriptorum, Antoninus [t] p. 2. tit. 14. cap. 4. hiſtor. Naucle. Ge-

[l] *Monachus ſancti Galli floruit ante* 900. *an.*

[k] *Hermanni æqualis lib. 3. Chronic.*

[l] *Floruit circa an.* 1120. *nihilque addit ad verba Mariani, verùm cum de Otho. 1. loquitur apertè declarat à Papa fuiſſe Imperatorem creatum.*

[m] *Floruit ante an.* 400. *Henrici 4. neposfuit, Henrici 5. Sororius, Conradi Regis frater vterinus, & Friderici 1. patruus teſte Radeuico 2. de geſt. Frāc.* 11.

[n] *Chronico vniuerſali, hic author fuit Paulo poſterior Othone.*

[o] *fermè æqualis Godefridi.*

[p] *an.* 801.

[q] *Decad. 2. lib. 1.*

[r] *in Abbreuiatione Blondi.*

[s] *in Leone 3.* [t] *Carolus magnus primus Francorum Romanum Imperium accepit conferente ſibi illud, ſeu confirmante Leone Papa. Dixit confirmante quia iam magnam partem Occidentalis Imperij tenebat Carolus titulo Regis Francorum, & Longobard. voluit enim Pontifex non ſolum dare ius ad ea quæ nondum habebat, ſed etiam confirmare quæ iam Carolus habebat.*

neratione 27. Robertus Gaguinus 4. compendij de geſtis Francor. Philippus Bergomẽſis 11. Supplementi Ioannes [u] Cuſpinianus. *Cùm magno illo Natalis Saluatoris noſtri die templum oraturus* (Carolus) *ingrederetur, nihil minus ſperanti, Leo Pontifex coronam capiti ſuo impoſuit, Imperatoremque Roman. pronunciauit, cui ab vniuerſo populo acclamatum eſt. Carolo piiſſimo Auguſto, à Deo coronato &c.* Iacobus wympfelingius epitome rerum Germanicar. c. 9. Polydorus Virgilius 4. de inuent. [x] rerum. Raphael Volateranus 3. Geographiæ, Donatus Acciaiolus in Carolo, Albertus Krãtzius 2. Saxoniæ 18. *Tum verò in die natali Saluatoris primo poſt 800. inchoato anno, cũ nihil tale Carolus aut cogitaret, aut ſperaret, magiſque recuſaret alienum inuadere Imperatoris honorem, infra Miſſarũ ſolemnia, dùm ante confeſſionem B. Petri Apoſtoli ab oratione ſurgeret, Papa ei coronam impoſuit, & Imperatorem Romanum pronunciauit.*

[u] *in vitâ Caroli.*

[x] *aliâs* 10.

Confeſſione Principum probatur tranſlatum Imperium à Græcis ad Francos per Rom. Pontificem.

Cap. V.

MIchael [a] Cõſtãtinopolitanus Imperator miſit ad Carol. magn. Imp. legatos ad firmandam inter vtrumque pacem. capitula verò pacis voluit etiam à Leone Papa probari. Intelligebat enim tunc demum ſtabilem pacem futuram ſi is approbaſſet cuius authoritate Carolus imperaret.

Carolus [b] Mag. cum teſtamento Imperium diuiſiſſet filijs, voluit à Leone confirmari, vt non ſine conſenſu eius à quo acceperat, Im-

[a] *teſte Adone in Chronic an.* 811.

[b] *Ado ſup 6. ætat. Aimon. 4. de geſt. Franc. 94. Annal. Franc. ſup.*

perium traderet.

Lotharius Ludouici filius, & Caroli nepos, *Ludouicum filium suum* (inquit Ado) *per se regem Italiæ fecit, sed cum Imperatorem quoque illum fieri vellet, Romam ad Pontificem misit, per Drogonem patruum suum, atque eo modo Ludouicus iunior à Sergio Papa Imperator creatus est.*

Carolus Caluus, cum esset ei cum fratre contentio de Imperio mira celeritate Romam accurrit, & multis magnisque muneribus aditum sibi ad Pontificis gratiam, ac per eam ad Imperium patefecit, teste [c] Cuspiniano in Carolo Caluo.

[e] *idem Rhegino 2. & Marianus Scotus 3. Chronici.*

Arnulphus à Formoso Apostolica sede præsule magno honore susceptus, ante confessionem S. Petri coronatus, Imperator creatus est, inquit Rhegino, Idem habet de Othone primo.

Albertus [d] Imperator, à Bonifacio octauo vehementer contendit vt Imperium sibi, & hæredibus confirmaret, id quod minimè impetrauit.

[d] *apud Albertum Argentinensem qui illo ipso tempore vixit.*

Henricus 7. succedens Alberto *mittit* (inquit Conradus [e] Vercerius) *in oram Narbonensem qui à Clemente postulent vt ratam sibi facere subrogationem pro more dignaretur.*

[e] *libro de gestis Hẽrici 7.*

Ludouicus 4. tametsi perpetuas cum Rom. Pontifice inimicitias egerit: tamen numquam destitit [f] occasiones quærere, quibus in gratiam Pontificis rediret, & ab eo impetraret restitutionem Imperij, teste Alberto Argentinen si in Chronico.

[f] *Nam defuncto Ioanne 22. ad Benedictum successorem Ioan. misit legatos qui demissis precibus peterent absolutionẽ & restitutionem.*

Fridericus 1. ita coronam per oratorem suum à Põtifice petijt vt apertissime testaretur agnoscere se plenitudinem Imperij non nisi à summo Pontifice haberi posse. [g] *Ergo* (inquit orator) *venerãde Pater tu circa ipsum peragis, vt quæ ei desunt de plenitudine imperialis culminis, per tuæ beatitudinis munificentiam suppleatur.*

[g] *Krantzius 6. Saxoniæ 16.*

[h] Emmanuel Comnenus Imperator Græcus,

[h] *teste Blondo Dec. 2. lib. 5. Aeneas Syl. in abbreuiat. ibid. Platina in Alexandro 3. Ioanne Nauclero generat. 39 p. 848.*

tempore Friderici 1. in Occidẽte, obtulit bis per legatos Alexandro Pontifici magnam vim pecuniarum, exercitum non contemnendum, & vnionem Ecclesiæ Græcæ cum Latina sub vno summo Pastore R. Pontifice, si modo is Occidentale Imperium, quo Fridericus iure excidisse videbatur, iterum Orientali coniungere vellet. Quod tamen non impetrauit.

Dum Clemens 5. in Gallijs moraretur, Philipp. [1] Pulcher Rex Galliæ, ratus aduenisse tempus quo imperium ad Gallos à Germanis rediret: mortuo Alberto Imperatore, decreuit cum proceribus petendum esse per solemnes nuncios Imperium à Põtifice. Sed Pontif. cum id statim resciisset, electoribus Imperij scripsit vt maturarent electionem, & Henricum Lucemburgium Comitem, si eis videretur, eligerent: qui & maturatis Comitijs, electus est.

Accedat electorum ipsorum testimonium in publico instrumento quod infra habetur.

[1] *apud Conradum Vercerium lib. de gest. Henrici 7.*

Idem asseritur testimonijs Pontificum.

CAP. VI.

GREGORIVS [a] 4. rescidit decretum filiorum Ludouici Pij, quo Patri imperium abrogauerant quorumdam Episcoporum consilio.

Adrianus secundus cum intellexisset armis tentari à Carolo Caluo Imperium Ludouici Iunioris, [b] misit legatos & literas ad Caluum quibus minabatur excommunicationem, inuadenti Imperium. Quod etsi [c] Caluus molestè ferret, tamen contraire non est ausus.

Adrianus [d] 4. *Ideò* [e] (inquit) *Imperium à regno Græcorum translatum est, in Alemannos, vt Rex Teu-*

[a] *apud Paulum Aemil. 3. de gest. Francor. & Marian. Scotum 3. Chronici.*

[b] *Aimoinus 5. capitulo 24.*

[c] *cap. 27. Aimoinus sup.*

[d] *in Epist. ad Episcop. Germaniæ.*

[e] *apud Auentinum 4. Annal. Boiorum.*

comicorum, non antequam à Pontifice Romano conſecraretur, Imperator vocaretur, & eſſet Auguſtus.

Alexander [f] tertius legatis Emmanuëlis Comnenuſ. reſpondit ſe nolle id in vnum coniungere, quod olim de induſtria maiores ſui diſtinxiſſent. Innocent. 3. [g] epiſt. ad Ducem Thuringiæ. Clemens 5. in [h] decreto de iuramento, quod Imperatores Pontificibus præſtãt. Pius 2. [i] epiſt. ad Regem Turcarum Mahumetem 2.

[f] *in Platina.*

[g] *Vnde extat. cap. Venerabilem extra de electione.*

[h] *Vnde extat Clementina Romani principes.*

[i] *inter Epiſt. Pij. 396.*

Imperium Germanorum non eſſe acquiſitum iure belli.

CAP. VII.

SEX omnino tituli ſunt, quibus homines regna, atque imperia poſſidere ſolent [a] *Ius belli*, [b] *Beneficium diuinum*, [c] *ſucceſsio hæreditaria*, [d] *electio populi, donum* [e] *principis, ſummi* [f] *totius Eccleſiæ præſulis decretum.* Primo genere non eſſe Germanis acquiſitum Imper. probatur.

Primò, Carolus Magnus paterna hæreditate regnum Francor. obtinuit, expugnauit deinde Longobardos, & inde Rex Longobardorum dictus: cum Romanis verò nuſquam [g] pugnauit, ſed ſemper amiciſſimus fuit. Nec dicas Longobard. regnum aliquando Romanam prouinciam fuiſſe, & propter eam occupatam factum Imperatorem Carolum. Si omnes enim qui Romanas prouincias occupant, dici deberent Imperatores, nimium multos haberemus.

Secundò, ſi iure belli Carolus Imperium habuit, aut ante, aut ſimul, aut poſt coronationem à Leone. non ante: quia tunc neque in ſuis diplomatibus (quorum nonnulla extant apud

[a] *quo modo Iulius Cæſar & ante eum Alexander ac Cyrus regnarunt.*

[b] *ita Moyſes, Saul.*

[c] *Ita Salomon, Ludouicus Pius, &c.*

[d] *Ita Claudius, Galba.*

[e] *vt Lucius Verus à Marco Antonino Maximianos à Diocletiano habuit Imper.*

[f] *quomodo aſſerimus Carol. mag. habuiſſe Imperium.*

[g] *vt omnes hiſtorici docent.*

Ioannem Auentinum) se Imperatorem appellat, neque appellatur ab historicis. non simul, quia Romam ingressus est sine milite, orationis non militiæ gratia, & benignissimè à Papa populóque Romano susceptus. si post: cur igitur ab eo die quo à Leone coronatus est, appellat se in proprijs literis Imperatorem, appellatúrque ab historicis?

Objcit Illyricus 1. Initium victoriæ Cæsaris in Pharsalico bello incœpisse à quibusdam cohortibus Germanorum, teste Floro. In eo autem bello Imperium Rom. à Iulio Cæsare partum est maximè.

[h] 3. *de bello Ciuili.*

Respond. 1. Cæsarem equidem [h] scribere se spem victoriæ in tribus (non 6. vt posuit Illyr.) cohortibus quas in subsidiũ collocauerat, & à

[i] 2. *de Bello Ciuili.*

quibus initium victoriæ factum est, posuisse [i] Appianus verò scribit spem Cæsaris in militibus Italicis fuisse, vnde patet has cohortes non fuisse Germanicas, sed Italicas & quidem instructissimas: cum tamen Germanis non vteretur Cæsar nisi [k] equitibus, vel peditibus leuis armaturæ. Adde inter gentes [l] quæ in exercitu Cæsaris tunc erant Germanos non numerari. 2. sint Germani, quid inde? nisi stipendium pro opere, gratia pro fide, laus pro virtute, si præterea Imperium: cur annis amplius 800. dere tanta filuerunt?

[k] 7. *de bello Gallico, & quidem aduersus Gallos.*

[l] *Appian. sup. & Dion. Cassius lib.* 41. *Histor.*

Secundò, Germani (sub Augusto) duas aquilas Romanis iustissimo bello eripuerunt, teste Floro: hinc gestatam ab Imperatoribus bicipitem aquilam.

Respondeo 1. Nec bellum iustum sed rebellionem fuisse, qua improuisos Romanos adorti sunt Germani teste [m] Orosio, [n] Velleio, & [o] Floro: nec gestatam propterea bicipitem aquilam. Nam duæ fuerunt tunc ablatæ: non autem duas, sed vnam in duo capita diuisam gerunt Imperatores, ad significandam scilicet Im-

[m] *libro* 6.
[n] *lib.* 2.
[o] *lib.* 4.

perij diuiſionem. 2. ſi hoc aliquid concluderet, multo iuſtius Carthaginenſes ſub Hannibale, Parthi [q] ſub Orodæ, [r] Perſæ ſub Sapore, Imperium vendicarent ſibi, qui tantum Romar. ſtragem ediderunt amiſſis aquilis.

Tertiò, non ſacrificiorum cæremonijs, ſed gladio ac iure belli Deus transfert imperia & regna. Daniel. 2. & 4. &c. Ergo hâc etiam viâ comparauit Imperium Germanica natio.

Reſpondeo, vt aliquid concludat, debere poni in antecedente, tantûm bello Deum transferre regna. Et tunc negatur. Nonne à Iudicum poteſtate, ad reges: à Roboam, ad Hieroboam: à domo Iudâ ad Leui, poſt Babylonicam captiuitatem tranſlatio fuit Iudaïci Principatus ſine bello?

Quartò, ſicut Theodoricus 1. Gothicus Rex adoptatus à Zenone Imperatore accepit dono Romam & Italiam, vnâ cum ſuis ſucceſſoribus, ac inſuper eâ dignitate Odoacrem exuit. Ita Longobardi, comprobante, & iuuante Conſtantinopolit. Imperatore, eâdem poſſeſſione exuerunt Gothos, Franci verò ſub Carolo Magno Longobardos. quare ſtatim victis Longobardis Romani Carolo iuramentum præſtarũt.

Reſpond. 1. non Longobardos, ſed [s] Beliſarium & Narſem Græci Imperatoris Duces Gothos poſſeſſione Italiæ exuiſſe. imò Longobardi cum ipſo [t] Imperatore eiuſque Exarchis diu pugnauerunt de Italiæ poſſeſſione: tantum abeſt Longobardos fuiſſe ab Imperatore Græco adiutos. 2. Longobardi nuſquam Romam, Campaniam, Apuliam, Calabriam, Imperatoribus adimere voluerunt. Ciues autem Romani ſi aliquòd iuramentum Carolo fecerunt (nam de illo non conſtat apud idoneos authores) non vt principi ac Domino, ſed vt [u] patricio, ac defenſori dederunt.

Quintò, Hermannus [x] Comes Nouæ aqui-

[p] *Florus lib. 2.*
[q] *cum interfectus eſt Craſſus vide Florum. 3. cap. 11.*
[r] *cum captus eſt Valerianus Imperator vide Eutrop. lib. 6. Oroſium. 7.*

[s] *teſte Procopio, Agathio, Iornande & alij qui de bellis Gothorum, & Longobard. ſcripſerunt.*
[t] *vt ex Paulo Diacono cognoſci poteſt.*
[u] *vt eum appellauit Adrianus Papa apud Grat. d. 69. can. Adrianus & can. in Synod.*
[x] *Libello de Francorum origine, & ſedibus ad Carol. V.*

læ teſtatur Francorum ſanguine partum imperium. Alciatus *vt iuſtum aliquem* (inquit) *titulum adepto imperio prætẽdere poſſet* (Carolus Mag.) *Cæſarem ſe & Rom. Imperatorem à Pontifice. populóque Romano deſignari procurauit.* Gotfridus Viterbienſis. *Carolus* (inquit) *vt fungi ſtatuit diademate mundi, Pontificis ſummi manibus decreuit inungi.* Blondus: *Otho pater filium Othonem reuerſum conſortem imperij adſciuit, voluitque Imperatorem à Romano populo ex priſcâ conſuetudine acclamari, quem Pontifex inunctum Imperiali diademate inſigniuit.*

Reſp. Alciatum & Herman. noſtro ſæculo vixiſſe, quare non cogimur illos magnificere: quamuis prior nobiſcum ſentiat vt patet ex textu: niſi quod aſſerat contra pleróſque veteres à Carolo procuratum Imperium. Poſterior verò, non tam de iure, ac Imperio, quam de Imperij poſſeſſione loquitur. Non enim Leo armis eripuit Imperium Græcis, & dedit Carolo: ſed quod iam bello peperat Carolus, contulit illi Papa, iuſto titulo poſſidere, atque ius habere ad recuperanda, quæ Romani Imperij antea fuerant. Gotfridus non vult Carolum arripuiſſe Imperium nullo ſibi dante: hoc enim & authoribus antiquis, & moribus Caroli repugnat. Sed cum recuſaſſet illud initiò, tandem aſſenſum fuiſſe: & tunc demum ſtatuiſſe diadema, & vnctionem Imperij de manu Pontificis ſumere. Blondus non negat conſentiente Papa aſcitum ad Imperium Othonem. aſſerit autem [y] Vitichindus Othonij æqualis.

[y] *lib. 3. de rebus Saxonicis ad finem.*

Neque immediatè à Deo, neque hæreditario iure Imperium Carolo contigisse.

CAP. VIII. & IX.

PROBATVR [a] prima pars ex authoribus sup. docentibus habuisse Carolum à Papa Imperium, neque hanc partem negaret Illyricus si sibi constaret, quòd velit bello, & hæreditate Carolum imperio potitum. [a] CAP. VIII.

Obiicit primò omnia regna esse à Deo, sed si intelligat immediatè, mentitur vt supra demõstratur, si mediatè fatemur etiam Carolum habuisse à Deo mediante Papa, Imperium.

Secundò, [b] Vincentium tradere in speculo, cum egeret auxilio aduersus barbaros Imper. Constantinus Copronimus, per quietem monitum fuisse à Deo, suscipere adiutorem belli Carolum Regem Francorum. Hinc concludit Illyricus diuino mandato Carolum Imperatorem constitutum. [b] 24. *Speculi. c. 4.*

Resp. 1. Vincentium non satis habere fidei historicæ inter doctos, etsi enim pius fuerit, multa tamen fabulosa miscet. 2. Ipsa visio, nullam facit mentionem imperij. 3. quamuis faceret, quid inde, nisi Copronymo fuisse reuelatum, quod postea factum est in Carolo authoritate Pontif. Romani?

Secunda [c] pars, scilicet, neque hæreditario iure, probatur. Primò ex Pipini patris successione nihil habere potuit Carolus, nisi quod Pipinus habuit. Sed Pipinus ex aulæ Præfecto, Rex Francorum, Zachariæ & Stephani R. Pontif. authoritate, dictus est. Imperatorem verò non fuisse constat. Ergo solum Francorum [c] CAP. IX.

Regnum,& non Imperium Carolo euenit,hæreditario iure.

Secundò,quis sibi persuadeat Carolum passurum se ex Imperatore Patricium fieri?At post obitum Patris ab Adriano factus est Patricius, ergo non erat Imperator ex patre.

Tertiò, omnium historicorum voce fuit Carolus Imperator primus ex gente Francorum. Ergo prædecessores sui Imperatores non fuerant.

Obiicit Illyricus Odoacrem Herulum,Theodoricum Gothum, & Clodoueum Francum, fuisse Imperatores Romanos. Aut illi aut Germani aut ex Germaniâ oriundi erant. Ergo per eos ad Carolum [natione Germanum] Imperium deuolutum est hæreditaria successione.

Maiorem,quam negamus probat de Odoacre,Primò,quod à Leone Bessicano imperatore Græco tributum sit Odoacri Occidentis Imperium teste Alciato.Sed constat ex historicis Odoacrem factum regem Italiæ, [d] sub, & inuito [e] Zenone: qui propterea misit in Italiam Theodoricũ Gothum ad expellendũ Odoacrẽ.

Secundò,fuisse Odoacrem à militibus Romanis in Monarcham electum, cum esset ipse vnus ex primis ducibus,ac principibus Romanorum.Sed Odoacrẽ fuisse solùm Oresti magistri militiæ Romanorum armigerum, testatur [g] Procopius: milites verò suos fuisse barbaros, reliquias scilicet Attillæ, à quibus fuit appellatus Rex, cùm capto Ticino Romanas legiones deleſſet ad internecionem,scribit [h] Sigonius.

Tertiò, quod [i] Blondus dixerit turbinem illum irruptionis Odoacris in Italiam susceitatum à ciuibus Romanis Augustuli æmulis,id est, Romanorũ primarios Odoacrem euocasse ad Romanum Imperium, contra Augustulum. Sed hæc interpretatio Illyrici in ipsum militat

[d] *Cassiodor. in Chronico Beda de 6. ætatibus in Zenone Marcell. Comes in Chronico. Paulus Diac.16. rerum Rom. Ado in Chronico & Vrsp. Otho Frising.4. c. 30. &c. imò & Illyricus Cent. 5. cap. vlt.col. vlt.*

[e] *Vrsperg. Procop. lib.1.de bello Gothico Iornandes in cõm. de rebus Geticis Paulus Diaco. sup. &c.*

[f] *tertio à Bessicano.*

[g] *sup.*

[h] *lib.14 de Imperio Occidentali.*

[i] *lib.2. Decadis 1.*

Blondum: narrat enim Blondus nullum post Augustulum fuisse creatum Imperatorem Romanum: Quare sensus verborum, quæ citat Illyricus, est, Odoacrem fama rerum, quæ seditiosè gerebantur in Italia percitus, vehementius ad illius cupiditatem exarsisse, vt inquit Sigonius.

Quartò, [k] scripsisse Blondum, fuisse summis honoribus affectum Odoacrem à populo Romano. At qui honores fuerint, nisi imperij? Respondeo cum Blondo salutatũ fuisse Odoacrem Regem Italiæ, ab vniuerso populo Romano, & festiuis acclamationibus in Capitoliũ ductum, tanquam vrbis dominum. Ac quidquid honoris habuerit tandem, nusquam tamẽ Imperiales admisisse titulos, solo regio nomine contentum.

[k] *lib. 3. Decad. 1.*

Quintò, ius belli postulare videtur vt victoris fiant, quæ fuerant victi. At Odoacer Imperatorem vicerat. Sed maior propositio aliquid veritatis haberet, si victor iusto superauerit bello, ac velit quæ fuerãt victi in se transferre omnia: Odoacer verò [l] iniustè, id est, non prouocatus & solâ regnandi libidine motus Italiam inuasit: nec vsquam sibi arrogauit Imperatoris dignitatem, aut nomen.

[l] *vt refert. Procop. lib. 1. de bello Gothico.*

Sextò Augustulus Imperator sponte purpuram abiecit, & ab Odoacre vita donatus est. Ergo illi suum imperium Augustulus libenter contulit. Sed leuior hæc coniectura quam quæ valeat opponi tot historicis asserantibus in Augustulo defecisse Imperium: nec enim defecisset, si imperij successorem Odoacrem habuisset.

Illyricus porrò mentitur cum ait solos Italicos tunc temporis scripsisse, & ex inuidiâ à numero Imperatorum expunxisse Odoacrem. Nam ante omnes Italicos scripsit hac de re [m] Iornandes Gothus, sentitque nobiscum. Idem [n] Freculphius Lexouiensis, [o] Otho Frisingensis

[m] *Iustiniani tempore ante 1000. annos li. de reb. Geticis.*

[n] *Tom. 2. Chronico.*

[o] *4. histor. 31.*

p Abbas Vſpergenſ. quibus ſuffragantur q Naucler. & Albertus r Krantzius. Sed (inquit Illyric.) contrarium ſcribit Martinus Polonus. *Auguſtulus cùm videret Odeneum, interfecto patre ſuo Oreſte, iam totam Italiam tenere, ſponte ei exuens purpuram ceſſit de imperio.* At non rectè legit Illyricus. Polonus enim ſequutus, vt videtur, Conradum ſic ad verbum habet, *Auguſtulus ſponte purpuram abiiciens imperialem depoſuit maieſtatem.* Num ideò ſtatim deducitur, eam tradidiſſe Odoacri?

Sed faxit Odoacrem fuiſſe Imperatorẽ: quid hoc ad Carolum magnum. Odoacer Herulus fuit, Carolus Francus: Odoacer paulò poſt vitam, & dignitatẽ per Theodoricum amiſit, ab Odoacris tempore multas ſortita eſt Italia mutationes, & gubernationes à diuerſis gentibus: quis ergo hæreditatem, in Odoacre amiſſam, repræſentauit integram Carolo, poſt trecentos & tringinta circiter annos? Num quia Herulus Odoacer, & proinde Germanus, ideò ad Germanos imperiũ? Cur ergo s potius ad Francos, quam ad Herulos imperium tranſiit primo? de Theodorico, probat primò, quod à Zenone ex totius Senatus imperialis conſenſu fuerit adoptatus.

Reſp. 1. Theodoricum fuiſſe quidẽ adoptatum in filium, ac Conſulem ordinarium & regem Italiæ dictum; non tamen appellatum Auguſtum. Nam nec ipſe t Caſſiodorus Theodoric. 1. Cancellarius cum inter Imperatores numerat neque u Illyricus, nec vſquam ſe Auguſtum, aut Imperatorem x Theodoricus vocauit. quare fuit tãtùm Rex imperio ſubiectus, ſi quidem y ſe filium, & ſeruum Imperatoris cuius munere regnum Italiæ poſſideret, dicebat: quod

p *in Chronico.*
q *Generat. 16.*
r *1. Vandaliæ 35. qui Imperium in Occidente ab Auguſtulo, vſque ad Carolum Magnum annis pluſquam 300. vacaſſe dicunt.*

s *Cur non etiam ad Africanos, Syros, Traces, Arabes, Pannomos, Illyricos, Dalmatas, Hiſpanos? Nam Seuerus fuit Africanus, Heliogab. Syrus, Maximus Thrax, Philippus Arabs, Decius Pannonius, Claudius Iunior Illyricus, Diocletianus Dalmata, Theodoſius Hiſpanus.*

t *in Chronico.*

u *centur. 6. cap. 16. col. 840. Theodoricus, Romani Imperatoris nec inſignia quidem nec nomen ſibi vendicauit: ſed Rex eſt appellatus, ſicut barbari, Duces vocare ſolent.*

x *in Epiſtolis ſuis apud Caſſiodorum.*

y *apud Iornandem de rebus Gothic.*

bat: quod idem [z] professi sunt Athalaricus, & Theodahatus Theodorici in Italiâ successores. 2. Successores Theodorici ab Italia pulsos fuisse à Iustiniano Imperatore.

[z] *in Epist. ad Iustinianum Imperatorem apud Cassiodor. lib. 8. cap. 1. & lib. 10. cap. 25.*

Secundò probat ex Sigiberto in chronico anni 487. Sed hoc in loco, nec Imperij meminit quidem, *Zeno* (inquit) *Imperator, Theodorico Ostrogothorum regi regnum Italiæ donat.*

Tertiò, Abbatem Vrsper. producit, At loco ab Illyrico citato contra Illyric. loquitur. *Eo tempore* (inquit) *regnum Orietale Zeno Imperator habebat, qui audiens Theodoricum gentis suæ regem esse, gratè suscepit, eumque ad se Constantinopolim venire præcepit, digneque susceptum inter proceres Palatij collocauit, & post aliquot tempus in filium sibi adoptans consularibus fascibus, quæ dignitas post imperiale fastigium prima est collocauit.* At (inquit Illyric.) idem Abbas alio in loco Theodoricum Romano Imperio præsediisse scribit. Verum quidem est, sed vt Imperatorem præsediisse non scribit.

Quartò, cùm scribit Nauclerus Theodoricum à Zenone insignitum sacro velamine, nihil aliud significare videtur, quàm purpurâ circundatum, & verè Imperatorem creatum. Fallitur Illyricus, nàm huiusmodi velamen non erat Imperatoria purpura, sed publicum concessæ prouinciæ stabilimentum vt Paulus [a] Diaco. & [b] Blondus testantur.

[a] *lib. 16.*
[b] *lib. 3.*

Quintò, Olaum magnum affert, sed nihil pro se. Imò Olaus [c] docet Italiam à Theodorico, non tam sibi, quam Imperatori recuperatam.

[c] *lib. 9. histor. Gothor. 17.*

Sextò, Platinam dicentem, *Nemine aduersante, Theodoric⁹ totius Italiæ Imperio potitus est.* Sed aliud est potiri Imperio Italiæ, & Romanum Imperatorem esse. Nisi velis ius Imperij, finibus Italiæ concludi. Quod si ita est, iam nullum erit Imperium, & Imperator apud Germanos.

Septimò, Theodoricum summo Pontifici Symmacho imperasse. quidni & adiunxit Illy-

ricus Ioannem à Theodorico carceri mancipatum? Sed illud de Symmacho falsum est, vt patet ex 4. Synod. sub Symmacho. hoc autem egit Theodoricus, vt Hæreticus, & Tyrannus de Clodoueo probat, quòd illi fuerit largitum ab Anastasio Imperat. Constantinopol. Augustale nomen, atque dignitatem teste Yuone Sabellico, Bergomensi, Gregorio Turonico, Adone, Hannone, Sigiberto.

Resp. 1. solùm posteriores quatuor dixisse Clodoueum fuisse appellatum Augustum: at teste [d] Blondo non à Romanis, sed à Francis tantùm. historici cæteri, nullam Imperij mentionem faciunt, sed solùm Consulatus, & patriciatus Clodouæo donati. 2. quidquid sit, Anastasius nihil nisi titulos & insignia Clodouæo contulit. Nam neque consulatum gessit, Clodouæus cùm tunc [e] consules essent [f] Anastasius, & Venantius, vel [g] Eutharicus, atque Boëtius. Neque inter Imperatores à quoquam ponitur.

[d] *lib. 3 Decad 1. & Krants. 3. Suetiæ 17.*

[e] *an. Dom. 510. quo iuxta Chronicum Ioannis Tilij, Clodoueus Consulis nomine, & insignibus donatus est.*

[f] *iuxta Haloandrũ.*

[g] *iuxta Onuphr.*

Non accepisse Carolum Magnum Imperij dignitatem authore S.P.Q.R.

Cap. X.

TAMETSI Illyricus aliquotiesin suo libro significauerit nihil à Senatu populoque Rom. accepisse Carolum: nihilominus obijcit aliquot authores qui populo, ac Senatui Rom. potius quam Pontifici Imperium à Germanis acceptum referre debere scripserint, scilicet Sigibertum, Vincentium Beluacensem, Leopaldum, Æneam Syluium, Blondum, Onuphrium.

Sed duo primi nihil tribuunt Romano populo præter acclamationem. Verum est Sigibertũ

dicere, à populo Carolum per manum Leonis coronatum, quasi (vt interpretatur Illyricus) Leo fuerit tantùm populi minister. Nihilominus hæc verba solum significant placuisse populo id quod eorum Princeps & Pastor fecerat, acsi ipsemet populus propriis manibus coronasset Carolum. Nam similter cùm idem Sigibertus, Pipini filij, Caroli describit coronationem ibidem, tribuit ordinationem Regis Pontifici: laudationem, quę subsecuta est populo Romano.

Lupoldus solùm repetit extrema Vincentij verba similia verbis Sigiberti. At cum ex propria sententia loquitur [a] *Leo* (inquit) *Papa considerat is omnibus quæ dignè, ac benè sufficiebant pro translatione imperij de Imperatoribus Constantinopolitanis ad Reges Francorum faciendā, ipsum Carolum, Romæ in Ecclesia sancti Petri in die Natalis Dom sub anno eiusd. Dom.* 801. *acclamante, ac petente populo Romano vnxit & coronauit Imperatorem, & Augustum, per quas vnctionem, & coronationem dicta trāslatio perfecta fuit.* Quomodo Blondus sit intelligendus de huiusmodi populi scito sup. [b] dictū est. Æneas in verbis ab Illyrico productis non excludit, Rom Pontificis consensum [c] in abbreuiatione verò Blondi scribit precibus Romanorum à Leone coronatum Carolum. testimonium Onuphrij infirmatur facilè. Tùm quia constat aliquos fuisse veros Imperatores creatos inuito populo Romano, vt [d] Friderico primum. tùm quod vetustissimi authores nullam faciant, in translatione Imperij, mentionem populi, aut Senatus. Vnde ergo Onuph. suam sententiam didicit, post 800. fermè annos? Tū denique quod non fuerit mos (etiam cum floreret populus & Senatus Rom.) creari Imperatores à S. P. Q. R. (qui [e] enim ab iis inueniuntur electi rari sunt) sed nominabantur ab alio principe, vel eligebantur à militibus. quis ergo

[a] *cap. 4. de Iuribus Imperij.*

[b] *cap. 4. in citatione Blondi.*

[c] *lib. 1. Decad. 2.*

[d] *apud Othon. Frising. 2. de gestis. Frider. 22.*

[e] *tres tantum à senatu electos scilicet Neruam, Maximum cum Balbi-*

credat post 800. annos, cum nullius fermè esset authoritatis S. P. Q. R. ausurum fuisse eligere Imperatorem?

Non deuenisse ad Germanos Imperium donatione Græcorum.

CAP. XI.

DRIMÒ, quia Græci Imperatores, cùm primùm ad eos fama perlata est coronationis Caroli vehementer fuêre cõmoti, atque indignati: teste [a] Eginartho, [b] Sigiber. [c] Abb. Vsper. [d] Krãtzio. Secundò, Græci quidem Imperatores agnouêre tandem vel inuiti Imperium Caroli, sed non antequam [e] Pontifice fuisset Imperator creatus. Annales enim Francor. vetustissimi ponunt an. Domini 798. primam legationem Irenes Imperatricis ad Carolum nondum Imperatorem, pro restitutione captiuorum. Describunt an. 801. coronationem Caroli in Imperatorem. An. 802. qui fuit vltimus Irenes narratur alia legatio eiusdem Imperatricis ad Carolum pro pace inter Græcos & Francos. An. 803. legatio Nicephori Irenes successoris ad eundem Carolum, iterum pro pace. In quibus omnibus legationibus, nulla fit mentio de communicatione Imperij. Ann. 812. commemoratur legatio Michaëlis ad Carolum, salutatum à legatis Augustum, & Imperatorem. Denique an. 814. scribit author obitum Caroli quem annis 14. Imperium habuisse dicit: ac proinde non numerat Imperij annos à consensu Græcorum, sed à coronatione Caroli per Leonem. His annal. consentiunt [e] Aimoinus [f] Paulus Diaconus, [g] Ado, [h] Rhegino [i] Otho Frisingensis [k] Cedrenus, [l] Zonaras, Imò [m] & Illyricus.

no, & Tacitum numerat Onuph. libro de Comitiis Imperat. sed Dion Cassius quem solum citat Onuph. Neruam non dicit à Sen. creatum Aurelius Victor, verò dicit arbitrio legionum. In quibusdam codicibus habet Eutropius lib. 8. fauore Præfecti electum. Neruam Maximus, & Balbinus primâ datâ occasione à militibus necati sunt teste Herodiano lib. 8. Tacitus à Senatu quidem dictus est: sed inuentibus militibus vt Flauius Vopiscus scribit in Tacito.

[a] *supr.*
[b] *in Chro. an.* 805.
[c] *in Chronico.*
[d] 2. *Saxon.* 8.
[e] *lib.* 4. *c.* 90. *&* 91.
[f] *sup. lib.* 23.
[g] *in Chro. ætat.* 6.
[h] 2. *Chron.*
[i] 5. *cap.* 31. *& seqq.*
[k] *in Compendio historiar.*
[l] *in Annal.*
[m] *Cent.* 9. *c.* 16. *col.* 611.

Obiecit tamen, primo legationem Irenes ad Carolum pro pace, fuisse ante Caroli coronationem, quia teste Palmerio, & Martino Polono, ante spoliata est regno per Nicephorum Irene, quam Leo coronaret Carolum. Annales verò Caroli ac Ado hanc legationem ponunt an. 798. & Paulus Æmilius affirmat illam præcessisse longè hanc coronationem.

Resp. quamuis Palmerius erret quòd Irene post filij excæcationem solùm quatuor tribuat annos, cùm [n] Cedr. [o] Paulus Diac. & Annales Francorum quinque cum aliquot mensibus tribuant: tamen coronationem Caroli ponit an. 801. initium verò Nicephori 802. Constat autem eadem die Nicephorum imperare cœpisse, quâ Irene coacta est se imperio abdicare. Martinus Polonus negligentissimè, & mendosè numerauit annos Irene, Nicephori, & Michaëlis. Nam contra omnes veteres, & recentiores tribuit tantùm tres annos Irene. Nicephoro 9. menses; cum alij octò annos, & amplius. Michaëlis imperium constituit an. 800. initium Caroli 802. contra omnes historicos. Annales verò, Ado & Æmil. loquuntur de illâ primâ legatione Irenes de quâ sup.

[n] *supr.*
[o] *lib. 23.*

Secundò Niceph. legatio ad Carolum fuit an. 799. teste Martino Polono, Sebast. Franco, & Iacobo Philippo Bergomensi. Imò Polonus præponit legationem Michaëlis coronationi Caroli. Sed de Martino Polono iam dictum est. Sebastianus Francus author recens, isque à fide deuius contemnitur. Bergomensis etsi 11. lib. supplementi commemoret diuisionem Imperij inter Carolum, & Irenem, antequam narret coronationem, tamen id per anticipationem facit, vt expediret, quæ ad Græcorum pertinebant imperium. Nam postea loco suo ad ordinem temporum rediens, docet Imperium à Græcis ad Francos translatum, authoritate Leo-

P *veteres enim inchoabant annum à Natali Domini propterea annum* 801. *posuerunt. Bergomiensis verò à Kalendis Ianuarij more nostro.*

nis, anno Domini 800. P exeunte.

Tertiò, ante coronationem ambijsse Irenem nuptias filiæ Caroli, cum filio suo Constantino, quod fieri non potuit sine pace inter eos: nec pax, non concesso Carolo Occidentali Imperio. Egregiè sanè, quasi nequeat Imperator cum rege potentissimo contrahere pacem, & affinitatem, nisi Imperialem dignitatem cum eo communicare voluerit.

Romanum Pontificem iure suo transtulisse à Græcis ad Germanos Imperium.

CAP. XII.

ROMANVM Pontificem vt summum Ecclesiæ pastorem (quem talem etiam agnouerunt illi infensissimi Imperatores Henricus [a] quartus, [b] & quintus. [c] Fridericus primus, [d] & secundus, [e] ac Ludouicus 4.) Reges & Imperatores deponere: ac in temporalibus intra Ecclesiam disponere, si id Ecclesiæ exigat causa supra [f] probatum est. At maximè exigebat Ecclesia, vt à Græcis ad Occidentales Imperiū transiret, quod Imperatores Græci, siue ob ignauiam, siue ob aliud aliquid, non defenderent sedem Apostolicam contra frequentes inimicorum incursiones. Igitur Papa hanc translationem facere potuit.

[a] *Epist. ad Principes Imperij apud Vrsperg. in Chron. an.* 1106.
[b] *apud Vrsperg. an.* 1110. 1117. 1122.
[c] *Krants. 6. Saxon.* 16.
[d] *Vrsperg. in extremo Chron.*
[e] *Vide literas Ioannis Papæ* 22. *ad Ioā. regem apud Robertum Arboricensem, to. 2. de vtroque gladio, Theorem.* 7.
[f] *lib. 5. de summo Pontifice.*

Obiicit Illyricus 1. iure diuino & canonico politicam potestatem omnino pontificibus interdici. Sed neque etiam politica potestate sed Ecclesiastica Papa transtulit Imperium 2. Christum non fuisse regem de hoc mundo. Sed num propterea minimè potuit, si id vidisset expedi-

re regna transferre? 3. interdici Apostolis Dominium: sed [g] alibi responsum est 4. Petrum presbyteris mandasse vt politicis gubernatoribus obtemperarent. Sed in neutra Petri Epist. hoc inuenitur.

[g] 5. *de summo Pontifice.*

Soluuntur quæ supersunt Illyrici argumenta.

Cap. XIII.

PRIMVM, Cusanus Cardinalis, & Henricus Kaltheisem docent, hanc translationem non fuisse factam à Papa. Sed Cusanus errauit: adeò enim laborauit penuria veterum librorum vt apertè [a] dixerit in nullis historiis se reperiisse Carolum magnum fuisse verum Imperatorem, quare contendit Imperium German. in Othone primo cæpisse. Nec vllum veterem, aut recentem expressè nominat excepto Luitprando Ticinensi, Ex Henr. Kalth. nullum producit Illyr. testimonium.

[a] 3. *Concord Cathol.* 3.

Secundum, incertas esse de hac translatione narrationes, non enim inter se constant dumtaxat Ioannes Andræas Vincentius Gallus Antonius Rosellus, & Glossa decretalium.

Respondeo hos authores posteriores & minus versatos in historia esse: omnes verò probati consentiunt inter se de hac translatione.

Tertium, nullam fecisse Gratianum mentionem huius translationis.

Respondeo intentum huius fuisse non gesta Imperatorum, atque Pontificum, sed decreta canonica colligere.

Quartum, cum vellet Leo octauus renouare maiorum suorum decretum de electione Pon-

tificum, atque id Othoni 1. concedere, ac quæreret in veteribus actis fundamentum huius conceſſionis, nullam fecit memoriam Leonis 3. ſed tantum Adriani 2. qui ſe cum populo Rom. ſubiecerat Carolo.

Reſpondeo Adriani, non quidem 2. vt citat Illyricus, ſed 1. meminiſſe Leonem octauum, quia conceſſerat ille Carolo magno ius electionis Pontificis, ſimul & Patriciatum, non autem Leo 3. & proinde nihil ad rem fuiſſet Leonem producere. Porro Adrianum ſe ſubiecciſſe Carolo nullibi conſtat.

Quintum, mox Leonem electum, ad Carolum miſiſſe Legationem vna cum Sancti Petri clauibus (inſigni ſcilicet Papali) & vexillis vrbis Romæ cum aquilis, vt omnes hiſtorici Papæ etiam addictiſſimi teſtantur.

Reſpondeo huiuſmodi claues nihil aliud fuiſſe quam pretioſas thecas quibus reliquiarum ſeruabantur fragmenta. Solebant enim ſummi Pontifices, cùm aliquem maximo munere afficere vellent, cathenarum Sancti Petri rafuram, aut aliquid ſimile mittere, clauicula aurea ſiue argentea incluſum, vnde [b] Gregor. Epiſt. 23. li 6. *Præterea* (inquit) *benedictionem Sancti Petri Apoſtoli, clauem à ſacratiſſimo eius corpore tranſmiſi.* Simile donum miſſum fuiſſe ad Carolum Mag. ab Epiſcopo Hieroſoly. narrant [c] Rhegino, Ado. Vrſperg.

Sextum, ſi hæc tranſlatio facta eſt. Ergo Græci carent Imperio.

Reſpondeo carere Imperio, tranſlato ad Germanos nimirum Occidentali: nō autem Orientali de iure carent.

Septimum, ſi Papa, & Romani potuiſſent transferre Imperium conueniſſent cum Carolo, firmis pactionibus, de ſua aliorumque regionum libertate ſeruanda.

Reſpondeo, interueniſſe equidem pactum

[b] *Et lib. 7. epiſt. 116. Ado in Chro. & 6. Vrſperg. in Chron. claues ipſas ad Carolum vocant claues confeſſionis ſancti Petri.*

[c] *in Chron. an. 800.*

inter Leonem, & Carolum de Ecclesia vniuersa, ac potissimum Apostolica sede defendenda. At de libertate populorum, [nimirum absoluta] quomodo id fieri potuisset, cum Carolus eis imperare deberet?

Vltimum, Carolus ante coronationem longo tempore, totum Occidentale Imperium occupauit, quo igitur iure, si non fuit legitimus Imperator.

Respondeo totum occupasse falsum est. Non enim Africam, Hispaniã, Illyriam, Britanniam, Apuliam, Calabriam, &c. habebat, quod autem obtinebat non iure Imperiali, sed regio tantum vel patricio tenebat.

LIBER SECVNDVS.

SVMMA.

IMPERIVM ROMANVM DE GENTE FRANCORUM adgentem Saxonum ſummi Pontificis authoritate tranſiiſſe.

CAP. PRIMVM.

Exprimitur Succeſsio Caroli Magni.



Hæc tabula apponi debet post fol. 261. tomi primi ante caput secundum lib. 2. de translat. Imperij Rom.

12. Quæstio tota est an Saxonum Imperium cœperit in Henrico, an in Othone.



Othonem I. *non autem Henricum fuisse primum Imperatorem ex gente Saxonum.*

CAP. II.

PRIMÒ, Ludouicus Arnulphi filius non potest dici Imperator quamuis ex stirpe Caroli magni: quod non fuerit coronatus à Papa. Nam Ludouicus Bauarus non quintus sed quartus appellatur [a] à se, ab Historicis omnibus, imò & ab [b] Illyrico. At Henricus Othonis pater neque ex stirpe Caroli fuit per lineam masculam, neque à Papa fuit coronatus Imperator. Ergo à simili neque Henricus fuit Imperator.

Secundò, S. Henricus, & tres alij qui post Othonem tertium imperarunt, se primum 2. 3. & 4. [c] dicunt. Ergo Henricus Othonis primi pater non fuit Imperator, huius nominis primus.

Tertiò, ex historicis, [d] Vitichindo *Cum ei* (scilicet Henrico) *offerretur vnctio* (inquit) *cum diademate à summo Pontifice qui eo tempore Herigeruci erat, non sprenit, nec tamen suscepit, satis* (inquiens) *mihi est, vt præ meis maioribus Rex dicar, & designer, diuinâ annuente gratiâ, ac vestra pietate: penes meliores verò nobis, vnctio, & diadema sit: tanto honore nos indignos arbitramur.* [e] Vsperg. *Henricus renuit diadema, & vnctionem, solo nomine Regis contentus.* Lamberto Schafnas in historiâ Germanicâ. Rhegino, & Sigibertus Ludouicum Arnulphi filium, Chunradum, & Henricum istum perpetuo vocant Reges, nusquam Imperatores. [f] Otho Frising. *Iste* (inquit) *de quo*

[a] *in suis diplomatibus.*

[b] *in ipso libro de translatione Imperij.*

[c] *in suis diplomatibus, quibus etiam notis distingui eorũ sepulchra Spiræ testis est Onuphr. libro de comitiis Imperatorum.*

[d] *qui vixit tempore huius Henrici 1. gestorum Saxonic.*

[e] *in Chronic. an. 920. & Krants 3. Saxon. 2.*

[f] *6. Histor. 17.*

agimus Henricus, oblatam sibi à summo Pontifice dignitatem renuisse perhibetur. [g] Luithprandus Diaconus Othonem 1. ante Imperialem coronationem vocat tantùm pijssimum Regem, post eam verò, Imperialem Augustum. [h] Bergomensis apertè docet à Ludouico Arnulphi filio, vsque ad Othonem 1. non fuisse in Germaniâ Imperatores, sed tantùm Reges. [i] Lupoldus, Othonem Imperatorem primũ ex gente Saxonum facit. Cuspianus: *Othonem* (inquit) *plerique scriptores primum Germanorum Imperatorem numerant.*

[g] *His omnibus antiquior. 6 cap. 6.*

[h] *11. supplementi.*

[i] *1. lib. de iuribus Imperij cap. 2. & 5.*

Othonem 1. à summo Pontifice Ioanne 12. ad imperium prouectum fuisse probatur ex Historicis.

CAP. III.

[a] *4. Saxonic. 9.*

KRANTZIVS: [a] *Cũ appropinquaret* (inquit) *vrbi, insigni Pompâ à Romanis est introductus, & imperij coronam, cum consecratione & Imperatorio honore suscepit.* [b] Nauclerus: *Otho à Ioanne Papa Augustus vocatur, & ordinatur vnctione Imperiali, ac benedictione sublimatus.* Blõdus lib 3. decad. 2. Platina [c] in Ioan. 12. Bergomensis supplementi, Iacobus Vvympheling ius Epitome rerum Germanicarum cap. 18. Sigibertus in Chronico. Schafnaburgẽsis in historia Germanica. Otho [d] Frising. *Otho* (inquit) *glorioſus Rex à Papiâ, vsque ad vrbem progrediens, honorificè à summo Pontifice Ioanne, ac toto populo susceptus, applaudentibus cunctis, Imperatoris, & Augusti nomen sortitur.* Quare cum sæpè repetit virtute Othonis 1. transijsse Imperium ad Orientales Francos, vult tantùm declarare causam

[b] *Generat. 33.*

[c] *quem 13. facit.*

[d] *6. cap. 12.*

huius translationis à Pontifice factam, fuisse virtutem Othonis. Abbas Vrspergen. & Marianus Scotus in Chronico, Rhegino lib. 2. Chronici & Luithprand. Diaconus qui tempore Othonis floruit: [t] *Roma* (inquit) *veniens* (scilicet Otho) *miro ornatu, miróque apparatu susceptus, ab eodem summo Pontifice, & vniuersali Papa Ioanne vnctionem suscepit Imperij.* Denique Cuspianus: [s] *Imperium à iustâ sobole agnationéque Caroli Magni ablatum primus hic Otho iustus princeps, vir belli, pacisque insignis recuperauit, Pontificis Maximi authoritate.*

[t] *lib 6. de rebus per Europam gestis. 6.*

[s] *in Othone.*

Soluuntur obiectiones Illyrici.

CAP. IIII.

PRIMA, falsum est Cardinales scripsisse ad Othonem 1. eúmque Imperatorem creasse vt asserimus. Sed quis probatus author hoc dixit, nisi quòd Cardinales duo post [a] Othonis coronationem Imperialem ad Imperatorem scripserint contra Papam? sed hoc nihil ad rem.

[a] *vt ipsemet Illyricus fatetur Centur. 10. cap. 10. col. 535.*

Secunda, Naucleum asserere Ludouicum, Chunradum, Henricum veros fuisse Imperatores, idque probat per cap. *Venerabilem* de electione, & Clemẽtinam, *Romani principes*, de iureiurando.

Respondeo non negasse Nauclerum id factum voluntate Romani Pontificis, de cætero fallitur. Nam ex testibus allegatis nihil aliud colligi potest quam in persona Caroli magni designatos veluti Imperatores, Germaniæ reges: si quidem hi textus apertè docent Germaniæ principes habere quidem ius eligendi regem, verùm postea promouendum à Pontifice

in Imperatorem, quare si non fuerit promotus, nec erit Imperator habendus.

Tertia, non Papam sed Cardinales scripsisse ad Othonem & quidem conquerentes de Papa. At si iuris Papæ fuisset creare Imperatorem, Pontifex ipse vtique scripsisset.

Respondeo Pontificem quoque scripsisse vt patet ex Luithprando (quem malè pro se Illyricus citat) [b] *Ioannes* (inquit) *Pontifex, & vniuersalis Papa legatos S.R.E. Ioannem videlicet Cardinalem Diaconum, & Aronem scriniarium serenissimo atque piissimo tunc Regi, nunc Augusto Cæsari Othoni destinauit*, &c. [c] Vtsperg. *Otho rogatu Ioannis Papæ, & querimonia multorum de Berengario, & filio proclamantium Romam tendit, ibique Imperator ab eodem Papa factus Berengarium capit.* Imo ex ipsomet Illyrico [d] Centur. 10.

[b] *sup.*

[c] *in Chronic. an. 692.*

[d] *supr.*

Quarta, Nauclerus docet Romanos Pontifices temporibus Chunradi, & Henrici admisisse ad Imperium Longobardos, siue Italicos principes aliquos.

Respondeo nolle significare Nauclerum inuito Pontifice Chunradum, & Henricum Reges electos, & Cæsares designatos: sed tantùm cum Reges Germaniæ ad coronam Imperij, & Italiæ possessionem capiendàm venire aut non possent, aut nollent, sibi vindicasse duces Longobardorum regnum Italiæ, & coronam Imperij à summis Pontificibus extorsisse, paratis tamen eam Germanis regibus conferre, si ad vrbem venire vellent.

Quinta, transiisse ad Germanos Imperium voluntaria electione & cessione Gallicorum regum. Sed hoc sine teste Illyricus dicit. Et constat de Imperio contendisse Rodulphum Burgodionem Galliæ regem, & Ludouicum regem Prouinciæ, ac Hugonem regem Arelatensem.

LIBER TERTIVS.

SVMMA.

SEPTEM ELECTORES IMPERII A ROMANO Pontifice conſtitutos.

Electores ante Gregor. 10. & Fridericum 2. deſignatos.

CAP. PRIMVM.

IOANNES [a] Auentinus primus ſenſiſſe videtur Electores Imperij poſt Friderici 2. obitum inſtitutos, & à Gregorio decimo confirmatos, Auentinum ſequutus eſt Onuphrius [b] Panuinus, arbitratus probabile ſibi videri illam inſtitutionem in Lugdunenſi Concilio ab eodem Gregorio factam. Quod nullus author ante Friderici 2. mortem vel verbũ quidem de huiuſmodi electoribus fecerit. Verùm etſi nihil noſtræ officiat cauſæ, à quonam Pontifice Romano inſtituti fuerint, dummodò conſtet ab aliquo. Tamen falſa demonſtratur Onuphrij opinio.

Nam Martinus Polonus fuit Innocentij 4. pœnitentiarius teſte Onuphrio: [c] Innocen. 4. obiit ante Friderici 2. mortem iuxta Polonum, vel annis 4. poſt, iuxta Onuphrium. Igitur vi-

[a] 5. *Annal. Boiorum p.* 510.

[b] *libro de Comitiis imperialibus.*

[c] *in additione ad Platinam cum fabulam de Ioanne Papa fœminâ refellit.*

xit Polonus iam maturæ ætatis, nimirum Pœnitentiarius Papæ, ante obitum Friderici. At meminit Polonus septem electorum [d] *licet* (inquit) *isti tres Othones per successionem generis regnauerunt: tamen postea fuit institutum, vt per officiales imperij, Imperator eligeretur qui sunt septem, &c. vnde Versus*

Maguntinensis, Treuirensis, Colonensis
Quilibet Imperij fit Cancellarius horum:
Et Palatinus Dapifer: Dux portitor ensis.
Marchio præpositus Cameræ, pincerna Bohemus
Hi statuunt Dominũ cunctis per sæcula summũ.

Eorumdem meminit B. Augustinus Triumphus, [e] qui cum vixisset annos 85. obiit an. 1328. quare anno mortis Friderici erat annorum 7. tempore verò celebrati Concil. Lugdunensis annorum 31. At non ad [f] Gregorium 10. sed ad 5. hanc Electorum institutionem refert. Hostiensis an. [g] 1240. florebat, nimirũ decimo ante obitum Friderici, & 34. ante Concilium Lugdunense. 1274. celebratum, & tamen in cap. *Venerabilem*, Septem electores numerat [h] Lupoldus Bambergensis Aluarus Pelagius, & Ioannes [k] Villanus, qui florebant anno [l] 42. post Lugdunense Concil. nec ignorare poterant quid in eo actum fuisse tamen, ad tempora Othonis aut circum, hãc constitutionem reuocant. Deinde [m] publicæ literæ electorum ipsorum scriptæ an. 1279. fatentur iam olim à sede Apostolica electores Imperij in Germania constitutos: Non est autem credibile per, *Olim*, intelligere voluisse Gregorij 10. tempora, aut Concil. Lugdunensis. Cum scriptæ sint 4. annis post obitum Gregorij, quinque post Concilium Lugdunense.

[d] *in Othone 3.*

[e] *vt constat ex eius Epitaph. Neapoli in Ecclesia Eremitarum Augustinianorum.*

[f] *in summâ de potestate Eccles. q. 35. ar. 2.*

[g] *teste Trithemio lib. de scriptoribus.*

[h] *sup. cap. 3.*

[i] *de planctu Ecclesiæ art. 41.*

[k] *4. hist. Florent. 2.*

[l] *tempore Ioan. 22.*

[m] *infra cap. 3.*

Refelluntur

Refelluntur obiectiones Onuphrij.

CAP. II.

PRIMA, si verum esset quod defendimus incredibilis negligentiæ accusandi essent plurimi scriptores, qui rem tantam silentio inuoluerũt.

Secunda, ab Othone 3. ad Fridericum 2. fuere Imperatores electi non à septem principibus, sed ab omnibus quotquot ex Germania, & Italia interesse voluissent. Imo in Electione Henrici 5. non adfuit dux Saxoniæ, vt testatur [a] Vrsperg. neque in electione Chunradi 3. vt scribit [b] Frisingensis, & tamen dux Saxoniæ dicitur vnus ex electoribus.

[a] *in Chron. an.* 1106.
[b] *7. cap. 22.*

Ad 1. resp. primò, adfuisse quidem plurimos in electione, sed non ad omnes ius electionis spectasse, sed tantùm ad 7. Causa autem quare non adfuerit dux Saxoniæ in electione Henrici V. non est quia de numero 7. eligentium non fuerit, sed quia præpeditus senectute, vt ait Vrsperg. Ex quo intelligimus eum adesse debuisse: & vel per legatos adfuisse, vel suo iuri cessisse. In electione verò Chunradi quia expectatus non fuerat, [c] eam pro irrita habuit, quamuis postea pro bono pacis ratificauerit. 2. sanctionem quidem de Electoribus à Gregorio V. latam fuisse, sed non ilico receptam, secundum suas omnes partes. Quarum prima est, *vt non hæreditate sed electione ad imperium veniatur*, quæ post Ludouicum Arnuphi filium habuit quidem locum: sed nondum hac de re decretum erat statutum.

[c] *teste Othone supra.*

Secunda, *vt soli principes non etiam populus eligat.* quę continuò à morte Othonis 3. vsu recepta est, cum antea populus ad electionem conueniret.

Tertia, *vt electores principes solùm Germani sint*, quæ

diu postea vim obtinuit.

Quarta verò, *vt hi principes Germani, sint sex*, siue 7 (quia Bohemus non est necessarius nisi quando partes æqualiter discordant, tunc enim habet ius ex duobus electis vnum nominandi) cæpit vsum habere post electionem Friderici 2. Quæ causa fuit vt huius constitutionis multi antiquorum historiographorum non meminerint, vnde patet solutio ad primum.

Electores imperij non ab Imperatore, scilicet Othone 3 sed à Papa, id est Gregorio V. electos quamuis non negemus consensum imperatoris.

CAP. III.

INNOCENTIVS [a] 3. testis omni exceptione maior iuxta [b] Illiricum, disertis verbis docet, à sede Apostolica ius eligendi Imperatorem peruenisse ad certos Germaniæ principes. Innocentium sequuntur Henricus Hostiensis. Triumphus, Aluarus, Villanus sup. Bergonienſis 12 supplementi, [c] Blondus, [d] Platina, [e] Volaterranus, [f] Polydorus Virgilius, Ioannes [g] Andræas, Cardinal. [h] Florent. [i] Albericus, [k] Baldus, Antoninus, [l] Alciatus, [m] ex Italicis & Gallicis. Iacobus wymphelingius, *Gregorius* (inquit) *cognita Imperij imbecillitate, varietateque fortunæ, vtque is qui cæteris virtute præstaret, præesset etiam dignitate, sanctionem tulit haud abnuente Othone, de Imperatore eligendo anno Christi* 1002. *quam vsque ad nostra tempora seruatã*

[a] *epist. ad ducem Thuringiæ.*
[b] *p.* 120.
[c] *lib.* 3. *decad.* 2.
[d] *in Gregor.* 10.
[e] *lib.* 22. *Anthropologiæ.*
[f] 4. *de Inuent. rerum.*
[g] *in cap. Ad Apostolicæ, de Sententia, & re Iudicata lib.* 6. *& in cap. Venerab.*
[h] *in idem caput* § 1. *col.* 3. *in* 6. *q. Numer.* 7.
[i] *in l. Bene à Zenone num.* 5. *de quadrien. præscript.*
[k] *in sua Margarita verbo Annus.*
[l] *p* 3. *t.* 22. *c.* 5. § 13.
[m] *in commentar. legis, Bona Ciuitatis ff. de Verborum signifi. & libro de singulari certamine* 32.
[n] *in Epito. ca.* 20.

videmus [o] Krantzius, [p] Nauclerus, ex Germanis: quibus adde [q] Cartionem [r] Cuſpinianum, & Illyricum cum ſuis [s] Centuriaſtis. Denique Viennenſe Concil. [t] generale: *Eccleſia Romana* (inquit) *à Græcis Imperium tranſtulit in Germanos, & ab eadem ad certos eorum principes ius, & poteſtas eligendi regem, in Imperatorem poſtmodum promouendum peruenit.* Ac

o 4. *Saxoniæ* 25.
p *Generat.* 34.
q 3. *Chronici.*
r *in Othone.*
s *Centur.* 10. *cap.* 10. *col.* 546.
t *in Clement. Romani Principes. de Iureiurando.*

INSTRVMENTVM IPSVM publicum Germanorum Principum.

NOS Principes Imperij, vniuerſis præſentem paginã inſpecturis. Complectens ab olim ſibi Romana mater Eccleſia quãdam quaſi germanã charitate Germaniam, illam eò terreno dignitatis nomine decorauit, quod eſt ſuper omne nomen, temporaliter tantùm præſidentium ſuper terram, plantans in eã principes tanquam arbores præelectas, & rigans illas gratiã ſingulari, illud eis dedit incrementum mirandæ potentiæ, vt ipſius Eccleſiæ authoritate ſuffulti, velut germen electum per ipſorum electionem, illum, qui frœna Romani teneret Imperij, germinarent. Hic eſt illud luminare minus in firmamento militantis Eccleſiæ, per luminare maius Chriſti Vicarium illuſtratum. Hic eſt qui materialem gladium, ad ipſius nutum excutit, & conuertit, vt eius præſidio Paſtorum paſtor adiutus, oues ſibi creditas ſpirituali gladio protegendo communiat, temporali refrænet, & corrigat, ad vindictam malefactorum, laudem verò credentium, & bonorum. Vt igitur omnis materia diſſenſionis, & ſcandali, ſeu etiam rancoris occaſio, inter ipſam Eccleſiam & imperium auferantur, & ij duo gladij in domo Domini conſtituti, debito fœdere copulati, ſeipſos exerceant in vtilem reformationem regiminis vniuerſi, & nos in actu voluntatis, & operis, inueniamur filij deuotionis, & pacis, qui tam Eccleſiam, quam Imperium confouere teneamur: quidquid per Dominum noſtrum R. Dei gratia Romanorum regem ſemper Auguſtum ſanctiſſimo Patri & Domino noſtro D. Nicolao Papa tertio, eiuſque ſucceſſoribus, & ipſi Romanæ Eccleſiæ recognitum, confirmatum, ratificatum, innouatum, de nouo

donatum, declaratum, siue concessum, iuratū & actum, seu factum est per Priuilegia, vel quæcumque alia scripta quorumcumque tenoris super recognitionibus, ratificationibus, approbationibus, innouationibus, cōfirmationibus, donationibus, concessionibus, & factis, seu gestis tam aliorum Imperatorum, & Regum Romanorū prædecessorum regis eiusdem, quam ipsius regis, & specialiter super fidelitate, obedientia, honorificentia, & reuerentia per Romanos Imperatores, & Reges Romanis Pontificibus, & ipsi Ecclesiæ impendendis, ac possessionibus, honoribus, & iuribus eiusdem Ecclesiæ, & nominatim super totâ terrâ quæ est à Radicofano vsque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatu Spoletano, terra Comitissæ Matildis, Ciuitate Rauennæ, & Emiliâ, Bobio, Cesenâ, Foropopuli, Forliuio, Fauentiâ, Imolâ, Bononiâ, Ferrariâ, Comaclo, Adrianis, atque Gabello, Arimino, Vrbino, Monteferetri, Territorio Balnen. Comitatu Brettenorij, Exarchatu Rauennæ, Pentapoli, Massa trabaria cum adiacentibus terris, & omnibus alijs ad prædictam Ecclesiam pertinentibus, cum omnibus finibus, Territorijs, atque insulis in terrâ, marique ad prouincias, Ciuitates, Territoria, & loca prædicta quoquomodo spectantibus: necnon super ciuitate Romanâ & regno Siciliæ, cum omnibus ad ipsam spectantibus tam citra Farum, quam vltra, Corsica quoque, atque Sardinia, & cæteris terris, ac iuribus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus. Nos nostri nomine principatus in omnibus, & per omnia approbamus, & ratificamus. Ac ijsdem omnibus, & singulis, & quibuscumque alijs, super eisdem per eundem regem quoquo modo factis, & in posterum faciendis, voluntatem nostram, assensum, atque consensum, vnanimiter, & concorditer exhibemus. Et promittimus quòd contra præmissa, vel aliquod præmissorum, nullo vnquam tempore veniemus: sed ea omnia, & singula pro posse nostro procurabimus inuiolabiliter obseruari. Et vt hæc nostra voluntas, approbatio, ratificatio, assensus, consensus, atque promissio à nobis eisdem Roman. Pontificibus, & Ecclesiæ in perpetuum obseruentur, hoc præsens scriptum inde fieri fecimus, nostrorumque sigillorum munimine roboratum. Actum & datum anno

Domini 1279. Indictione 7. regnante Domino nostro prædicto D.R.Romanorum rege glorioso regni eius anno 6.

Soluuntur Illyrici obiectiones.

Cap. IIII.

PRIMA, Iordanus scribit libro de translat. Imperij, à Carolo magno institutos electores.

R. addere Iordanum id actum de consensu, & mandato Pontificis Ro. Non quòd tempore Caroli electio restricta sit ad 7. principes: sed quia tunc institutum fuit vt electio penes principes esset, deficiente legitima successione filiorum.

Secunda, [a] Nauclerum referre hanc institutionem ad Othonem 3. solum. Sed debebat subiungere Illyricus quæ sequuntur in Nauclero. *Itaque aiunt Gregorium V.* (inquit) *cognitâ Imperij imbecillitate varietateque fortunæ, vtque is qui cæteris virtute præstaret præsset etiam dignitate, sanctionem tulisse de Imperatore deligendo, &c*

Tertia, idem docere, additionem quandam super cap. *Venerabilem.* Sed cum sit Caroli Molinæi hominis hæretici, & glossa destruens textum, illam contemnimus.

Quarta, in eandem vt putat Illyricus citat sententiam Theodoricum à Niem in suo nemore. [b] Krantzium, [c] & Cusanum, sed duo priores nihil tale habent. Cusanus etsi doceat à Romano Pontifice institutos Electores, quia tamen consensum Imperij vniuersi simul requisitum introducit, propterea errat: aduersatur enim historicis omnibus aliis. Adde libros de Concordia Catholica scriptos à Cusano adhuc iuuene in fauorem Basileensis Concilij, quod maturior, postea damnauit.

Quarta, Polonus, Antoninus, Leopaldus de

[a] *gener. 34.*

[b] *3. Metropol. 40. Ita periit sine prole (Otho. 3.) prævaluitque electio, quam idem Imperator cum Gregorio V. propinquo suo fecisset. Niem verò vult Electores primum institutos post obitum S. Henrici qui Othoni 3. successit.*

[c] *cap. 4. lib. 3. de Concord. Cathol.*

Bamburga non eam tribuant Papæ. Sed nec dicunt Papæ non fuisse.

Quinta, Benedictum antecessorem Gregorij V. rogasse Germanos, Othone 2. defuncto, vt bonũ principem eligerent. At si habebat ius constituendi electores, quare rogabat?

Sed non negamus Papam dedisse Germanis ius eligendi quod seruare volebat: & propterea rogabat illos.

Sexta, flagitat à nobis Illyricus huiusmodi decretum Gregor. V. Respondeo 1. ille ostendat hac de re decretum Othonis 3. 2. sufficere nobis authoritatem tot grauissimorum historicorum.

Septima, sicut potuit Carolus magnus Imperium ad filios transmittere: sic ad Electores potuisse ius eligendi. Respondeo non transtulisse Imperium ad filios nisi authoritate Papæ, & proinde non mirum, si non nisi eiusdem authoritate translatum fuerit ius eligendi ad Electores.

Ad finem libri inter [d] cætera, historiam quandã Paschalis Papæ, & Henrici Imperatoris, ac Apologiam Ludouici 4. subnectit. Sed hæc historia nihil ad rem spectat: siquidem tota quæstio erat de inuestituris Episcoporum. Et tandem [e] coactus fuit Imperator, collum subijcere Ecclesiæ. Apologia Ludouici à Pighio egregiè refutata est.

[d] *de quibus egimus cap. 3. lib. 3. scilicet de Concord. Cusani. epist. Innocentij 3. quæ incipit Venerabilem epist. Friderici 1. ex Radenico 3. cap. 10.*

[e] *vide Vrspergens.*

FINIS CONTROVERSIAR.

PRIMI TOMI.

Laus Deo & B. Virgini.

INDEX.

A.

Additio ad scripturam sacrã quomodo prohibetur. fol. 67. ad præceptum. Item. fol. 229.

Additio particulæ, Filioque, in Symbolo, quando facta. fol. 129. rectè factam fuisse probatur. fol. 139. & 140.

Adulteræ historia Ioannis 8. canonica probatur fol. 14.

Aliquid, quanto magis ens, eo magis vnum. fol. 79.

Alogiani Euangelium Ioannis reiiciebant. fol 5.

Anabaptistæ asserunt Christum non habuisse verã carnem, ex Virgine Assumptam. fol. 141.

Anastasius 2. Papa neque hæreticus, fuit, neque communicauit cum Acacio hæretico. fol. 210.

Animæ piorum non erant in cælo, ante Ascensionem Christi. fol. 164.

Anno 767. in Gentiliaco Concilio fuit disputatũ de processione Spiritus sancti à filio, inter Græcos, & Latinos. fol. 128.

Antiochus vnus & idem est lib. 1. Machabæor. 6. & lib. 2. cap. 1. fol. 14.

Antichristus quid propriè significet fol. 196. est vnus quidam singularis homo, ibid. & 197. nondum venit. signa eius aduentus fol. 198. & seqq. de proprio eius nomine, & charactere. fol. 202. generatione, Iudæus erit, & propter Iudæos veniet. 203. sedem in Hierusalem ponet. f. 204. oppugnabit Christum, & se solum esse Deum dicet. fol. 205. miracula fictitia faciet, contra quosnam pugnabit. fol 206.

Apocalyps. reiiciebant Marcionistæ, Alogiani, & Theodotiani. canonica probatur. fol. 19.

Apocryphus liber quis sit. fol. 20.

Apostoli non satis intellexerunt Petrum maiorem esse, nisi post Resurrectionem. fol 161.

Apostoli solum lingua vel Hebræa, aut Græca vel Latina scripserunt. fol. 39.

A solo Christo iurisdictionem acceperunt. fol. 231.

Arca tempore Salomonis non nisi tabulas legis continebat, postea verò habuit manna, & virgam Aaron fol. 17.

Aristocratia perniciosior Ecclesiæ Democratia. fol. 152.

Arianus Episcopus in vrbe Spoleta cum vellet impetum in Ecclesiam Christianorum facere, miraculo patefactus iamus, repentè cæcus factus fol. 102.

Arius profudit viscera sua in publicis latrinis fol. 102.

B.

Baptismum asserere ratiũ in nomine solius Christi datum, falsa opinio, non tamen hæretica est. fol. 223.

Basilius magnus, miraculo fores Ecclesiæ occlusas aperit, sola oratione ad Arianorum confusionem. fol. 102.

Bellum Goth, & Magoth, quid sit. fol. 206. 207. 208.

Belus introduxit primus idololatriam publicam, non tamen privatam. fol. 12.

C.

Cantica canticorum nonnulli hæretici respuũt. fol. 4.

Caput vltimum Marci non fuit olim ab omnibus receptum, canonicum probatur. fol. 14.

Carolus Magnus quando, & quare creatus Imperator. fo. 250. 251. non immediate à Deo aut hæreditario iure. fol. 255. neque a populo Romano. fol. 258. neque donatione Græcorum. fol. ib. & 259 sed à Papa fol. 259 260.

Catholici elingues ab Arianis facti nihilominus vsum loquelæ retinuerunt. fol. 102.

Caroli magni modestia. fo. 250.

Cerdon reiiciebat Apostolorum Acta. fol. 5.

Cerinthus solum recipiebat Marcum Euangelistam. fol. 5.

Chaldæi non asportarunt arcam & tabernaculum in spoliatione templi sub Sedechia fol. 13.

Christum sudasse sanguinem nonnulli aliquando dubitarunt, sed immeritò. fol. 14. diuinitas eius probatur. fol. 80. & seqq. vt dicatur filius Dei, non sufficit conceptum fuisse de Spiritu sancto. fol. 85. vnum se in essentia cum patre asseruit, cum dixit: Ego & pater vnum sumus. fol. 86. rectè dicitur seruus ratione humanæ naturæ. fol. 88. quomodo dicatur Deus idem cum patre, & tamẽ fuisse apud Deum Ioan 1. fol. 90. vocatur יהוה fol. 84. 92. vere Creatorem esse fol. 95. Apparuit S. Petro martyri Episcopo Alexandr. conquerẽs de Ario. fol. 102. quomodo descendit de cælo, & qua ratione subiectus Patri fol. 106. Mediator totius Trinitatis. quomodo dicatur creatus in initio viarum Domini primogenitus omnis creaturæ, excellentior Angelis factus. fol. 108. quomodo non minor patre, cùm acceperit ab eo naturam. fol. 109. rectè dicitur alius à patre, non tamen aliud. f. 115. quomodo æqualis perfectionis cũ patre & tamẽ nõ generat, generatio autẽ est perfectio. 118. & 119 sẽper fuit, & generatur à patre, ac genitus est. f. 119. & 120. quid sit generari ex substãtia patris ib. quomodo nõ generat cum tamen intelligat, & intellectione generetur f. 122. quomodo generatur, cum neque relatio, neque essentia in Deo generet. fol. 123. an sit αὐτόθεος. f. 127. Quare sit necessario principiũ Spiritus sancti fol. 139. eius caro non est vbi-

que fol. 151. *& seqq. ascendit verè in cœlum corporale. fol.* 152. *quid sit eum sedere ad dexteram Patris fol.* 153. *& 154. quomodo ascendit vt adimpleret omnia. fol.* 155. *animam eius aliquid ignorasse hæretici Neotetici volunt. fol.* 158. *refelluntur. ibid. & seqq. quomodo dicatur creuisse sapientia, ignorasse & die iudicij. non correxit orationem suam in horto, quando dixit:* Nō quod ego volo, *&c. fol.* 160. *Non pertulit pœnas damnatorum, vt vult Caluinus fol.* 161. 162. 163. *eius anima descendit verè ad inferos, id est, subterranea loca. fol.* 165. *& seqq. quid sit prædicasse in inferno incredulis temporibus Noë. fol.* 166. 167. *in limbo fuit præsentialiter, in inferno damnatorum, efficienter, siue per effectus: ei nulla fuit pœna in inferno esse, nullas liberauit damnatorum animas: quas ex purgatorio liberauerit fol.* 169. *Christi humana natura, non est mediatrix contra Franciscum Staucarum, sed suppositum fol.* 171. *Non est mediator Christus ratione vtriusque naturæ, vt volunt Lutherani, & Caluinistæ, sed ratione humanitatis tantum fol.* 171. *& seqq. sibi aliquid meruit Christus fol.* 174. *aliquādo perfectissimam paupertatem, aliquando minus rigidam docuit. fol.* 225.

Claues Ecclesiæ in quo remanent mortuo Papa. fol. 161. *quid intelligatur per Claues Math.* 16. *fol.* 162.

Clodouæus Rex Franciæ solo nomine Consul Romanus f. 257.

Comparationes variæ ad explicandum Incarnationis mysterium fol. 148.

Claues quænam missæ sunt ad Carolum magnum à Pontif. Rom. fol. 260.

Constantinopolis capta à Mahumete. 2. feria. 2. Pentecostes, fol. 141.

Corpora Petri & Pauli sunt Romæ. fol. 173.

Cornelio error falso adscriptus. fol. 218.

D.

Danielis statuæ interpretatio. fol. 199.

Decretum de electoribus Imperij latum à Gregor. V. quo progressus fuerit receptas. fol. 265.

Descendere ad inferos non est penitus extingui, vt vult Brentius. fol. 161.

Democratia, est omnium regimen pessimum. fol. 149.

Deum esse vnum numero, probatur. fol. 78. 79. *& seqq. quomodo non quaternitas, sed Trinitas. fol.* 116. 117. *quomodo dicendus genitus, & ingenitus. fol.* 117. *&* 118.

Dei nomen, non est impositum ad significandum solum Imperiū, sed rē omniū summā. f. 106.

Dei nomē attribuitur creaturis propter dignitatem, & excellentiam. ibid.

Doctrina Antichristi. f. 205.

Dominus dabit verbum Euãgelizantibus virtute multa, &c. Psal. 67. explicatur. fol. 35.

Durandus immerito reprehendit Gregorium primum. fol. 221.

E.

EBion reiiciebat Paulum. fol. 5. quid senserit de Christo. fol. 105.

Ebionitæ solum Mathæum recipiebant. fol. 5.

Ecclesia solum usa est semper in publica scripturarum lectione, & officio, linguâ Hebræâ, vel Græcâ, aut Latinâ. fol. 40. etiam quando desierunt esse vulgares. ibid. & fol. 41. quomodo de scriptura indicat. fol. 55. Ecclesia Romana à Petro est eleuata ad primatum. fol. 179.

Ecclesiaste à quibusdam hæreticis repudiatur. fol. 4.

Ecclesiasticum regimen non est penes populum. fol. 149. 150. neque penes principes sæculares. fol. 150. 151. neque penes Episcopos. fol. 152. 153. sed penes Papam. fol. 154. & seqq.

Editio Hebraïca non est omnino incorrupta. fol. 22. in quibus tamen discrepat à nobis parui est momenti. fol. 23. & 24.

Editiones veteris Testamenti nouem, & quæ. fol 25.

Editio noui Testamenti Græca nonnihil corrupta est. fol. 27.

Editionis vulgatæ Latinæ quã habemus, quid Hieronymi sit, quid non. fol. 28.

Editionis vulgatæ authoritas probatur. fol. 30.

Episcopatus Hierosolymitanus quare non sit primus. fol. 168. 169.

Episcopi presbyteris sunt maiores potestate. fol. 157. triplicem habent potestatem. fol. 231. à Papa iurisdictionem accipiunt. fol. 223. quomodo Apostolis succedunt. fol. 233.

Episcopus nomen magistratus est. fol. 211.

Epistolam ad Hebræos, Pauli, & canonicam esse contra Marcionem, Arium, Lutherum, Brẽtium, Kemnitium fol. 15.

Epistolæ Iacobi, Iudæ, secunda Petri, & secunda, ac tertia Ioannis fuerunt aliquando à nonnullis in dubium reuocatæ, probantur canonicæ. fol. 17.

Epistola Adriani, 4. ad Fridericum 1. fol. 247. 249.

Erasmus vult in sacris literis irrepsisse quædam solâ prudentiâ humanâ. fol. 5.

Essentiæ nomen habetur in scripturis, in sua radice. fol. 111.

Essentia Dei non gignit. fol. 116. distinguitur ratione à personis est de intrinseca ratione earum fol. 117.

Esther maritus neque fuit Assuerus, pater Darij Medi, neque Cambyses, neque Darius Hystaspis, neque Artaxerces Mnemon, sed Artaxerces Longimanus. fol. 6.

Euangelium nondum erat vbique terrarum prædicatum, Ber-

nardi tempore. fol.201.

Eutyches asserebat incarnationem consistere in conuersione deitatis in carnem apparentem: & phantasticam. fol. 142. refellitur, ibid. & seqq. 143.144.

Exẽpla Origenis quid. fol. 25.

F.

Faustus Manichæus dicebat Euangelia fuisse ab impostoribus conscripta, & non à discipulis Christi. fol. 4.

Fœlix 2. verè Papa & Martyr fuit. fol.218.219.

Formosi Papæ historia f.223.

G.

Generatio Antichristi quænam futura sit. f.203.

Geneſis 3. v. 15. posse legi, ipse conteret, vel ipsa conteret. f.31.

Gothi, à quibus ex Italiâ pulsi. fol. 254.

Græcorũ calamitas post Schisma. fol. 140. & 141.

Gregorius 7. quã optimus fuit Papa fol.224.

Gubernationis quot sint formæ fol. 180. Monarchia simpliciter omnibus melior. fol. 181. 182. 183. 184. mixta Monarchia ex Aristocratia, & Democratia, vtilior in hâc vita. fol. 183.184.

H.

Hebdomadas annorum rectè dici, non tamen mensem annorum. fol.201.

Hæresis de processione Spiritussancti à solo patre Origo, & processus. fol. 128.129.

Hebræa lingua à tempore Esdræ desiit esse vulgaris. f.39.

Hebræum ad textum quando recurrere licet. fol. 11.

Herminigildus à patre rege Ariano ob fidem Catholicam necatus. fol.102.

Hieronymus quare aliter verterit nonnulla in sacris scripturis quàm nos habeamus in vulgatæ editione. fol. 29.

Hilarius insulam quandam à serpentibus liberauit. f.102.

Historia Susannæ, & Draconis interfecti, ac Hymnus trium puerorum reiiciũtur ab Hebræis: probantur canonica esse. fol.7.

Historia Susannæ contigit longè ante Cyrum, cum adhuc puer Daniel esset.

Historia Iudith non contigit sub Cambyse, aut Dario Hystaspe vel Artaxerxæ Ochos: aut sub Iosia vel Sedechia, sed sub Manasse. fol. 10. & 11.

Homousios non esse nomen nouum probatur. fol. 111.

Honorius primus nusquã Monothelita fuit. pag. 221.222.

Hypostasis quid significet f.112.

Hypostaticam vnionẽ in Christo, consistere in communicatione diuinorum attributorum facta humanitati asserunt Luther & Brentius. fol 142. refelluntur. f.149.150 in quo propriæ consistat f.148.149.

I.

Idiomatum communicatio in Christo, non fluit ex communicatione attributorũ Deitatis,

ſed ex vnitate perſonæ f.150.

Illyrici contradictiones. f. 243. 244. mendacia. fol 245.

Imperatores fatentur à Papa Imperium Occidentale haberi. fol. 251. 252.

Imperium Romanum nondum periit. fol. 201. tranſlatum fuit à Francis ad Germanos Summi Pontificis authoritate. f 250. & ſeqq. damnauit Confeſſionẽ Auguſtanam f. 244. Diuiſio Imperij f. 250. Imperium Germanorum non eſt acquiſitũ iure belli. f. 253. 254

Infernus non ſignificat Sepulchrum vt volunt Bucerus, & Beza. f. 163. 164.

Illyricus quãdo velit cõceptum, formatum, natum Antichriſtũ. 198.

Imperij Electores à Gregorio. V. cum Othonis 3. conſenſu fuere creati. f. 265.

Inſtrumentum publicum Germanorum Principum, quo fatentur Germanorum Imperium eſſe à Papa f. 166.

Intellectuales naturæ duplicem habent agendi modum naturalem. f. 109.

Ioannes Damaſcenus non negauit Spiritum ſanctum procedere à Filio f 138.

Ioannes 22. quomodo docuerit animas SS. non viſuras Deum, ante Reſurrectionem. f. 225.

Ioannes 23. nuſquam negauit futuram vitam, vt hæretici dicũt fol. 225.

Iob non fuiſſe, quidam Hebræi volunt, alij, extitiſſe, ſed impatientem, ac diuinæ prouidentiæ negatorem. f. 4.

Index ſenſus ſcripturæ, & controuerſiarum fidei eſt legitimum Concilium, vnà cum Papa. f. 48. 49. & ſeqq.

Iulianus Apoſtata, Euangeliſtas multa falſa in Euangeliis miſcuiſſe dicebat. f. 4.

Iulius Cæſar in quibus cohortibus ſpem poſuerit victoriæ Pharſalicæ. f. 253.

L.

Leges Pontificiæ pauciores ſunt Iudaïcis. fol. 230.

Leo tertius quare iuſſerit Symbolum Conſtãtinopolitanum publicè ſcribi, ſine additione, particulæ Filioque. fol 138.

Liberij Papæ, & Fœlicis hiſtoria. fol. 218. 219.

Libertini verbum ſcriptum reſpuunt. fol. 1.

Liber Danielis oblatus fuit Alexandro Magno. fol. 4.

Liber Eſther canonicus probatur. fol. 6.

Liber Baruch canonicus probatur contra Driedonem, Caluinum, & Kemnitium. fol. 6

Liber Iudith à Nicæno Concil. 1. canonicus iudicatus. fol. 9.

Libri Sapientiæ, ſententiæ ſunt Salomonis. fol. 11.

Libri veteris Teſtamẽti Chaldaïca editi lingua qui. fol. 24.

Libri ſacri qui ſint. fol. 3.

Libri ſacri duobus modis con-

ſcripti. fol. 12. & 13.

Libros Tobiæ, Iudith, Sapientiæ Eccleſiaſtici, Machabæorum reiecunt Iudæi, & Hæretici neoterici: probantur tamen canonici. fol. 9 10. 11. 12. 13.

Libertas Chriſtiana in quo conſiſtat. fol. 229. 230.

Libros ſacros veteris Teſtamenti non ab Eſdra, ſed à Moſe, & Prophetis habemus conſcriptos. fol. 21. 22.

Literam occidere, & ſpiritum viuificare, quomodo ſit intelligendum explicatur fol. 2.

Loca ſcripturæ quæ depranata aſſerunt hæretici in vulgata editione defenduntur f. 31. *& ſeqq.*

M

MAndatũ hominis in ſcripturis quid ſit. 220.

Marcion, ſolum Lucam, eumque mutilum recipiebat, & reiciebat epiſtolas ad Titum, & Timotheum. fol. 5.

Marcioniſtæ libros Teſtamenti veteris reiciebant. fol. 3.

Maria Virgo tradidit Gregorio Taumaturgo Confeſſionem fidei. fol. 101.

Mediator quid ſit. fol. 170.

Michael Seruetus fuit nouorũ Samoſatenorum author, quæ eius de Trinitate ſententia, quos habuit ſectatores. fo. 77 *&* 78.

Miſſio quot modis dicatur fol. 130. *qua ratione in diuinis inuenitur. fol.* 131

Monarchia magis requiritur in populo Chriſtiano, quam in Iudaico. fol. 154.

Μορφὴ nuſquam accipitur in ſcriptura pro forma exteriore. *fol.* 88

Monarchicum regimen omniũ optimum. fol. 148.

Mulierem ſediſſe aliquando in Papatu falsũ probatur. f 211. 212

Mulieres hæredes paternorum bonorum non poterant apud Hebræos viris alterius tribus nubere. fol. 32.

N.

NAbucodonoſor in libro Iudic, eſt Merodoch Baladã, qui poſt Sennacherib, & Aſſar Addon regnauit in Babylonia. *fol.* 11.

Neſtorius duas diſtinguebat perſonas in Chriſto, fol. 145. *refellitur. ibid. & fol.* 146. 147.

Nicolaitæ repudiabant Dauidicos Pſalm. fol. 3.

Nomen Deus quid ſignificet. fol. 106.

Nomina quibus ſolent vti Catholici in myſterio Trinitatis. f. 110 *probantur. f ſeqq. Nomina concreta quando multiplicantur. fol.* 144.

Notio diuina quomodo ſit ſubſtantia. fol. 118.

O.

ODoacer vicit Auguſtulũ, inuito Zenone Imperatore inuadit Italiam. *fol.* 255. 256 *à Theodorico interficitur. fol.* 257.

Opera quæ Dionyſio Areopagitæ aſcribuntur, vel eius eſſe vel

antiquissimi authoris. fol. 65.

Opinio hæreticorum de potestate Papæ. 226.

Oratio publica Ecclesiæ, etsi à populo non intelligatur non est sine fructu. fol. 42.

Otho I. non autem Henricus, fuit primus Imperator ex gente Saxonum fol. 162. *Proiectus ad Imperium à Ioanne.* 12. *ibid.*

Oues Christi sunt omnes Christiani fol. 163. 164. *eas pascere, est regere. fol.* 163.

P

PApa, & Concilium magis abundant fide, quam vilius priuatus. fol. 54.

Papam, id est vnum hominem regere totam Ecclesiam quomodo possibile. fol. 157 *succedit Petro in Monarchia Ecclesiæ fol.* 179. *& seqq. non accipit primatum ab Ecclesia, sed à Christo. f.* 184. 185. *habet in Episcopos potestatem. fol.* 186. *appellatur ab Episcopis ad eum. f.* 187. 188 *à nemine iudicatur. f.* 190. 191. *manifeste hæreticus, non est amplius Papa. fol.* 194.

Papam Antichristum esse non possefol 208. 209. 210. *Est summus Ecclesiæ iudex fol.* 213. *vt Papa errare nequit cum totam docet Ecclesiam in fide, & moribus. f.* 213. 214. 216. *vt particularis persona hæreticus esse non potest. fol.* 216. *nullus Papa adhuc erravit fol.* 217. *& seqq. potest condere leges obligantes in conscientia. fol.* 226. *& seqq. non est caput totius mundi in temporalibus. fol.* 234. *& seqq. Summa tamen habet temporalem potestatem indirecte fol.* 240. 241.

Patrem æternum solum esse verum Deum, quomodo sit intelligendum f. 100. *habet omnia communia cum filio excepta relatione oppositæ fol.* 119 *est vnus principium Spiritus Sancti cum Filio. fol.* 139.

Petrarcha vitia, non homines insectatus est f. 212.

Peccatum in Spiritum sanctum quomodo irremissibile. fol. 15.

Per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, &c. 1. *Corinth.* 14 *explicatur fol.* 42.

Persona quid significet. f. 113.

Personarum diuinarum distinctio probatur f. 114 *& seqq quomodo tres, cum vnaquæque sit infinita f.* 121.

Petrus præfuit in Concilio Hierosoly primo f. 153. *&* 166. *toti Ecclesiæ præficitur. f.* 158. *& seq. eius prærogatiuæ. f.* 165. 166. 167. *quomodo maior Paulo. fol.* 169. 170. *Romæ fuit sub Claudio. fo.* 172. *&* 174. 177. *martyrio Romæ coronatus est fol.* 173. 175. 178. *Episcopus Rom fuit vsque ad mortem f.* 17[illegible]. *accepit Claues in persona Ecclesiæ, non tanquam Vicarius, sed vt princeps. f.* 161. *ei soli dictum:* Pasce oues meas. *fol.* 165. *solus fuit ordinatus Episcopus à Christo. f.* 166 167. *quas fundauit Ecclesias, solas semper Patriarchales fuisse: festum Ca-*

thedræ Petri antiquiſsimum. fol. 167. primus Chriſtianos Romæ conuertit. fol. 172. eius proximè ſucceſſores fol. 174. ſedit Antiochiæ antequã Romæ f. 175. 176.

Porphyrius non admittit lib. Danielis f. 4.

Populus quam habuerit authoritatem aliquando in Epiſcoporum electione fol. 150.

Primatum Papæ qui oppugnarunt fol. 179.

Principes ſæculares rari fuerũt in Eccleſia primis. 300. annis fol. 151.

Principatus ſæcularis, & Eccleſiaſticus ſunt omnino diuerſi. f. 151. poſſunt ſimul in vno eſſe. fol. 242.

Propoſitio hæc: verbum alicubi nõ eſt homo, quomodo falſa. f. 156.

Propoſitiones in myſterio incarnationis, ratione vbiquitatis, quomodo intelligendæ. f. 159.

Ptolomæus quidem aſſerebat vnam partem legis conditam ab opifice mũdi, medio numine inter diabolum & verum Deum, alteram à Moſe, tertiam â Senioribus. fol. 3.

Q.

QVadrageſima, eſt Apoſtolica traditio. fol. 66.

Qui habitare facit vnius mota in domo, Pſal. 67. explicatur. fol. 34.

R.

RElatio in Deo, quomodo diſtinguatur ab eſſentia, & quid addat. fol. 125.

Romana Eccleſia non poteſt errare in fide. fol. 215.

S.

SAmuelis anima verè apparuit Sauli. 1. Reg. 28. fol. 164. 165.

Sathan non ſemper Diabolum ſignificat. fol. 160.

Scientiæ Theſaurus in Deo, eſt eſſentia diuina. fol. 130.

Scripturæ probatur authoritas. fol. 1. non debet vulgari idiomate legi in publico Eccleſiæ vſu. fol. 39. 40. 41. obſcura eſt. fol. 45. ſignatus liber quomodo. fol. 47. eius literalis, & ſpiritualis ſenſus, quis. fol. 48. non eſt abſolutè neceſſaria, neque ſufficit ſine traditione. fol. 59. & 60. quomodo regula fidei fol. 73.

Sedes Antichriſti vbinam futura. fol. 204.

Septuaginta interpretes, ſub Ptolomæo, Philadelpho omnes libros canonis Hebræi verterunt, ſimul in vnum conferentes, non autem ſeorſim ſeparati. fol. 26. inſtinctu Spiritu ſancti peculiari verſionem ſuam compleuerunt. Eorum verſio non interijt, ſed multis mendis vitiata eſt fol. 27.

Seruitutis duplex genus f. 151.

Spiritum ſanctum eſſe Deum, probatur. f. 102. & 103. quomodo dicatur poſtulare gemitibus inenarrabilibus. fol. 109. quare non dicitur filius. fol. 123. procedere à filio probatur fol. 129. & ſeqq. dicitur imago filij & proinde ab illo procedit. fol. 133. ſi non

procederet à filio non distingueretur ab illo. fol. 135.

Subsistentia diuina quomodo intrinseca essentiæ, nec tamẽ impediat pluritatẽ personarũ f. 123.

Symmachus, qui vetus transtulit Testamentum, fuit primò Ebionita, siue Samaritanus, deinde Iudæus. fol. 25.

Symbolum quod Athanasio tribuitur, eius est. fol. 133.

Syluestrum 2. magum fuisse & à diabolo disceptum falsum est. fol. 223.

Syriaca lingua nata ex Chaldaïca, & Hebræa. fol. 24.

T.

TEmplum fuit repurgatum à Iuda Machabæo, ante Antiochi mortem. f. 13.

Testamenti veteris iugũ grauius est, quam Noui. f. 230.

Theodoretus cum Nestorianis primus negauit Spiritumsanctũ procedere à Filio. f. 128.

Theodorus Mopsuestius asserebat prophetas nihil de Christo dixisse f. 3.

Theodoricus Gothus, nusquã fuit Augustus vocatus, aut Imperator f. 256.

Theodotion fuit primùm Marcionista, deinde proselytus Iudæus. f. 25.

Theraphim, erat idolũ, humanam referens figuram, per quod diabolus responsa dabat. f. 11.

Tituli sex quibus regna possidentur. f. 253.

Traditio quid. f. 57. viguit ab Adã vsque ad Mosem sine scriptura: & cum scriptura, à Mose ad Christũ. f. 59. veras nunc etiã haberi traditiones, probatur. f. 61. 62. & seqq. dignoscuntur quinque regulis. f. 66.

Tres sunt qui testimoniũ dant in cælo, &c. Ioannis vlt. reuocari in dubium debere vult Erasmus: contrarium probatur. f. 15.

Trinitas significat simpliciter ternarium numerum personarũ diuinarum. f. 114. nullis destruit principium naturale f 126.

Tu es Petrus, & super hanc petram, &c. Math. 16. explicatur. fol. 158. & seqq.

V.

VAlentinus solum Ioannem recipiebat. fol. 5.

Valentinus Gentilis, natione Italus, nouorum Arianorum author, quid de Trinitate asseruerit. fol. 78. & 110.

Vigilius factus Papa, damnat quod scripserat in fauorem Monothelitarum. fol. 220.

Vltimi fines, non possunt esse plures. fol. 79.

Voluntariè peccantibus nõ relinquitur hostia: quomodo intelligendum. fol. 15.

Vos autẽ nolite vocari Rabbi &c. Math. 23. explicatur fo. 53.

Z.

ZEpherinus Papa, quomodo voluerit pacem reddere Montanistis, fol. 217.

FINIS.